Pedralli

CONCURSUS DEI
PRÆVIUS ET EFFICAX

Neceſsariò cohærens cum libero arbitrio humano à neceſſitate libero, ex Sacra Scriptura, Conciliis, & SS.Patribus depromptus.

VERA ETIAM CHRISTI GRATIA

Illuminans, vocans, & efficaciter adjuvans Infideles, Excœcatos, & Obduratos, juxta mirabilem SS. AUGUSTINI, & THOMÆ doctrinam propriis momentis ſtabilita, atque à Janſenii, & Queſnellii erroribus vindicata.

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ

Infallibilem Summi Pontificis in rebus Fidei definiendis auctoritatem; nullitatem appellationis ad futurum Generale Concilium; vera Thomiſtarum principia, germana aliorum Theologorum placita, fideliter, & dilucidè exhibentes.

OLIM

Separatim editæ, & reſpectivè SS.D.N.CLEMENTI XII. feliciter regnanti, ac BENEDICTO XIII. Ord. Præd. ejuſdem Deceſſori dicatæ.

NUNC

In unum opus adunatæ, novo ordine diſpoſitæ, auctæ, perpolitæ: atque à Caducæi Theologici Martini Ortiz S. Theol. Licentiati, aliorumque noviſſimis objectionibus expeditæ.

AUCTORE

R. P. FR. CAJETANO BENITEZ DE LUGO

Provinciæ Hiſpaniæ S. T. M. Rmi P. Fr. THOMÆ RIPOLL Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri Hiſpaniæ Socio, Sacræ Rituum Congregationis Conſultore; Sanctæ Romanæ ſupremæ & univerſalis Inquiſitionis Qualificatore.

TOMUS II.

* * *

ROMÆ, ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

ALMA COLLEGE LIBRARY 234.16 B437 Alma, California

26585

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/concursusdeiprvi02beni

INDEX
DISPUTATIONUM,
ET DUBIORUM,
Quæ in hoc Secundo Tomo continentur.

DISPUTATIO IV.

De Gratia excitante, & efficaciter adjuvante. pag. 1.

DUBIUM I. *An conſiſtat concurſus Dei præveniens vocans, & excitans, ab efficaciter adjuvante diſtinctus, in motibus intellectûs, & voluntatis?* 6

§. I. *Nonnullorum Theologorum refertur opinio.* ibid.

§. II. *Efficaciter impugnatur horum Theologorum opinio.* 9

DUBIUM II. *In quo conſiſtat, & quid reverà ſit apud Thomiſtas gratia iſta præveniens, & excitans?* 14

§. I. *Præmittuntur quædam ad clariorem Dubii reſolutionem.* ibid.

§. II. *Prima & ſecunda Concluſio. Præter & ultra auxilia gratiæ, conſiſtentia in actibus intellectus & voluntatis, requiritur auxilium, quo Deus efficiat ſanctas cogitationes, & ſubitos motus voluntatis, quibus piè afficitur ad bona honeſta; & ulterius auxilium ad agendum juxta hujuſmodi cogitationes, & motus.* 16

§. III. *Solvuntur Argumenta.* 24

§. IV. *Statuitur Tertia Concluſio. Auxilia iſta conferunt virtutem, & ſufficientiam ad actum tam neceſſarium, quàm ad actus perfectos, ſeu perfectè liberos.* 28

§. V. *Quarta proponitur aſſertio. Auxilia iſta applicant, & determinant voluntatem & intellectum ad actus ſalutares; ſive auxilium, dans pariter applicationem ad actum indeliberatum, ſit realiter diſtinctum ab au-*

auxilio dante ſufficientiam ad eumdem actum, ſive non. 39
§. VI. *Nonnulla notatu digna ex dictis proponuntur.* 44
DUBIUM III. *An Gratia excitans, & efficaciter adjuvans, ſint cauſa purè moralis, aut phyſica bonorum actuum?* 46
§. I. *Quædam ad reſolutionem Dubii proponuntur.* ibid.
§. II. *Illuſtratio ſupernaturalis non influit effectivè phyſicè in affectionem ſupernaturalem.* 51
§. III. *Subiti affectus ſupernaturales non concurrunt phyſicè effectivè ad conſenſum liberum.* 53
§. IV. *Solvuntur Argumenta.* 56
DUBIUM IV. *An gratia actualis ſit cauſa phyſica, vel moralis actuum ſupernaturalium?* 59
§. I. ibid.
§. II. *Solvuntur Argumenta.* 74
§. III. *Quædam ex dictis majori ponderatione digna proponuntur.* 80
DUBIUM V. *An gratia excitans ſit realiter diſtincta a gratia efficaciter adjuvante?* 82
§. I. *Referuntur ſententiæ.* ibid.
§. II. *Gratia excitans diſtinguitur realieer à gratia efficaciter adjuvante.* 86
§. III. *Momentum aliud ab inconvenienti petitum proponitur.* 95

DISPUTATIO V.

De Gratia ſufficiente. 111

DUBIUM I. *In quo conſiſtat Gratia ſufficiens ab efficaci diſtincta?* ibid.
§. I. *Qualis eſt propria hujus nominis notio, proponitur.* ibid.
§. II. *Quædam* Caduciferi *cogitatio refellitur.* 126
DUBIUM II. *An ex voluntate antecedente, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri, detur omnibus gratia ſufficiens ad ſalutem?* 129

DI-

DISPUTATIO VI.

De extenſione gratiæ excitantis ad Infideles, excæcatos, & obduratos. 155

DUBIUM I. *An Deus Infidelibus conferat auxilia ſufficientia ex voluntate illa, quâ vult omnes homines ſalvos fieri?* ibid.

§. I. *Status controverſiæ proponitur.* ibid.

§. II. *Variis momentis probatur concluſio.* 161

§. III. *Solvuntur Argumenta.* 171

§. IV. *Aliud proponitur argumentum, cujus occaſione exponitur axioma illud*: Facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam. 194

DUBIUM II. *Utrùm Infidelibus negativis detur gratia remotè vel proximè ſufficiens quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, quæ ſit propriè, & ſtrictè gratia Chriſti?* 205

§. I. *Quibuſdam præſuppoſitis, ſtatuitur concluſio.* ibid.

§. II. *Quædam argumenti ſolutio proponitur, & rejicitur.* 231

§. III. *Solvuntur Argumenta.* 234

§. IV. *Quædam ex* Ortizio *objecta diluuntur.* 246

DUBIUM III. *Utrùm de Fide ſit, quòd in Infidelibus negativis intrinſecè recepta inveniantur auxilia, quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, illa ſcilicet, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria, ut homo poſſit tam proximè, quàm remotè conſequi ſalutem æternam?* 253

§. I. *Quæſtio proponitur, & explicatur.* ibid.

§. II. *Unica Concluſio ſtatuitur. Non eſt de Fide, quòd Infidelibus negativis conferatur gratia quo ad ſubſtantiam ſupernaturalis, ſivè proximè, ſive remotè ſufficiens.* 257

§. III. *Solvuntur Argumenta.* 263

DUBIUM IV. *An in excæcatis, & obduratis detur gratia proximè, vel remotè ſufficiens pro ſtatu obdurationis?* 269

§. I. *Sta-*

§. I. *Status obdurationis exponitur, & referuntur ſententiæ.* ibid.
§. II. *Nullus eſt ita excæcatus & obſtinatus, qui interdum non recipiat aliquod auxilium ſufficiens proximum, vel remotum.* 276
§. III. *Solvuntur Argumenta.* 284
DUBIUM V. *An obduratis, & excæcatis pro ſtatu perfectæ obdurationis, & excæcationis omiſſio actûs præcepti ſit imputabilis ad culpam?* 299
§. I. *Explicatur poſſibilitas obdurationis.* ibid.
§. II. *Excæcatorum, & induratorum peccata crimini iiſdem re ipſa verti non poſſunt, ſi in pœnam peccati originalis omni ſint auxilio interiori deſtituti.* 307
§. III. *Obdurati, & excæcati ex culpa perſonali verè peccant, & peccatum ipſis reverà imputatur ad pœnam in ſtatu obdurationis.* 311
DUBIUM VI. *Utrùm Infideles, & obſtinati ſine gratia ſupernaturali liberi non ſint, niſi ad peccatum?* 322.
§. I. *Error* Queſnellii, *& aliorum refertur.* ibid.
§. II. *Momentis variis refellitur error iſte.* 326
§. III. *Solvuntur Argumenta.* 334



DISPUTATIO IV.

De Gratia excitante, & efficaciter adjuvante.

1. NIHIL tam iniquum, tam barbarum, tam à tota Religione alienum, tamque Chriſtianis mentibus inimicum eſſe, quàm Dei negare gratiam, luculentiſſimè pronunciat *Innocentius* Carthaginenſis Concilii Patribus Epiſt. 181. aliàs 91. *Quiſquis ergo huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ, quâ dicat, adjutorio nobis non opus eſſe divino, inimicum ſe Catholicæ Fidei, & Dei beneficiis profitetur ingratum. Nam nec noſtrâ communione ſunt digni, quam prædicando taliter polluerunt. Ipſi enim ſuâ ſponte, dum ſequuntur illa, quæ dicunt, longiùs à verâ religione reſugerunt. Cùm enim hoc totum in noſtra profeſſione conſiſtat, quotidianiſque precibus nihil agamus, niſi quemadmodùm Dei miſericordiam conſequamur; quemadmodùm ferre poſſumus iſta jactantes? Quis, rogo, tantus illorum pectora error obcæcat, ut ſi ipſi nullam Dei gratiam ſentiunt, quia nec digni ſunt, nec merentur; nec de aliis conſiderent, quid quotidiè ſingulis gratia Divina largitur? Sunt quidem iſti omni cæcitate digniſſimi, qui nec hoc ſibi reliquerunt, ut ſe auxilio credant revocari ab erroribus poſſe Divino. Negantes enim adjutorium, non aliis, ſed ſibi hoc penitus abſtulerunt, qui avellendi ſunt longius, & ab Eccleſiæ procul removendi viſceribus, ne diu inultus multa occupans inſanabilis poſt error increſcat. Si enim diu ſub hac fuerint impunitate verſati, neceſſe eſt, multos in hanc ſuæ pravitatem mentis inducant decipiantque innocentes, vel potiùs imprudentes, qui Fidem Catholicam ſequuntur.*

2. Hæc *Innocentius*. Accinit *S. Auguſtinus* Epiſt. 186. aliàs 106. his verbis: *Quæ omnia modò legere poteris, ſi eorum forte ad te vel nulla, vel non cuncta pervenerant: ubi videbis, ſervatâ erga hominem moderatione, quæ debuit, ne damnaretur, ſi prava damnaret, ipſum ta-*

tamen novellum, & perniciosum errorem ſic Eccleſticâ auctoritate compreſſum, ut multùm miremur, eſſe adhuc quoſdam, qui per quemlibet errorem gratiæ Dei conentur obſiſtere; ſi tamen hæc geſta eſſe didicerunt: quæ gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum (quod fides vera, & Catholica tenet ſemper Eccleſia) puſillos cum magnis à morte primi hominis ad vitam ſecundi hominis transfert, non ſolùm peccata delendo, verùm etiam ad non peccandum, rectèque vivendum, eos, qui jam uti poſſunt voluntatis arbitrio, ſic adjuvando, ut niſi adjuvet, nihil pietatis, atque juſtitiæ, ſive in opere, ſive etiam in ipſa voluntate habere poſſimus. Deus quippe operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Hæc *Auguſtinus* pro tuendo hoc Catholicæ Religionis fundamento.

3. At præter liberum arbitrium, legem, & doctrinam, aliam eſſe neceſſariam actualem gratiam ad operandum, quæ ſanet, & adjuvet, probat S. Doctor lib. *de Spirit.*, *& litt. cap.* 3. *num.* 5. ut homo, hac ſibi velut arrâ datâ gratuiti muneris, inardeſcat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, ex quô ei benè ſit, à quô habet ut ſit. De hàc gratiâ actuali, de quâ erat inter S. Doctorem, & *Pelagium* præcipua lis, inſtituendus eſt ſermo. Exploratum quippe eſt, admiſiſſe *Pelagium* gratiam interiorem juſtificantem; quidquid in oppoſitum ſentiant *P. Molina* in Concord. q. 12. art. 13. diſp. 15. *P. Suarez* de grat. p. 3. lib. 7. cap. 6. num. 1. aſſerentes, quòd licèt cognoverit gratiam remiſſionis peccatorum, non tamen intellexit fieri per interioris gratiæ ſubminiſtrationem; ſed poſitam arbitrabatur in ſola Dei complacentia in eo homine, qui ex naturalibus ſuis viribus, faceret quod in ſe eſt, & in voluntate ea de cauſa eidem conferendi. Quibus aſſentit *P. Garnier* diſſer. 7. cap. 5. §. 1. dicens: *Quo equidem loco non diſſimulabo quod ſæpe mihi venit in mentem, Pelagianos olim nihil diverſum à Calvinianis noſtrorum temporum ſenſiſſe quoad cauſam, ut ajunt, formalem juſtificationis. Nam & illi, & iſti conſentiunt, homines juſtificari, vel ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiâ quâ juſtificamur. In quo ſane minime audiendi.* Quid enim ſibi vult quod habet *Julianus* apud *Auguſtinum* lib. 1. Oper. imperf. num. 53. *Chriſtus enim, qui eſt ſui operis Redemptor auget circa imaginem ſuam continuâ largitate beneficia, & quos fecerat, condendo bonos, & facit innovando, condendo, adoptandoque meliores. Hanc igitur gratiam, per quam reis venia, illuminatio ſpiritualis, adoptio filiorum Dei, municipatus Jeruſalem Cœleſtis, ſanctificatio, atque in Chriſti membra translatio, & poſſeſſio Regni Cœlorum mortalibus datur, qui aliquibus negandam putat, omnium honorum execrationem meretur.* Et lib. 2. num. 85. *pronunciavit certè Apoſtolus, de cujus nobis eſt opinione certamen, efficaciùs operari ad collationem ſalutis, & copioſius gratiam Salvatoris quam peccatum Adæ; ut oſtenderet multo vehementius profuiſſe Chriſtum, & pluribus profuiſſe, cujus gratia (ut ipſo ejus verbo utar)* abun-

abundavit in plures. Quid hoc alterum quod infra num. 212. *Gratia autem non eodem confertur modò, ut peccatis æquè admota ſingulis crebro repetatur: Sed infuſa ſemel uno virtutis ſuæ impetu, atque compendio diverſa, & plurima delet crimina.*

4. At non ſolum *Julianus*, ſed etiam *Pelagius* veram interiorem juſtificantem gratiam agnovit. Quid enim intellexit ille cap. 5. Epiſt. ad Rom. dicens: *Quare multa peccata dimiſit abundantiâ donationis Spiritus Sancti? Quia multa ſunt dona. Ipſa enim juſtitia donatur per Baptiſmum, non ex merito poſſidetur*, Et cap. 5. ſecundæ Epiſt. ad Corinth. *Tribus modis ineſſe Deum legimus ſecundùm infinitatem.... Secundùm Sanctificationem, & peculiarem inhabitationem in Sanctis, juxta illud* INHABITABO IN ILLIS. SECUNDUM PLENITUDINEM DIVINITATIS IN CHRISTO. Quod & repetit cap. 3. Epiſt. ad *Titum*. Cujus & fidem facit *S. Auguſtinus* lib. de grat. Chriſti cap. 38. *Qui inſtaurati per Chriſti gratiam, & in meliorem hominem renati ſumus, qui ſanguine ejus expiati, atque mundati, ipſiuſque exemplo ad perfectionem incitati juſtitiæ, meliores illis eſſe debemus, qui ante legem fuére*. Idem firmat lib. 1. de remiſs. peccat. cap. 18. dicens: *Sed illi movent, & aliquid conſideratione, ac diſcuſſione dignum videntur afferre, qui dicunt, parvulos recenti vita editos viſceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere Baptiſmum, ſed ut ſpiritalem procreationem non habentes creentur in Chriſto, & ipſius Regni Cœlorum participes fiant eodem modo filii, & hæredes Dei cohæredes autem Chriſti*, ergo non negavit *Pelagius* veram interiorem infuſam permanentem gratiam habitualem, quâ deleantur peccata, & juſtificemur. Non de hac gratia habituali, ſed actuali procedit præſens diſputatio.

5. Hanc Dei gratiam, quâ diffunditur in nobis virtus Spiritûs Sancti, idem S. Doctor deſcribit de correp. & grat. cap. 11. dicens: *Eſſe adjutorium illud, quó fit in nobis non ſolùm poſſe quòd volumus, verùm etiam velle quod poſſumus*. Et cap. 12. *Primó itaque homini, qui in eo bono, quó factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei prædeſtinatis non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm ut ſinè iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint: verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint*. Quibus gratia ſufficiens diſtincta ab efficaci ita perlucidè conſtituta legitur, ut ſuper hoc graviter conquerentur plerique, aut etiam exprobrarent, teſte D. *Hilario* in Epiſt. ad *S. Auguſt. Deindè moleſtè ferunt ita dividi gratiam &c.* Utroque enim modo adjuvat gratia exhibita nobis per *Chriſtum* in ordine ad ſalutem, & conſtituendo poteſtatem ad bonum, & opitulando, ut faciamus bonum. Quare hoc Dei beneficium ſupra totum naturæ debitum nobis per *Chriſtum* exhibitum ad ſalutariter, prout oportet, operandum lib. de Grat. & liber.

arbitr. cap. 16. num. 32. & lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 3. vocat virtutem, quâ peccator conſtituitur potens accedere ad Deum: agnoſcens ibi, & gratiam actualem, quâ præparatur voluntas à Domino, quæque dat poſſe bonum, abſolutâ, & integrâ ſubordinatæ, ſeu ſecundæ poteſtatis ratione; necnon & aliam uberiorem gratiam, quæ voluntatem efficaciter moveat ad bonum, faciendo facere, & applicando ad opus. Prima dicitur excitans, ſecunda efficaciter adjuvans: illa excitans, quia variis, iteratiſque illuſtrationibus, ſuaſionibus, inſpiratiſque affectibus, terroribus, delectationibus mentem movet. Hæc, realiter ab illa diſtincta, efficaciter adjuvans dicitur, dum bonam voluntatem efficaciter roborans, applicat ad opus, ut ſic tam initium boni operis, quàm ipſum velle, & operari bonum ex Deo ſint. Hinc enim, ut dixit S. Doctor Epiſt. 176. aliàs 92. *Oramus, ut peccatorum tentationem ſuperare poſſimus, ut ſpiritus Dei, unde pignus accepimus, adjuvet infirmitatem noſtram.*

6. In Divinis paginis voluntati liberæ adjutorium Dei tam excitans, quàm adjuvans legimus eſſe nectendum. Ita ad Epheſ. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Eſt namque gratia excitans lumen quoddam ſpiritalis viſitationis, & internæ illuminationis, quod Deus juxta ſuam miſericordiam promptè infundit humanis mentibus, ita ut quantùm in ipſo eſt, hâc etiam illuminatione omnes illuminet. Etiam Apocalip. 3. dicitur: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo*: pulſare dicitur Deus, quando per gratiam ſuam prævenientem, & excitantem corda noſtra tangit, & viſitat per internas inſpirationes, & tacitas, occultaſque cordis motiones, quibus non deſinit opportunè, importunè (ſi fas eſt dicere) ad cordis oſtium pulſare, & eiſdem bonis inſpirationibus mentes noſtras tangere. Meminit etiam Scriptura gratiæ adjuvantis Pſal. 78. *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.* Et Pſal. 118. *Adjuva me, & ſalvus ero.* Et Pſal. 123. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Et Pſal. 26. *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me Deus ſalutaris meus.* Et tandem ad Rom. 8. v. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Sic in Divinis litteris per gratiam ſanari, vivificari, excitari, adjuvari, & roborari dicitur humanus animus, ut vivificatus operetur, ſanatus ambulet, excitatus evigilet, torporemque vitiorum excutiens, adjutus procedat, roboratus pugnet, & vincat, victorque cum perſeverantiæ laude remuneretur.

7. Patres Concilii Tridentini, etſi expreſsè hujus diviſionis gratiæ non meminerint, utramque gratiam excitantem, & adjuvantem frequentiſſimè uſurpant ſeſſ. 6. cap. 5. dicentes: *Eos qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem; eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponi.* Et cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum.* Ac rurſus Can. 3. meminerunt Divini hujus adjutorii, hoc eſt gratiæ adjuvantis. Et Can. 4. Divinæ excitationis, quæ non aliud eſt, quàm gratia excitans, reſpicien-

cientes forſan luculentiſſimum D. *Auguſtini* teſtimonium lib. 2. de peccat. mer. cap. 10. *Quòd ad Deum nos converti, niſi ipſo excitante, atque adjuvante non poſſumus*. Et de grat. Chriſti contra Pelagium cap. 45. *Vndè non poteſt dici, quòd corporalibus oculis eum Dominus viſibiliter admonendo reſpexerit. Et ideò quod ibi ſcriptum eſt, reſpexit eum Dominus: intus actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt. Miſericordiâ Dominus latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratiâ ſuâ viſitavit Petrum, interioris hominis uſque ad exteriores lacrymas movit, & produxit affectum. Ecce quemadmodùm Deus adjuvando adeſt voluntatibus, & actionibus noſtris: ecce quemadmodùm & velle, & operari operatur in nobis.*

8. Etiam Eccleſia gratiam tàm excitantem, quàm adjuvantem Deo in ſuis orationibus orat. Gratiam excitantem poſcit Dominicâ ſecunda Adventûs, dicens: *Excita Domine corda noſtra ad præparandas Vnigeniti tui vias*. Et Dominicâ 24. poſt Pentecoſtem: *Excita Domine tuorum fidelium voluntates*. Petit quoquè & adjuvantem, dùm in officio ad Primam ſic *Chriſtum* alloquitur: *Exurge, Domine, adjuva nos*: & in die Paſchæ: *Vota noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam adjuvando proſequere*. Etiam diſtinctè, ac dilucidè utriuſque gratiæ meminit *S. Auguſtinus*; excitantis, dùm ſuper illud ad *Epheſ.* 5. *Surge, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, ſequentia in Pſalm. 6. habet: *Apoſtolus* EXCITABAT *animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, ut illuminaretur à Chriſto. Ergo ſecundum ipſas vigilias, dicit iſte, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Non enim vigilares in te, niſi oriretur lux tua; quæ de ſomno* EXCITARET: *illuminat enim animam Chriſtus, & facit eam vigilare*. Hanc etiam excitantem gratiam expreſſit in Pſal. 8. dicens: *Ipſe me attraxit, quià in occulto à morte cordis, non quilibet medicus, ſed ipſe* EXCITAVIT. Et in Pſal. 58. *Non ego prior ad te exurrexi voluntate, ſed tu ad* EXCITANDUM *veniſti*. Diſertis verbis adjuvantem gratiam inculcat lib. 1. ad *Bonifac.* cap. 19. *Dixiſti tu, Juliane, hominem in bono opere à Deo ſemper adjuvari, tamquàm ſuâ voluntate, nullâ Dei gratiâ, bonum opus aggreſſus, in ipſo jam opere Divinitùs* ADJUVENTUR. Et ſupra illa verba Apoſtoli ad *Rom.* 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*, in Epiſt. ad *Sixtum* eamdem adjuvantem gratiam agnovit, ſic loquens: *Non eſſe intelligendum ſpiritum noſtrum, de quo dictum eſt;* INTERPELLAT GEMITIBUS INENARRABILIBUS, *ſed Spiritum Sanctum, quô noſtra infirmitas adjuvatur, ſatis ipſe demonſtrat Apoſtolus; Inde enim cœpit:* SPIRITUS (*inquit*) ADJUVAT INFIRMITATEM NOSTRAM: *deinde ita ſubjunxit;* QUID ENIM OREMUS, SICUT OPORTET, NESCIMUS.

9. Quæſtionem hanc multis illuſtrant Theologi Scholaſtici non abſque prolixis, & inculcatis ſæpiſſimè concertationibus; cum difficillimum ſit eſſentiam, naturam, & effectus utriuſque gratiæ exponere. *Nemo enim ſcire valet, quæ ſunt Dei*, niſi ipſô Dei ſpiritu revelante, vel quem Deus erudierit, ut ipſe loquitur Pſal. 49. *Illuc iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*. Quare ſubordinatione liberi arbitrii creati Deo au-

auctori gratiæ, & naturæ ſtabilita, & quòd homo eò fidelius, eò ardentiùs, eòque magis ſollicitus Deo ſubeſſe debet, quò majus eſt donum gratiæ, quod diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui ubi vult, in quibus, & quando vult, ſpirat, ineffabilia prorſus operans in cordibus hominum, non pro arbitrio volentium, aut currentium ſed ſolius ipſius miſerentis, qui quando vult, quomodo illi placet, & quibus ipſe dignatur, gratiam elargitur; operæ pretium duximus, ſollicitè, ac diligenter, extenſionem, conſtituitionem, & effectus gratiæ tam excitantis, quàm adjuvantis, quæ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum diffuſa eſt in cordibus hominum, inveſtigare: id quod præ cæteris exequitur præſens Diſputatio.

DUBIUM I.

An conſiſtat concurſus Dei præveniens, vocans, & excitans, ab efficaciter adjuvante diſtinctus, in motibus intellectûs & voluntatis.

§. I.

Nonnullorum Theologorum refertur opinio.

1. CONSENTIUNT Catholici omnes Theologi in hanc gratiam prævenientem excitantem & adjuvantem, ſeu in actualia auxilia ſupernaturalia, quibus ad ſalutariter operandum adjuvatur homo, velut de fidei certiſſimo dogmate. Non una tamen eorum eſt ſententia in explicando, in quo conſiſtat gratia præveniens, excitans, & vocans. Gratiam prævenientem P. Molina 1.p. q.11. art.13. diſp.45. §. *Accipe*, & ſeq. per hæc explicavit verba: *Accipe ergo ordinem motuum gratiæ prævenientis, ſimulque cognoſces, quinam ſint iſti motus, & quomodo fiant. Dum homo nondum ad fidem ſupernaturalem interiùs vocatus cogitat, & expendit res credendas per notitias concionatoris miniſterio, aut aliunde comparatas, influit Deus in eaſdem notitias influxu particulari, ac ſupernaturali, quo cognitionem illam adjuvat, tum ut res meliùs expendatur, ac penetretur; tum etiam, ut notitiæ illæ jam limites notitiæ ſupernaturalis, & ad finem ſupernaturalem in ſuo ordine, & gradu accommodatè attingant; influxus verò ille dicitur motus gratiæ prævenientis ad finem ſupernaturalem, & illuminatio, notitiaque illa, & cognitio effecta jam à Deo ſupernaturalis per talem influxum appellatur gratia præveniens ex parte intellectus. Ex cognitione verò, & penetratione earum rerum, quæ ad fidem ſpectant; nempè cum expenditur, quàm dignæ ſint, quibus aſſenſus adhibeatur; quantùmque id expediat, oritur naturaliter in voluntate motus affectionis ad res cognitas, quo allicitur, & quaſi invitatur ad imperandum intellectui*

aſſenſum, quo eis aſſentiatur. Cum hoc ergo motu quaſi ſe inſerit etiam Deus influens in illum per auxilium particulare, illumque illo auxilio quaſi acuit, ut magis urgeat, & alliciat, efficiatque illum ſupernaturalem, ut in ſuo ordine, & gradu ſit etiam ad ſalutem accommodatus. Auxilium itaque particulare, quo Deus in illum motum influit, appellatur auxilium gratiæ prævenientis; motus verò ille, atque affectus voluntatis circa ea, quæ ad fidem ſpectant, quatenus à Deo ſupernaturalis efficitur per auxilium illud, dicitur gratia præveniens ad aſſenſum fidei ex parte voluntatis. Ita *P. Molina* loco citato, & §§. ſeq.

2. Doctrinam iſtam propugnat *P. Suarez* lib. 3. Opuſc. cap. 4. §. *Hinc ergo* ſic gratiam prævenientem declarans: *Hinc ergo Theologi definiunt*, ait ille, *hanc gratiam nihil aliud eſſe, quàm motum aliquem intellectûs, & voluntatis infuſum à Deo, vel illuminante intellectum, & ſanctam aliquam cogitationem in eo operante circa objectum aliquod, vel veritatem ad ſalutem animæ pertinentem, vel per eam motionem inſpirante voluntati, & excitante in illa affectionem aliquam amoris, timoris, aut alterius ſimilis affectus, ſupernaturalis quidem, ſed in eo ordine imperfecti, & non liberi, ſed neceſſarii, accommodati tamen, ut per eum præparetur voluntas, & paulatim ſublevetur ad perfectum, & ſupernaturalem conſenſum præſtandum.* Hactenus *P. Suarez*.

3. Hos ſequuntur cœteri AA. Societatis. *P. Vaſquez* 1. p. q. 23. diſp. 88. cap. 6. num. 24. §. *Porrò*, ubi ait: *Porrò ad gratiam prævenientem pertinere motum voluntatis, nec deliberatum, & teſtimonia Patrum, & ratio demonſtrat. Gregorius de Valentia* 1. 2. diſp. 8. q. 3. de diviſ. grat. punct. 3. ſic dicit: *Nam gratiam vocantem, ſeu excitantem appellant Theologi Divinas quaſdam inſpirationes, ſeu motus quoſdam divinitùs in mente hominis excitatos, quibus Deus homines ad ſe allicit, & invitat. Bellarminus* lib. 4. de grat. & liber. arbitr. cap. 25. §. 6. *Gratiam prævenientem* vocat *motum repentinum omnem rationis deliberationem prævenientem. P. Ripalda* tom. 2. de ente ſupernaturali diſp. 104. ſect. 5. & 8. Et quotquot poſt illos ſcripſerunt, ut videre eſt apud *P. Marin* tract. 8. de liber. arbitr. ſect. 6.

4. Conveniunt omnes, & affirmant, gratiam prævenientem conſiſtere in motibus intellectûs, & voluntatis; negant verò qualitatem, quam dicunt mortuam, his potentiis impreſſam, qua eleventur ad iſtos actus eliciendos. Ex quo etiam conſentire videntur in eo, quòd actus illi non ſunt entitativè ſupernaturales: quod videtur conſtans ex ratione inſinuata; quia nimirum actus, ut entitativè ſit ſupernaturalis, procedere debet à potentia per virtutem ſupernaturalem elevata. Cùm ergo negent virtutem iſtam potentias elevantem, conſequenter debent aſſerere, naturales eſſe entitativè actus illos, in quibus docent conſiſtere gratiam prævenientem. Id ſanè apertè docuit *P. Molina* verbis ſupra relatis, cui conſentire videtur *P. Suarez* lib. 3. Opuſc. cap. 4. n. 13. dicens: *Motum gratiæ excitantis non ſemper concurrit ſimul tempore cum concurſu voluntatis: interdum enim præceſſit gratia excitans per ſanctam cogitationem, & timorem; & poſtea ſola recordatione illius*

timo-

timoris, & Divinæ motionis homo liberè convertitur, & incipit pœnitentiam agere: non eſt autem veriſimile, ſolam illam memoriam eſſe principium ſupernaturale ſufficiens ad efficiendam illam converſionem, ſed potius concurrere tantùm proponendo objectum. Denique in primo actu ſupernaturali fidei vix poteſt aſſignari motus gratiæ excitantis, qui poſſit eſſe principium ſupernaturale ad eliciendum illum, quia ibi ſolùm antecedit apprehenſio objecti, & judicium practicum de ejus credibilitate, poſt quod accedit voluntas credendi; nihil autem horum poteſt eſſe principium eliciens actū credendi, nam voluntas potiùs eſt imperans, quàm eliciens, reliqui autem actus ſunt valdè imperfecti, & remoti. Hæc omnia reddunt hanc opinionem difficilem, non tamen improbabilem.

5. De cauſalitate verò concursûs, ſeu gratiæ prævenientis, & excitantis ſic loquitur *P. Suarez* lib. 3. Opuſc. cap. 5. n. 10. *Denique tota hæc cauſalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica eſt; nam per hanc gratiam excitantem fit, ut objectum, quod amandum proponitur, honeſtius, & amore dignius appareat, & quod timendum horribilius, quod odio habendum turpius, & ſic de cœteris.* Ubi gratiæ excitanti, & prævenienti apertè negat cauſalitatem effectivam in conſenſum ſalutarem, & tantùm moralem tribuit cauſalitatem: de qua metaphorica cauſalitate explicat illud *Joann.* cap. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Sic enim habet loco citato cap. 11. n. 7. §. *Hæc autem. Item in Scriptura ſicut dicitur Deus trahere ad bonum, ita Dæmon ad malum, Apocalypſ.* 12. *trahebat ſecum tertiam partem ſtellarum non phyſica prædeterminatione, ſed ſuaſione.* Idem de cauſalitate gratiæ prævenientis, & excitantis ſentit *P. Molina* in Concord. diſp. 39. quæ in aliis editionibus eſt 37. §. *Ex dictis*, & alibi ſæpè. Valentia 1. 2. q. 3. de diviſione grat. punct. 3. §. *Nam gratia*, & §. *Prima propoſitio*, & §. *Deinde*, & ſeq. *Vaſquez* 1. p. q. 23. diſp. 88. n. 20. §. *Docent. Bellarminus* lib. 1. de grat. & liber. arbitr. cap. 14. §. *At ſi conſideremus*; & iſto cauſalitatis modo verificare contendunt illas propoſitiones Scripturæ: *Deus ſuâ gratiâ facit, ut faciamus: facit, ut velimus* &c.

6. Quam doctrinam per ſubjicienda verba tradit *P. Suarez* lib. 3. Opuſc. cap. 12. num. 5. §. *Quocirca. Plurimum à Sanctorum Patrum, præſertim Auguſtini mente aberrant, qui de hac phyſica prædeterminatione interpretantur locutiones illas, quæ ex Sacra Scriptura ſumuntur, & apud Auguſtinum ſunt frequentes, Deus facit ut velimus, facit ut faciamus, operatur in nobis velle, convertit corda noſtra, & ſimiles. Hæc enim omnia, quatenus aliquâ ratione ſoli Deo tribuuntur, dicta ſunt ratione gratiæ excitantis, & moraliter regentis, & dirigentis greſſus noſtros vocando, inſpirando, & excitando. Quatenus verò noſtra cooperatio, & liber conſenſus requiritur, tribuuntur Deo, ut principali cooperatori.* Hæc ille. Utinam dixiſſet, unde habuerit id, quod adeò ſecurus aſſeverat; nempe contra PP. & maximè *Auguſtinum* improprìetate & abuſu vocum loqui, locutiones illas ſic interpretantes. Contra omnes autem ſtatim inſurgit argumentum redar-

darguendo ex ipſis: ſed hæc cauſalitas per vos tantùm eſt finalis, & metaphorica motio, & efficientia metaphorica: ergo Deus metaphoricè tantùm facit, nos facere, facit, nos velle, & metaphoricè tantùm movet corda, ac metaphoricè tantùm inclinat voluntatem, & non aliter quàm metaphoricè operatur, ut operemur. Quæ illatio irrefragabilis eſt, cùm præmiſſæ, ex quibus legitimè infertur conſequens, non ſolùm dentur gratiâ diſputationis, verùm totis viribus à contrariis probentur, & ut propria doctrina foveantur, ac defenſentur. Modò ſic: Quod tantùm dicitur metaphoricè, multò veriùs negatur, quàm affirmatur; ſicut loquitur, non ſolùm cum majori proprietate, ſed multò veriùs, qui negat, pratum ridere, quàm ille, qui ridere pratum affirmat: ergo omnes Scripturæ propoſitiones relatæ non ſolùm cum majori proprietate, ſed loquendo veriùs negari poſſunt, ſi Deus tantùm metaphoricè facit, nos facere.

7. Gratiam excitantem, ſeu concurſum, quo Deus excitat hominem ad fidem, ſive fidelem ad pœnitentiam, Auctores iſti non diſtinguunt à præveniente, immo ut verbis ipſorum relatis conſtat, nullam gratiam prævenientem agnoſcunt præter excitantem. Sicut & moderni Societatis, ut videre eſt apud *P. Marin* loco citato num. 58. *Dico cum noſtris: gratia adjuvans, & cooperans juxta mentem Conciliorum, & PP. non eſt diſtincta à gratia, quæ conſtituit poſſe, & conſequenter non eſt diſtincta à gratia ſuadente, & excitante.*

§. II.

Efficaciter impugnatur horum Theologorum opinio.

8. ET primò impugnanda venit poſitio illa *P. Molinæ*, quâ ſibi perſuaſit, gratiam prævenientem, & excitantem conſiſtere in illa cogitatione, & expenſione rerum credendarum, quam Deus ſuo adjuvat auxilio, & in qua ſtatuit gratiam, quâ Deus prævenit intellectum; gratiam verò, quæ prævenit voluntatem, conſtituit in illo ſubito affectu, qui ex illa cogitatione, & expenſione naturaliter excitatur in voluntate. Hæc enim immediatè opponuntur *D. Auguſtino* de Grat. & liber. arbitr. cap. 5. ubi tractans de converſione, & laboribus Apoſtoli, eleganter explicat effectus gratiæ, ſeu concurſus gratiæ prævenientis, & cooperantis ſequentibus verbis: *Tamen ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur boni aliquid poſſe, continuò, cùm dixiſſet gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboravi; ſubjunxit, atque ait: Non ego autem, ſed gratia Dei mecum: id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Ut autem de Cœlo vocaretur, & tam magnâ & efficaciſſimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia merita ejus erant magna, ſed mala.* Quæ verba ſanè contradicunt ſententiæ *P. Molinæ*. Ille quippe ait, gratiam prævenientem conſiſtere in illis actibus, altero ſcilicèt intellectûs, quo cogitat, atque expendit res credendas;

altero voluntatis, quo ad res credendas afficitur: qui actus adjuti per auxilium Dei conſtituunt gratiam prævenientem, ac ſubinde gratia præveniens non ſubſiſtit ſine duplici influxu noſtro: ſed *Auguſtinus* è contra à gratia, quâ Deus prævenit *Paulum*, omnem noſtrum excludit influxum; nihil enim aliud excludit, dum aſſerit, *ſola Dei erat gratia*, quàm *Pauli* cooperationem, quam requirit *Auguſtinus* ad opera illius ſubſequentia vocationem: ergo contra mentem *Auguſtini* eſt, quòd gratia præveniens conſiſtat in illis actibus.

9. Et ſanè, ſi gratia præveniens formaliter conſiſteret in illis actibus, gratia præveniens à noſtro arbitrio in ſui penderet exiſtentia; quod evidenter probat *P. Molina*, & ex ſe eſt manifeſtum, quia illa cogitatio, & rerum credendarum expenſio, cùm ſit omninò libera, à noſtro pendet arbitrio; ac per conſequens ſi in illa gratia formaliter conſiſteret, gratia præveniens à noſtro penderet libero arbitrio: quod eſſe omninò falſum, conſtantiſſimum eſt. Poſſet namque homo Deum impedire, nè ipſum vocaret: nam gratia vocans, quæ in omnium ſententia eſt præveniens, includeret illos actus, & ſine illis non ſubſiſteret, ut fatentur ipſi; ſed illos actus, cùm ſint in arbitrii poteſtate, impedire poteſt: ergo & Dei vocationem impedire valet, quod abſque injuria Dei omnipotentiæ dici non valet, cui ſoli citatis verbis *Auguſtinus* tribuit vocationem; ſic enim ait: *Ut autem de Cœlo vocaretur, & tam efficaciſſimâ vocatione converteretur, ſola Dei erat gratia, quia merita ejus erant magna, ſed mala*. Et alibi pluriès aſſerit S. Doctor, quòd poteſt Deus non conſentientibus, ſed reluctantibus, ſtudium virtutis immittere. Ex quibus falſitas ſequelæ faciliimè demonſtratur. Per hoc poſſet homo Dei vocationem, & prævenientem gratiam impedire, quia poſſet non cogitare, quàm ſint dignæ res fidei, quibus aſſenſus adhibeatur, & conſequenter ad illas non benè affici; ſed hoc non poteſt impedire poteſtatem Dei, ut hominem non præveniat, & ſuâ gratiâ vocet ad fidem: etenim multò difficiliùs eſt ſtudium virtutis immittere homini reluctanti, quàm vocare, & prævenire ad fidem hominem non expendentem, quàm dignæ ſint, ut credantur, res fidei, & ad illas non affectum: quod tamen poſſe Deum manifeſtè patet exemplo, quo rem probat *S. Auguſtinus*: nec enim voluntas magis fidei noſtræ reluctans, magiſque averſa inveniri poterit, quàm voluntas *Pauli*, ut conſtat ex Actibus Apoſtolor. cap. 9. ubi & dicitur, *quòd Sanctorum ſanguinem ſine intermiſſione ſitiebat*, & *Chriſtus* illi, *quid me perſequeris?* Quæ certè non indicant, illum priùs quàm vocaretur aliquem bonum ad res fidei habuiſſe affectum; & tamen id nullo fuit impedimento gratiæ prævenienti, Deique efficaciſſimæ vocationi.

10. Præterea: cùm non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo ſit, paritèr nec ſumus ſufficientes amare aliquid boni ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quod expreſſum eſt in ſacra Scriptura, & diſertè aſſeruit verbis relatis *M.P. Auguſtinus*: *Tamen ne ipſa voluntas ſine Gratia Dei putaretur aliquid boni poſſe*: ergo neceſſarium eſt, quòd gratia

præ-

præveniens ad fidem, vel det, vel ſupponat ſufficientiam, tùm ad cogitandum, & exponendum, quàm dignæ ſunt res fidei, ut credantur, tùm ut voluntas ad illas afficiatur: ergo gratia præveniens non conſiſtit in ſolis actibus intellectûs, & voluntatis. Rurſus actus iſti, cùm ſint diſpoſitiones ad gratiam juſtificantem, debent eſſe entitativè ſupernaturales, quia diſpoſitio etiam remota exiſtit in ordine formæ; immò cùm dicantur ipſa Dei gratia præveniens juxta *Tridentinum* ſeſs. 6. de juſtificat. cap. 5. non poſſunt eſſe naturales: ergo pro priori ad illorum elicientiam debent potentiæ iſtæ ſupponi elevatæ per aliquod principium ſupernaturale, à quo intellectus habeat ſufficientiam ad tantum bonum cogitandum, & voluntas ad illud amandum; aliàs ad cogitandum, & amandum eſſet nobis ſufficientia, non ex Deo, ſed ex nobis, quod eſt contra Apoſtolum: ergo gratia præveniens non conſiſtit adæquatè in illis actibus. Sed eſtò conſiſteret in illis inadæquatè, aliquid actus iſtos præcedens importat.

11. Deindè: præter ſufficientiam ad eliciendos iſtos primos actus, quâ, gratiâ ſeclusâ, carent iſtæ potentiæ, & illis debet eſſe ex Deo, requiritur, quòd potentiæ determinentur ad illorum elicientiam. Cùm enim intellectus, & voluntas ad illorum productionem non ſe moveant, eò quòd non ſunt deliberati, immò nec liberi juxta iſtos Auctores, deveniendum neceſſariò ad aliquod principium exterius, à quo utraque potentia moveatur, ac determinetur; quia omne, quod ſine libertate movetur, non negant ab alio moveri: atqui principium hoc exterius eſt gratia præveniens, excitans, & vocans, ut conſtat ex *Tridentino* ſeſſ. 6. cap. 5. dicente: *Declarat Sancta Synodus ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe*: & ſtatim explicans, qualis ſit gratia iſta, ait, illam eſſe gratiam excitantem, & adjuvantem: *ut, qui per peccata à Deo averſi erant, per ejuſdem excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam &c.* Ergo gratia Dei, ut principium anterius, ſeu præſuppoſitum movet ad eliciendos illos actus.

12. Prætereà rejicitur prædictus contrariorum ſenſus. Quia evidentiſſimum eſt, *Pelagium* non ſolùm gratiam iſtam non negaſſe, verùm & illam docuiſſe, ac prædicaſſe. Admiſit enim, ſub nomine gratiæ quam admittebat, exempla *Chriſti* & Sanctorum, item illuminationes quaſdam intellectûs, & voluntatis ſubitas excitationes. Conſtat apertè ex S. *Auguſtino* lib. de grat. Chriſti cap. 4., ubi dicentem inducit *Pelagium*: *Ergo in voluntate &* OPERE BONO *laus hominis eſt; imo hominis & Dei, qui ipſius voluntatis &* OPERIS *poſſibilitatem dedit, quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ ſemper adjuvat auxilio*. Cap. 10. in principio, ubi ait, *Pelagium* (ut explicaret verba *Apoſtoli* ad Philipp. 2. *Ipſe eſt enim, qui operatur in nobis velle, & perficere*) *dixiſſe*: *Operatur in nobis velle, quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodò præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitationibus ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei*

STUPENTEM SUSCITAT VOLUNTATEM, *dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne, quod bonum eſt.* Ita apud *S. Auguſtinum* gratiam præviam explicuit *Pelagius*, in qua explicatione manifeſtiſſimum eſt, illum docuiſſe gratiam conſiſtentem in cogitatione ſancta, & repræſentante objecti convenientiam, & prædicaſſe etiam gratiam, quam Auctores oppoſiti conſtituunt in motu illo ſubito voluntatis, nec aliud important verba illa, *præmiorum pollicitatione ſuccendit*, & illa, *revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei* STUPENTEM SUSCITAT VOLUNTATEM: Ergo ſi Auctores iſti non aliam gratiam prævenientem, & excitantem admittunt, quàm quæ conſiſtit in ſanctis cogitationibus, & ſubitis motibus voluntatis, contra ipſos efficaciter argui poteſt, non aliam admittere gratiam prævenientem, & excitantem, præter illam, quam *Pelagius* agnovit. Certum namque eſt, iterum dico, *Pelagium* ſanctas cogitationes, motus ſubitos voluntatis, & pias affectiones numeraſſe inter auxilia gratiæ, ut ait *M. Gonet de Hæreſi Pelagiana* diſp. 1. n. 20. tom. 4. Immò & aſſerit, *Petavium* lib. de *Pelagiana, & Semipelagiana Hæreſi* cap. 9. benè intuliſſe, adhibuiſſe *Pelagium* gratiam aliquam, quâ voluntas excitatur. Quod benè etiam colligit *M. Gonet* ex illis verbis: *Dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt, quod tu alibi negare non metuis*. Fatebatur quidem *Pelagius*, eſſe donum gratiæ auxiliantis revelationem, quæ præcisè ſpectat ad intellectum, & negabat priùs gratiam, quâ bonum ſuaderetur, quæ neceſſariò pertinet ad voluntatem; modò illam confitetur, & conſequenter numerat inter auxilia gratiæ affectum pium, ſine quo bonum non ſuadetur; quia voluntate piè non affectâ ad bonum, ſed renitente, nihil ipſi ſuaderi poteſt.

13. Nec mirum videri debet, hoſtem illum ita Divinæ gratiæ infenſum ad agnitionem illius perveniſſe gratiæ, quæ in motibus ſubitis voluntatis conſiſtit: tùm quia id diſcere potuit ex *Auguſtini* Scriptis. Tùm quia, ut notavit *M. Gonet* loco citato num. 23. hanc gratiam coactus eſt admittere poſt damnatam ipſius hæreſim à *Zozimo Papa*. Tùm deniquè, quia credibile eſt, Deum hanc gratiam, quam nec maximis quidem peccatoribus Divina negat benignitas, illi non denegaſſe, & eam in ſe expertum fuiſſe, ut videtur conſtare ex Epiſtola *Pelagii* ad *Demetriadem* in Appendice 17. aliàs 142. inter Epiſtolas S. *Auguſtini*; quæ cùm in manus S. Doctoris veniſſet ſine auctoris nomine, reſcripſit ille quamprimùm ad Demetriadis Matrem *Julianam*, reſcire cupiens, unde profecta eſſet Epiſtola illa, quâ Pelagianum errorem tradi animadvertebat. Et reverà eſſe *Pelagii* in lib. de gratia Chriſti cap. 22. & 37. indicat *Auguſtinus*. Imo ex ejuſdem libri cap. 37. conſtat, quòd ſe ipſum declaravit *Pelagius* auctorem, in ſuis ad *Innocentium Papam* litteris ſcribens: *Legant quam ad Sacram Chriſti Virginem Demetriadem in Oriente conſcripſimus, & invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei ſemper addamus auxilium*. Sic ergo Pelagius ſe loquentem inducit cap. 26. *Eſt autem tutiſſimum, atque perfectum, ut aſſueſcat animus ſollicitâ ſemper, pervigilique cuſtodiâ diſcernere cogitationes ſuas, & ad primi animi motum vel probare, vel reprobare, quod cogitat, ut*

vel

vel bonas cogitationes alat, vel ſtatim extinguat malas. Hic namque fons eſt boni, & origo peccandi, omniſque ingentis delicti in corde principium eſt cogitatio, quæ unumquodque opus velut in quadam tabula depingit antequàm faciat. Quid clariùs? Quare *P. Vazquez* 1. par. diſp. 89. cap. 4. num. 22. Et *P. Oviedo* Controverſ. 1. de grat. num. 8. *P. Ripalda* diſp. 105. ſeſs. 2. à n. 13. & diſp. 110. ſeſs. 4. *M. Lemos* tract. 1. cap. 9. *Alvarez* diſp. 1. à n. 6. *Baronius* tom. 4. diſp. 2. *M. Joan. à S. Thoma* tract. de volunt. diſp. 3. art. 3. *Albelda* diſp. 68. concluſ. 1. & 2. & alii relati à *PP. Salmanticenſibus* tom. 5. fol. 46. à n. 152. *Eminentiſſimus Aguirre* in opuſc. 1. *S. Anſelmi* cap. 114. ſect. 4. *Mag, Bolivar* de grat. Dei dub. 6. §. ultimo num. 57. *Illuſtriſſimus Caſtell* de concordia libertatis diſp. 3. q. 4. ſect. 7. num. 1230. *Mag. Aliaga* tom. 4. tract. de gratia excit. dub. 1. §. 4. fatentur, admiſiſſe Pelagium gratiam auxiliantem internam conſiſtentem non ſolùm in ſanctis cogitationibus, verùm & in ipſis affectibus, ac ſubitis motibus voluntatis, qui connaturaliſſimè ex ſanctis cogitationibus à Deo immiſſis, etiam in ſceleratis hominibus excitantur: ergo dum gratia, ſolùm præveniens, & excitans admittitur, quæ conſiſtat in ſanctis cogitationibus, & ſubitis motibus voluntatis, redit conſequentia facta, quòd eadem gratia admittitur, quam *Pelagius* agnovit prævenientem, & excitantem, & quâ minimè contentus fuit *M. P. Auguſtinus*, ut demonſtrant ipſius verba, quæ immediatè ſubjicit, cap. 10. dicens: *Quid manifeſtiùs, nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle, quod bonum eſt, quàm legem, atque doctrinam? In lege namque, & doctrina Sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quòd ſapientia* REVELATUR, *ad doctrinam pertinet, cùm ſuadetur omne, quod bonum eſt. Etſi inter docere, & ſuadere, vel potiùs exhortari, diſtare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuſcumque ſermonibus, vel litteris continetur. Nam & Sanctæ Scripturæ, & docent, & exhortantur, & poteſt eſſe in docendo, & exhortando etiam hominis operatio.* Hæc *S. Auguſtinus*, qui profectò videtur ſentire, hos pios motus voluntatis etiam ſub doctrinæ generalitate contineri. Cujus ratio ea videtur eſſe, quia nimirùm ſub doctrinæ generalitate continetur id, quod ſequitur connaturaliter ad vivacem repræſentationem boni magni: ſed ad vivacem repræſentationem tanti boni, quantum eſt gloria, connaturaliſſimè ſequitur deſiderium illius, & ſuccenſio voluntatis, quæ proculdubiò ſunt pii voluntatis motus: ergo jure meritò putavit *Auguſtinus*, *Pelagium* hos computantem motus inter auxilia gratiæ à doctrinæ generalitate non receſſiſſe. Vel de his motibus non judicavit, quia ipſe à *Pelagio* exigebat gratiam, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad benè volendum, & agendum: ſed iſti pii motus ad id non ſunt ſimpliciter neceſſarii, quare nec *Concilium Tridentinum*, nec *D. Thomas* tales motus enumerant inter actus requiſitos ad juſtificationem: ergo præter auxilia conſiſtentia in motibus piis voluntatis alia admittenda. Quare *D. Auguſt.* illam gratiam admittens, Divino afflatus Spiritu ſubdit: *Sed nos eam gratiam* vo-

volumus iſte aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur: nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur.

DUBIUM II.

In quo conſiſtat, & quid reverà ſit apud Thomiſtas gratia iſta præveniens, & excitans.

§. I.

Præmittuntur quædam ad clariorem Dubii reſolutionem.

1 PERTINERE ad gratiam Dei auxiliantem ſanctas cogitationes, quibus bona honeſta voluntati proponuntur, & pias illuſtrationes Spiritûs Sancti, cùm ſint vera lumina, & incitamenta affectuum ſupernaturalium, quæ menti, & voluntati Deus infundit ante deliberationem, & conſenſionem qualemcumque noſtram, quibus noſtræ poteſtatis eſt aſſentire, vel diſſentire, Catholicorum nullus videtur poſſe negare. Senſerunt ita omnes illi Auctores, quos citat *P. Ripalda* tom. 2. de ente ſupernaturali lib. 5. diſput. 10. 2. ſect. 1. & plures alii, qui ante & poſt *P. Ripalda* ſcripsêre de hac materia. Immo *M. Joan. à Sancto Thoma* tom. 3. in 1. part. q. 64. diſput. 24. artic. 2. num. 7. non ſolùm illas requirit ad actum, ſive ex parte actûs, ſed requiri aſſerit ex parte poteſtatis ad actum liberum. Cujus ratio eſt evidens, nam cùm inſtat præceptum charitatis, ut poſſit voluntas adimplere debitum, requiritur cognitio proponens Deum, ut ſuper omnia amabilem, quæ cognitio non poteſt non dici ſancta cogitatio, & cùm Deus illam homini largitur, magnum gratiæ ſuæ impendit auxilium. Hæc autem cogitatio, ſi tantùm ſit ſpeculativa, conſtituit poteſtatem phyſicam, non moralem, ſeu moraliter expeditam; ad poſſe enim morale requiritur illuſtratio pia, quâ cor hominis ad bonum inclinatur: ſed ad bonum inclinatur homo mediis his affectibus luminoſis, & indeliberatis, quos inſpirat Deus, & ex quibus coaleſcit gratia illa, quæ præveniens, & excitans appellatur: quòd à ſopore, neſcio quo noſtro, excitet nos, & ad Deum trahat, noſtrumque conſenſum anteveniat. Verè ergo cogitationes iſtæ ſupernaturales, quæ ſunt lumina menti infuſa, vel piorum affectuum initia voluntati inſtillata, dicuntut dona *gratiæ auxiliantis*; & *prævenientis*. *Gratiæ*, quia ſunt dona indebita; *auxiliantis*, ratione adjutorii ad conſenſum ſupernaturalem: & tandem *prævenientis*, non auxilium, à quo proveniunt, ſed conſenſum ſalutarem, ad quem excitant: ſicut dicitur de fide, quæ præcedit dilectionem, & ſubſequitur piam affectionem, cùm idem actus reſpectu diverſorum poſſit eſſe præveniens, & ſubſequens. Quare cùm cogitationibus iſtis voluntas præ-

prævenitur, & allicitur ad ſalutariter operandum, vera ſunt auxilia gratiæ prævenientis, & excitantis, ut declarat *D. Auguſt.* lib.2. de *pecc. merit.* cap.19. dicens: *Cum autem adjutorium Dei deprecamur ad faciendam, perficiendamque juſtitiam, quid aliud petimus niſi, ut appareat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat?* Idemque profert de Spir. & litt. cap.34. *Viſorum ſuaſionibus agit nos Deus, ut velimus & credamus.* Hoc ipſum claret ex *D. Proſpero* lib.2. de *vocat. gentium* cap. 9. *Gratia Dei principaliter præeminet ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando.* Quod ſanè pronuntiant *Concil. Milevit.* cap.3.definiens: *Verumque eſſe donum Dei, ſcilicet ſcire quod facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Et *Arauſican.* cap. 9. *Divini eſt muneris, cùm rectè cogitamus: & pedes noſtros à falſitate, & juſtitiâ tenemus.* Ex quibus indubitatiſſimè liquet, cogitationes hujuſmodi ſupernaturales, eſſe auxilia gratiæ Dei.

2. Motus etiam pios voluntatis annumerandos, ac reponendos eſſe inter auxilia gratiæ Divinæ certiſſimum eſt; cùm gratia excitans non ſit ſolùm ſplendor veritatis in intellectu lucens, ſed ardor calens in voluntate. Utrumque clariſſime docet *D. Auguſtinus* de grat. Chriſti cap.14. *Si enim*, inquit, *ſicut veritas loquitur, omnis, qui didicit, venit, quiſquis non venit, profectò non didicit. Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit, non autem poteſt niſi adjutum eſſe, ſi venit; & ſic adjutum, ut non ſolum quid faciendum ſit, ſciat, ſed quod ſcierit etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet non per legis litteram, ſed per Spiritûs gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* In quibus docet ſanctas cogitationes, & pios motus voluntatis pertinere ad auxilia gratiæ. Trahit namque Deus nos ad ſe per gratiam, quæ interioris hominis illuminet oculos, & excitet affectum. Hanc etiam doctrinam nobis ob oculos ponit *D. Thomas* ad eadem verba *Joan.* 6. lect. 5. ubi ſic ait: *Duo ponit, unum ſcilicèt quod pertinet ad donum Dei, cum dicit* AUDIVIT, *ſcilicet Deo revelante, aliud quòd pertinet ad liberum arbitrium, cum dicit*, ET DIDICIT, *ſcilicet per aſſenſum: & iſta duo neceſſaria ſunt in omni doctrina fidei: omnis qui* AUDIVIT *à Patre docente, & manifeſtante, &* DIDICIT, *præbendo animum*, VENIT AD ME; *venit inquam per cognitionem veritatis, per amoris affectum.* Quod tandem definiri videtur in *Concilio Milevitano* Canon.4. ubi dicitur: *Per gratiam revelari nobis intelligentiam mandatorum, darique ſimul ſcire, quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Ex quibus manifeſtè conſtat, eſſe auxilium Dei, quòd cognoſcamus bonum, ut illud velimus; & rurſus eſſe donum Dei, quòd velimus, ut faciamus; & primum eſt auxilium ad volendum, ſecundum verò, ut per auxilium adjuvemur ad faciendum, quia quod non volo, non facio: & quod non ſcio, non volo.

3. Hinc gratia excitans voluntatem plures actus voluntatis compre-

prehendit, quia omnis effectus ſupernaturalis juvans poſitivè voluntatem, illam præparat, & inclinat ad conſenſum ſalutarem. Hujuſmodi ſunt varii affectus ſupernaturales, timor pœnarum, amor beatitudinis, delectatio bonorum ſpiritualium, omniſque affectus ſimplex, & indeliberatus in ordine ad conſenſum efficacem, liberum, & abſolutum. Quò reſpexiſſe videtur *S. Proſper* lib. *contra Collatorem* cap. 14. dum ſuper illud *Joannis* 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, traxerit eum: dixit: *Si ergo nemo venit niſi attractus, omnes quocumque modo veniant, attrahuntur. Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum. Trahit timor, trahit lætitia, trahit deſiderium, trahit delectatio lectionis. Quis proſpicere, aut enarrare poteſt, per quos affectus, viſitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat, eſuriat.* Diſponitur namque voluntas, utpotè agens procedens de potentia ad actum, mediis his actibus imperfectis ad actum perfectum dilectionis, & contritionis. Unde meritò dicuntur gratia inſpirationis. Cùm affectus iſti Fidei, timoris, ſpei, pœnitentiæ, amoris, aliarumque virtutum ſupernaturalium ſint præfeſtini quidam veluti radii, & primi motus, quibus Deum ſuſpicimus, ut liberatorem noſtrum, ut exorabilem pœnitentibus, & vindicem impœnitentium, ut fontem juſtitiæ, ſummum bonum noſtrum, & æternam fœlicitatem. Quibus ſtatutis, ſint pro reſolutione dubii, ſequentes aſſertiones.

§. II.

Prima Conclusio.

Præter & ultra auxilia gratiæ, conſiſtentia in actibus intellectûs & voluntatis, requiritur auxilium, quo Deus efficiat tantas cogitationes, & ſubitos motus voluntatis, quibus piè afficitur ad bona honeſta; & ulteriùs auxilium ad agendum juxta hujuſmodi cogitationes, & motus.

4 SUper his quæſtionem ex inſtituto movens Concilium Arauſicanum II. can. 20. ſic dicit: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo.* En ubi Concilium diſtinguit bona, quæ fiunt in homine, & non fiunt ab homine, à bonis, quæ fiunt in homine, & quæ facit homo, Deo faciente, ut ipſe faciat; ſed bona illa, quæ homo non facit, & in illo fiunt, alia eſſe non poſſunt, quàm auxilia à Deo homini impreſſa, ad quæ proinde merè ſe habet homo paſſivè, etenim ad actus tàm neceſſarios, quàm liberos merè paſſivè non ſe habet, ſed illos activè operatur: ergo dantur auxilia hujuſmodi actus præcedentia à Deo unicè procedentia, & in homine recepta. Vel aliter: omnia bona, quæ ſunt in homine conducentia ad ſalutem dividit Concilium in bona illa, quæ fiunt in homine ſine efficientia hominis, id eſt, quæ non facit homo, & in illa bona,

bona, quæ facit homo, Deo faciente, ut homo faciat: ſed actus iſti neceſſarii, ſancta nempe boni cogitatio, & affectus ſubitus ad bonum, bona ſunt, quæ exiſtunt in homine, & ad ſalutem conducunt: ergo ſub altero diviſionis membro præcontinentur; ſed non præcontinentur ſub primo, quia Deus facit, ut illos faciat, & ipſe eſt, qui docet hominem ſcientiam, & qui facit, ut homo bonum ſalutare amet: ergo bona illa, quæ fiunt in homine, & homo non facit, ſunt auxilia prævenientis gratiæ orta à Deo, ad quæ homo purè paſſivè ſe habet.

5. Hoc ut evidentiùs ex verbis Concilii demonſtremus, maximè notandum, quòd in illis verbis, *Multa bona fiunt in homine, quæ non facit homo*; Concilium intelligit tàm dona gratiæ ſanctificantis, virtutes infuſas, & dona Spiritûs Sancti, quàm illud primum auxilium ſimpliciter tale intra ordinem gratiæ, quod in voluntate humana imperfectos excitat actus, cum piis illuſtrationibus alliciendo ad bonum, ſuadendo pietatis opus, & ipſam excitando; quæ bona Deus operatur in nobis ſine nobis efficientibus; cùm ante omnem actum intellectûs, & voluntatis præcedat auxilium intrinſecum à ſolo Deo infuſum, juxta quem ſenſum accipienda ſunt verba Concilii, *Multa bona fiunt in homine, quæ non facit homo*. Si verò conſiderentur omnia alia bona, quæ fiunt in homine, hæc ſanè facit homo, cui Deus præſtat ut faciat. Præſtat velle ſubitum, & indeliberatum, quod licèt non ſit à voluntate liberè, & meritoriè operante, eſt tamen ab ipſa elicitivè; cùm voluntas, præveniente illo primo auxilio, ſufficienter conſtituatur in ratione principii phyſici, & realis illorum actuum, etſi ad illos non ſe moveat applicativè. Præſtat Deus & ipſum velle liberum, & deliberatum, & omnia, quæ ſalutariter operatur in homine, de quibus & veriſſimè dicitur, *Nulla facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo*; cùm homo verè operetur, cùm Deus facit ipſum operari; vult liberè, cùm Deus facit ipſum velle, ſintque omnia bona, quæ facit homo, dona Dei, ut dicit *Auguſtinus* ibidem cap. 10. n. 23. *Sic itaque Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonæ mutationis ſuæ uſque in finem conſummationis, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia ſicut nemo poteſt bonum perficere ſine Domino, ſic nemo incipere ſine Domino*. Illud ergo primum auxilium, quo Deus primò intellectum illuſtrat, & voluntatem excitat, eſt auxilium illud, quod fit in nobis ſine nobis; quia nempè medio illo elevatur homo, & intrinſecè conſtituitur potens ſanctam cogitationem elicere, quâ nempè auxiliatur, & excitatur ipſe, excitatione formali, & in actu ſecundo, quæ tamen non ei, ſed gratiæ Dei attribui debet; cùm illa non ſit ab homine virtute propriâ, ſed per donum gratiæ ipſum intrinſecè elevantis, & per modum actûs primi ipſum auxiliantis, quam prætendimus eſſe realiter diſtinctam à piis cogitationibus, & indeliberatis voluntatis affectionibus.

6. In eumdem planè ſenſum loquitur Cœleſtinus I. ad Epiſcop. Galliæ dicens: *Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit*: ſed hos motus intellectûs, & voluntatis non

cauſat Deus per concurſum à voluntate creata determinatum, nam cùm voluntas ad illos non ſe determinet, quia ſunt neceſſarii, nec poteſt concurſum Dei determinare: ergo cauſat illos Deus concurſu prædeterminante, qui proinde debet eſſe prior, & illos naturâ, & cauſalitate antecedere.

7. Probatur 2. ex *D. Auguſtino* de grat. & lib. arb. cap. 5. ubi illa verba *Pauli* ad Cor. 15. NON EGO AUTEM, SED GRATIA DEI MECUM, ſic exponit: *ideſt non ſolus, ſed gratia Dei mecum, ac per hoc, nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Ut autem vocaretur, & tàm magnâ, & efficaciſſimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola.* Ex quibus fit argumentum. Nullus actus elicitus ab intellectu, aut à voluntate ita eſt gratiæ, ut intellectus, aut voluntas per illum gratiæ Dei non ſit cooperans, id eſt omnis actus elicitus à voluntate, aut intellectu eſt ſimul à Deo, & ab homine mediâ aliquâ ex his potentiis; quæ propoſitio eſt ex terminis nota; cùm actus, quo homo conſtituitur intelligens, & volens, eſtò ſit gratia, & auxilium ad actum ſubſequentem, eſt tamen elicitivè ab homine: nec enim eſt intelligibile, quòd homo ſaltem de potentia ordinaria conſtituatur intelligens, aut volens per actum à ſe non elicitum; undè in omni actu à ſe elicito homo Deo cooperatur, ac proindè à Deo ſimul, & ab homine ſimul cauſatur; ſed *Auguſtinus* aſſerit, eſſe aliquam gratiam auxiliantem, quæ non ſit ab homine ſimul cum Deo operante: ergo eſt aliqua gratia auxilians, quæ non ſit actus intellectûs, aut voluntatis. Min. expreſsè traditur ab *Auguſtino* illis verbis, *Gratia Dei erat ſola*: nam *Auguſtinus* clariſſimè diſtinguit hæc tria, nimirùm, & quòd nec *Paulus* ſolus, id eſt, nec *Paulus* ſine gratia, nec gratia ſola, id eſt, nec gratia ſine *Paulo* ad labores illos ſuſtinendos concurrerint; & tandem aſſerit, quòd ad hoc, ut *Paulus* vocaretur, & converteretur, gratia Dei erat ſola: ergo aliquis effectus correſpondet ſoli gratiæ, ad quem effectum *Paulus* non eſt cooperatus, ſed purè ſe habuit paſſivè, ut mobile reſpectu motoris. Quæ gratia abſque ulla controverſia, eſt auxilium prædeterminans, quo Deus movet hominem, vel ad ſanctam cogitationem, vel ad volitionem rectam, & ad quod homo ſe habet purè paſſivè, tametſi illo ſuppoſito, ſtatim Deo cooperetur. Quod argumentum efficaciſſimum eſt, maximè contra PP. Societatis, *Illuſtriſſimum D. Caſtell*, & alios agnoſcentes reſpectu primi velle liberi, veram gratiam cooperantem, quam conſequenter debent ſtatuere relate ad velle ſubitum, cùm verè eliciatur à voluntate.

8. Concinit *S. Auguſtino D. Thomas* 1. ad Corinth. cap. 19. lect. 1. ubi explicans eadem verba *Pauli*, præſertim ad illa: *Gratia ejus in me vacua non fuit: tertiò oſtendit*, inquit *D. Thomas*, *uſus efficaciam, quia hoc non à ſe ſolo, ſed ex inſtinctu, & adjutorio Spiritûs Sancti, & ideo dicit, non autem ego ſolus operor, ſed gratia Dei mecum, quæ movet voluntatem ad hoc.... Deus enim non ſolùm infundit gratiam, quâ noſtra opera grata fiunt, & meritoria, ſed etiam movet ab benè utendum gratiâ infusâ*; quibus clariſſimè docet S. Doctor, gratiam, quâ

Deus

Deus movet voluntatem ab benè utendum gratiâ habituali, præcedere bonum uſum, ſicut applicatio potentiæ ad opus præcedit opus, & ab eo diſtinguitur. Undè gratia illa dicitur inſtinctus, & adjutorium; nemo autem adjuvatur ad opus per ipſum opus, ſed per aliud, ex quo homini adjuto datur aut virtus, aut applicatio virtutis ad opus, ut videtur ex ſe notiſſimum: ſed ad ſanctam quamlibet cogitationem, & ad quemlibet pium affectum movet Deus hominem per inſtinctum, & adjutorium Spiritûs Sancti: ergo gratia hæc, hic inſtinctus, & hoc adjutorium diſtinctum quid eſt à ſancta cogitatione, & pio voluntatis affectu.

9. Hoc iterùm expreſſit *D. Auguſtinus* de grat. & liber. arbitr. cap. 17. dicens: *Ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, propter quod ait Apoſtolus, certus ſum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. Ut ergo velimus ſine nobis operatur, cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Quibus ſi adjungas doctrinam *S. Thomæ* 1.2. q. 111. art. 2. quæ ex hac *Auguſtini* deſumpta eſt, efficax ſit argumentum. Gratia, quâ Deus movet voluntatem ad primum actum, ſive intellectum ad primam cogitationem, & quæ dicitur gratia operans, diſtincta eſt à gratia, quæ eſt ſancta prima cogitatio, & prima volitio recta; tùm quia effectus realiter à ſua cauſa diſtinguitur, & cogitatio ſancta prima, & primus motus rectus voluntatis ſunt effectus illius gratiæ: tum quia, ut ait *D. Thomas* q. citata art. 3. in corpor. *Et ideò gratia, ſecundùm quod cauſat in nobis primum effectum, vocatur præveniens*: ergo gratia operans, ſeu præveniens eſt cauſa primæ vocationis ſanctæ, & primi affectûs pii, ac per conſequens diſtinguitur ab eis.

10. Rem eandem, eandemque doctrinam expedivit *D. Thomas* ſuper illa verba *Job* cap. 32. *Ut video, ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Quæ *D. Thomas* ibi lect. unic. ſic docet, eſſe intelligenda: *Spiritus Dei eſt in hominibus, in quantùm ſcilicet in eis operatur, & hoc eſt, quod ſubdit, & inſpiratio Omnipotentis. Quæ ſcilicet hominibus inſpirat Spiritum Sanctum, qui eſt Spiritus ſapientiæ, & intellectus. Dat intelligentiam, ſcilicet veritatis, quæ eſt ſapientiæ principium, iis, quibus inſpirat. Quod autem hæc inſpiratio ſit ſapientiæ præcipua cauſa, oſtendit per hoc &c.* de qua inſpiratione Omnipotentis aſſerit *D. Thomas* 1.2. q. 68. art. 1, *inſpiratio ſignificat quamdam motionem ab exteriori.* Modò ſic argumentor: inſpiratio proveniens à *Spiritu Sancto* dans, & cauſans cogitationem ſanctam, neceſſariò debet præcedere ſanctam cogitationem, & ab illa realiter diſtingui: ſed ad quamlibet ſanctam cogitationem habendam requiritur inſpiratio proveniens à *Spiritu Sancto* dans, & cauſans illâm: ergo requiritur inſpiratio *Spiritûs Sancti* ſanctam cogitationem præcedens, & ab illa realiter diſtincta; ſed inſpiratio iſta auxilium eſt: ergo ad ſanctam cogitationem requiritur aliquod auxilium à ſancta cogitatione diſtinctum, & præcedens. Totus hìc diſcurſus habetur in verbis laudatis *D. Thomæ*. Nam ſancta cogitatio eſt intelligentia veritatis, quam ut

vera, & præcipua cauſa dat inſpiratio Omnipotentis, quæ eſt motio proveniens ab exteriori, id eſt à *Spiritu Sancto*: & cùm ſit principium per ſe notum apud Philoſophos, cauſam præcedere effectum, & ab eo realiter diſtingui, manifeſtè convincit, ad ſanctam cogitationem requiri aliquod auxilium ab ea diſtinctum, & præcedens.

11. Sed ut nulla de mente *D. Thomæ* maneat dubitandi ratio, audiamus ipſum Joan. 3. lect. 5. ſic loquentem: *Gratia, quâ Deus nos trahit, non eſt ſolùm illuminatio interior, ſed motio, & inſtinctus Dei movens, & impellens cor hominis*. Et ad Rom. 8. lect. 3. ibi: *Homo autem ſpiritualis non tantùm inſtruitur à Spiritu Sancto, quid agere debeat, ſed etiam cor ejus à Spiritu Sancto movetur*. Quæ ad evidentiam demonſtrant ſentire *D. Thomam*, neceſſariam eſſe aliam gratiam moventem cor hominis ad agendum honeſtè, & ad pios, meritorioſque affectus eliciendos, hancque eſſe à ſanctis cogitationibus, piiſque affectibus realiter diſtinctam. Sint pariter in confirmationem, quæ docet S. Doctor 1. 2. q. 109. art. 1. ubi ad elicientiam cognitionis ſupernaturalis auxilium requirit, dicens: *Ad illius elicientiam indigere hominem lumine ſuperaddito naturæ per modum virtutis gratuitæ*. De quo lumine aſſerit in 2. diſt. 28. q. 1. art. 5. *eſſe lumen gratiæ gratis datæ*; ſed in his loquitur S. Doctor de principio ad actualem cognitionem; ergo principium hoc eſt diſtinctum ab ipſa actuali cognitione. Rurſus q. 110. art. 2. aſſerit, quòd *gratia auxilians in communi eſt gratuitus effectus Divinæ voluntatis, per quem mens hominis, & ejus voluntas, moventur ad aliquid cognoſcendum, volendum, & agendum*. Sed motio moventis præcedit naturâ, & cauſalitate motum mobilis, & terminum, ad quem movetur: ergo auxilium hoc realiter diſtinguitur ab actibus, ad quos movet. Et tandem q. 112. art. 2. ait: *Si loquamur de gratia ſecundùm quod ſignificat auxilium Dei moventis, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quaſi præveniens Divinum auxilium, ſed potiùs quæcumque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum*; ſed illi actus, cùm ſint diſpoſitiones ad juſtificationem, præparant hominem ad illam: ergo ſunt effectus gratiæ, quæ proindè debet effectus illos præcedere.

12. Tertiò probatur, & ſanè efficaciter concluſio per partes. Et primò quidem, quòd ad omnes motus voluntatis requiratur auxilium ab ipſis diſtinctum, dixi ab ipſis diſtinctum, quia non negamus hos motus aliquatenus eſſe auxilia, ſed dicimus, ad hujuſcemodi motus requiri alia diverſæ rationis auxilia. Quod conſtat tum ex illo *Joannis* 15. *Sine me nihil poteſtis facere*. Tum quia licèt actus prior poſſit dici, & eſſe auxilium reſpectu poſterioris, reſpectu verò ſui auxilium non eſt, quia auxilium eſt cauſa actûs, & actus non eſt cauſa ſui ipſius. Quo ſuppoſito, ſic probatur. Et primò quidem ſi motus pii ſint liberi. Omnis namque motus (ultra motus neceſſarios) voluntatis pius & liber, eſt meritorius, ſaltem ſecundùm quid, & eo modo quo *D. Auguſtinus*, & *S. Proſper* arguentes contra *Pelagianos*, & *Semipelagianos* arguebant, quòd ſi aliquid præcedit gratiam, hoc erit meritum illius, de quo *S. Pro-*

ſper

ſper contra *Collatorem* lib.3. & *Auguſt.* lib.11. de Civit. cap.28. ſed ad omnem actum meritorium requiritur auxilium ab ipſo actu diſtinctum: ergo ultra motum liberum voluntatis aliud requiritur auxilium. Min. conſtat primò, quia ad actum liberum meritorium indiſpenſabiliter aliquod requiritur auxilium: ſed motus neceſſarius voluntatis non eſt indiſpenſabiliter requiſitus: cùm neceſſarium ſimpliciter minimè ſit ad actus liberos ſalutares, quòd præcedant actus ſubiti, etſi in natura lapſa regulariter præcedant: ergo aliud ab illo auxilium requiritur. Secundò, quia vel iſte motus neceſſarius infert infallibiliter actum meritorium, vel relinquit voluntatem indifferentem, & componibilem cum omiſſione actûs? Si hoc ſecundum dicatur, ſe tenet ex parte actûs primi, & dicetur adjuvare poſſibilitatem, ſeu potentiam complere, non tamen actum dabit; & in præſenti nobis ſermo eſt de auxilio actûs, ſeu dante actum, non tamen de auxilio adjuvante poſſibilitatem, quod, ut fuſiùs dicemus, admiſit *Pelagius*, nec tamen acquievit *Auguſtinus*. Si autem hic motus necesſarius voluntatis connectitur, & infert actum infallibiliter, libertatem actûs, ad quem datur, omninò evertet; quia eſt ſuppoſitio connexa ſe tenens ex parte actûs primi, & non exiſtens ex dominio, aut determinatione libera voluntatis, ſed illam antecedens, & necesſariò cauſans. Maximè quidem in principiis adverſariorum, ſuppoſitio connexa, & non exiſtens ex dominio, aut determinatione libera voluntatis, ſed illam antecedens, deſtruit libertatem: quarè rejiciunt AA. contrarii communiter actum imperii, quem omnes Thomiſtæ admittunt, & illum rejiciunt, ut inimicum libertatis, etſi actus imperii totam ſuam efficaciam, & connexionem cum uſu habeat ex electione, quæ eſt actus liberrimus voluntatis: ergò multò magis officiet libertati motus neceſſarius voluntatis, ſi aſtruatur connexus cum actu, quia ex libertate non deſcendit.

13. Non ſolùm hoc, ut certum admitti debet quoad actus voluntatis, ſed idem dicendum de ſanctis cogitationibus, ultra quas aliud requiritur auxilium. Nam iſta ſancta cogitatio, vel eſt omninò determinata, & bonum proponens cum omnimoda determinatione, non ſinens apparere aliquam convenientiam in omiſſione actûs, & proſecutione objecti contrarii: aut non ità; ſed objectum ſuum cum aliqua indifferentia repræſentat, ità ut appareat aliqua convenientia in omiſſione actûs, aut in proſecutione objecti contrarii? Sancta cogitatio primo modo determinata non poteſt eſſe auxilium actûs liberi, ſivè ad actum liberum: quia judicium ſivè apprehenſio boni omninò determinata, ac nullatenùs indifferens, infert actum, non liberum, ſed neceſſarium: quia ubi motivum adæquat capacitatem proximam ſui mobilis, non poteſt naturaliter actus non ſequi: at bonum Divinum propoſitum per cognitionem determinatam, & ſub pura ratione boni, adæquat hìc & nunc capacitatem proximam ſui mobilis, ſivè voluntatis: ergò ſtante illâ repræſentatione non poteſt naturaliter non ſequi actus. Quæ ratio conſtat in motibus primò primis voluntatis, qui ex vi cognitionis determinatæ, & ſine indifferentia proponentis, naturaliter conſequuntur,

tur, & non conſequi eſſet miraculum. Si verò ſancta cogitatio ſit indifferens: rursùs inquiro, vel eſt liberè concepta ab intellectu, vel non ita, ſed eſt à Deo infuſa? Si liberè concepta: igitur debet aſſignari auxilium antecedens, quô voluntas confortetur, ut intellectum moveat ad formandam, ſeù concipiendam talem ſanctam cogitationem; ac per conſequens aliud auxilium ab ea diſtinctum; ac proindè ipſa non ſufficit. Si verò intellectus illam non concepit ex determinatione voluntatis, ſed à Deo illam accipit infuſam, requiritur *inſpiratio Omnipotentis, quæ det intelligentiam hanc veritatis*, ut ſuprà ex verbis *Job* intulimus, ſed hæc inſpiratio eſt diſtincta à ſancta cogitatione; cùm ſit illius cauſa, & motio quædam ab exteriori, ut ex *D. Thoma* diximus ſuprà num. 10. ergò requiritur aliud auxilium illam antevertens.

14. Luculentiſſimè etiam oſtenditur veritas ſecundæ partis noſtræ concluſionis, quæ procedit de auxilio illo, qùo Deus facit, ut faciamus: ſed cognitio ſancta indifferenter proponens objectum honeſtum nobis non donat ſe ſolâ conſenſum, ſeù actum ſalutarem: cùm ab ipſa nihil influat in voluntatem ut ad aſſenſum impellat; ſicut lumen oculum ſubit, recreat, invitatque ad videndum; at voluntati nihil adjicit, ut eam impellat, quò luce frui velit: ergo neceſſarium eſt aliud auxilium à ſancta cogitatione diſtinctum, quod immediatè in voluntatem agat, illam excitet, ut velit & faciat, & inſuperabiliter ad actum applicet. Hoc ſequenti diſcurſu enitens eſt magis. Sancta cogitatio conſtituens poteſtatem ad actum, & ejus omiſſionem, etſi aliquando magis inclinet ad actum, non donat conſenſum, ſivè actum ſalutarem: poteſt namque cogitationem iſtam voluntas repellere, divertendo intellectum, ne de tali objecto cogitet, ut etenim dixit *D. Thomas* 1. 2. q. 77. num. 2. *Nihil prohibet aliquid ſciri in habitu, quod tamen actu non conſideratur*: quare conſtituit poteſtatem ad actum, non tamen connectit voluntatem cum actu; alioquin non poſſet illam repellere intellectum divertendo; ſed ſancta cogitatio ità conſtituit potentiam ad actum, ut maneat indifferentia ad ejus omiſſionem, etſi aliquando magis inclinet ad actum: ergò illa non dat ſe ipsâ conſenſum ſalutarem; implicat enim contradictionem donare actu conſenſum, & carentiam conſensûs conjungi cum auxilio actu dante conſenſum; ſed cum illa cognitione poteſt conjungi carentia conſensûs, vel ſaltèm illam poteſt voluntas repellere; ac per hoc facere, quòd illa non influat in conſenſum: ergò quamvis talis cogitatio, ſeù judicium indifferens conſtituat actum primum, ſeù poteſtatem, aliud requiritur auxilium donans conſenſum ſalutarem: quare exclamat *Auguſtinus* de corrept. & grat. cap. 10. *ſubventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut Divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur*. Et, ſi voluntati non præſtat auxilium *ſine quo non*, quod non declinet, aut ſeparetur ab actu, quomodò hoc præſtare poterit voluntati cogitatio ſancta; indifferenter proponens objectum? Quomodò mediâ ipsâ agi poteſt indeclinabiliter ad objectum, & inſuperabiliter ad actum, quando, ut expreſsè docet *D. Thomas*, adhuc illâ ſuppoſitâ, poteſt intellectus de objecto non cogitare, illamque cogitationem repellere?

15. Ma-

15. Manifeſtiſſimum hoc iterum fit: Quia nullum objectum poteſt movere voluntatem quoad exercitium, faciendo ſcilicet, quòd voluntas conſentiat, immò nec ullum objectum, ſi proponatur per cogitationem indifferentem, illam neceſſitat objectivè; quia cùm voluntas ſit capax omnis boni, à bono particulari non movetur ſufficienter: unde illô propoſitô, poterit voluntas quòlibet declinare, & ab actu illius proſecutivo ſeparari, conjungique cum fuga, aut omiſſione. Sic præter motionem objectivam, quâ allicitur voluntas, ad exiſtentiam conſenſûs requiritur aliquid aliud, quo voluntas ex parte ſubjecti moveatur, ſivè quô moveatur ſubjectivè, & quoad exercitium actûs, ut docet *D.Thomas* 1. 2. q. 9. art.4. in corp. ibi: *Dicendum, quòd ſecundùm quòd voluntas movetur ab objecto, manifeſtum eſt, quòd moveri poteſt ab aliquo exteriori: ſed eo modo, quo movetur quantùm ad exercitium actûs, adhuc neceſſe eſt ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri.* De qua motione rursùs in eadem quæſtione art. 6. ad 3. ait: *Deus movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle.* Ergo ſi hæc ſancta cogitatio non movet ſubjectivè, & effectivè, quod ita eſt certum apud AA. contrarios, ut actum imperii negent ex eo, quòd habet efficaciam effectivam, & voluntatem effectivè applicat, & determinat ad unum, à fortiori huic ſanctæ cogitationi negandum, quòd moveat ex parte ſubjecti, seù quoad exercitium actûs; cùm ex alia parte negari non poſſit, quòd ſe teneat ex parte actûs primi, & poteſtatis; ergò ut exiſtat ſalutaris conſenſus, requiritur aliud auxilium diſtinctum à ſancta cogitatione.

16. Utrumque expreſſit *D. Auguſtinus* lib. 1. de prædeſt. Sanctor. cap. 8. dicens: *Multos venire videmus ad filium, quia multos credere videmus in Chriſtum, ſed ubi, & quomodò à Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus. Nimirùm gratia iſta ſecreta eſt, gratiam verò eſſe, quis ambigit?* Sed nec Sanctæ cogitationes, nec pii affectus voluntatis, quibus movetur homo, ut veniat ad *Chriſtum*, ſunt aliquomodò gratia ſecreta, cùm utramque gratiam experiatur homo: quâ ratione homines piis ſuis in confeſſionibus, eò quòd huic gratiæ non obedierint, ſe lamentabiliter accuſant: ergo alia gratia admittenda eſt occultior, & magis ſecreta. Eſt namque certum, quòd tam audiens, quàm diſcens, clarè, ſaltèm in exercitio, agnoſcit ſe audire à Patre, & videt, ſe diſcere, juxta illud Pſalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem*: eò quòd audire eſt percipere intelligibiliter verba loquentis, & diſcere eſt dictis aſsentire; quod fieri non poteſt aliter quàm cognoſcendo id, quod ab alio dicitur, & rei cognitæ præſtando aſsenſum, vel evidentem, ſi clara fiat demonſtratio, vel per piam affectionem, ſi quod locutione innoteſcit, obſcurum ſit: ſed affectum quoquè voluntatis, quo ad *Chriſtum* itur, homo in ipſa ſui mutatione ſentit: ergò in his nihil eſt occultum audienti, & diſcenti: ergo gratia illa ita ſecreta, quâ audientem Deus facit addiſcere, aliquid aliud diſtinctum eſt ab actibus intellectûs, & voluntatis:

nem-

nempe gratia illa gratis data, quâ Deus immutat liberum arbitrium, quâ in nobis cauſat & ſanctas cogitationes, quibus illuminatur intellectus, & pios voluntatis affectus; ut videat quæ agenda ſunt, & quæcumque viderit, opere perficiat.

§. III.

Solvuntur argumenta.

17. PRimò auctoritatem Sacri *Concilii Tridentini* nobis opponunt aſſerentis ſeſs. 6. cap. 5. quòd gratia excitans *eſt illuminatio Spiritûs Sancti, per quam Deus tangit cor hominis*; ſed illuminatio tangens cor hominis conſiſtit in actuali cognitione; cùm non tangatur à Deo, niſi mediâ actuali cognitione fiat oſtenſio illius, quod eſt proſequendum, vel fugiendum: ergo gratia excitans conſiſtit formaliter in actibus intellectûs, & voluntatis. Id confirmatur ex eo, quòd *Tridentinum* gratiam excitantem vocat vocationem internam; ſed vocatio interna conſiſtit adæquatè in actibus intellectûs, & voluntatis: ergo. Min. prob. quia vocatio interior eſt loquutio interna, quâ Deus loquitur ad cor; ſed talis loquutio conſiſtit in actuali cognitione, quâ Deus occulta ſua viſibilia oſtendit: ergo vocatio interior conſiſtit formaliter in actibus intellectûs & voluntatis.

18. Hæc urgent vividiùs ex *Concilio Milevitano* cap. 3. gratiam Dei, quâ nos prævenit exprimente per hoc quod eſt *ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus*. Sed hæc expreſsè ſignificant actus intellectûs, & voluntatis: ergo in his actibus adæquatè conſiſtit gratia præveniens, quâ Deus primò ad ſe homines vocat. Quod inſuper ſpecioſiùs ſuadent eo, quòd SS. PP., ut ſuprà vidimus, gratiam, quâ Deus trahit homines ad ſe, explicant per actus intellectûs, & voluntatis: quod efficaciter probat gratiam excitantem conſiſtere in actibus intellectûs, & voluntatis.

19. Hæc tamen levia ſunt, & ab omnibus ſolvenda: quippè manifeſtè inſtatur argumentum in dono prophetiæ, quod ſignificatur his nominibus, *inſpiratio*, *loquutio*, *tactus*, & *illuſtratio mentis* Prophetæ. Conſtat ex Epiſtola 2. D. *Petri* cap. 1. ubi dicitur: *Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines*. Et *Job* cap. 32. dicitur: *Inſpiratio Dei Omnipotentis dat intelligentiam*, & tamen donum propheticum conſiſtit per ſe primò, non in cognitione, ſed in lumine intrinſecè elevante mentem Prophetæ, & per modum principii realiter influente in illam: ergo ex quo gratia excitans dicatur *inſpiratio*, *illuminatio*, non probat, quòd conſiſtat adæquatè in actibus intellectûs, & voluntatis. Id pariter videre eſt in lumine Fidei, quòd eſt illuſtratio ſupernaturalis per modum virtutis à Deo infuſæ, & in lumine gloriæ de facto præcedenti per modum principii viſionem Dei; & tamen non conſiſtunt formaliter in actuali cognitione: ergo quòd gratia præveniens

niens dicatur *illuminatio*, non ſequitur, quòd formaliter conſiſtat in cognitione. Ad argumentum ergo reſpondetur, diſtinguendo minorem; ſed illuminatio tangens cor hominis conſiſtit in actuali cognitione, tangens cauſaliter, & per modum actûs primi neg. min. per modum actûs ſecundi, conc. min., & neg. conſeq. Duplex quippè diſtingui debet illuminatio interna; alia cauſalis, & per modum actûs primi: alia formalis, & per modum actûs ſecundi. Prima illuminatio fit mediô auxiliô elevante intrinſecè intellectum per modum principii ad eliciendam ſanctam cogitationem. Secunda illuminatio in ipſa cognitione conſiſtit. Per auxilium eam præcedens tangit Deus cor hominis contactu cauſali, & per modum actûs primi; formaliter verò, & per modum actûs ſecundi contactus fit à Deo per ſanctam cogitationem. Eo nempè modo, quô lumine prophetico tangit Deus mentem Prophetæ, quarè à SS. PP. prophetia *tactus mentis* definitur: & tamen, ut ſuprà diximus, lumen prophetiæ in actu cognitionis non conſiſtit: cùm ipſa actualis perceptio ſubſequatur ad lumen menti Prophetæ infuſum: ut luculenter explicat *D. Thomas* 2. 2. q. 171. art. 1. ad 4. in prophetia diſtinguens elevationem mentis ad percipienda Divina, & ipſam actualem perceptionem rerum Divinarum. Elevatio mentis fit à Spiritu Sancto movente; & quantum ad hoc, ad prophetiam requiritur inſpiratio: poſtquàm autem mens elevata eſt ad ſuperna, percipit Divina, in qua cognitione perficitur prophetia. Ergo etſi, poſtquàm mens elevata eſt lumine ſupernaturali, datur actualis perceptio, in actu cognitionis conſiſtens; inſpiratio tamen formaliter non conſiſtit in actu, quô homo percipit, & afficitur ad Divina, ſed in lumine prævio.

20. Eâdem ſolutione præcavetur confirmatio argumenti, negando minorem. Vocatio namque & pulſatio unicè fiunt à vocante, & pulſante. Quarè ſi gratia excitans eſt formaliter vocatio, & pulſatio, non in actibus intellectûs, & voluntatis, qui effectivè producuntur ab his potentiis, ſed in aliquo prævio, à ſolo Deo proveniente, conſiſtere debet. Enimverò priùs eſt Deum nobis loqui, quàm quòd nos audiamus Deum loquentem; cùm nequeat Deus denominari nobis loquens per id ipſum, quô denominamur Deum audientes. Quarè Pſalm. 82. inquit Propheta: *Audiam, quid loquatur in me Dominus*. Quibus exprimit loquutionem Dei præviam eſſe ad cognitionem rei loquutæ. Id ipſum inſuper firmatur ex illo *Ezechielis* 2. *Fili hominis ſta ſuper pedes tuos*. En elevatio mentis, ut obſervat *D. Thomas*. *Poſtquam autem ingreſſus eſt in me ſpiritus, audivi*. En perceptio & divinorum cognitio ſubſecuta ad lumen. Videndus *D. Thomas* q. 12. de verit. art. 1. diſtinguens hæc duo, Deum loqui ad Prophetam, & Prophetam percipere Dei loquutionem, quorum primum fit per infuſionem luminis mentem illius elevantis ad talem cognitionem; ſecundum verò conſiſtit in ipſa prophetica cognitione, quâ intellectus Divina percipit.

21. Teſtimonium, quod objicitur ex Concilio Milevitano, facilem etiam intelligentiam habet; gratia enim excitans conſiſtit in oſtenſione cauſaliter, & per modum actûs primi, illius, quod facere debemus,

non tamen in oſtenſione formali, & per modum actûs ſecundi: cùm præcedere debeat gratia excitans talem cognitionem: licèt verum ſit, quòd cùm ſolùm præcedat prioritate à quo, & ſit neceſſariò connexa cum tali cognitione, nuſquàm exiſtit, quin intellectus ſaltèm indeliberatè cognoſcat, & voluntas piè afficiatur affectione indeliberatâ: cùm enim gratia iſta ſit illuminatio, dùm Deus in nobis producit lumen internum, nos illuminat. Eâdemque doctrinâ repellitur, quod ultimò dicitur, quòd gratia excitans explicatur à SS.PP. per actus intellectûs, & voluntatis. Primò non omnes ita gratiam excitantem exponunt, cùm plures aſſerant conſiſtere in auxilio elevante potentiam ad elicientiam ſanctæ cogitationis. Sic expreſsè *D.Proſper*, qui ut explicet modum, quô gratia homines convertit, eleganter cecinit:

Non hoc conſilio tantùm, hortatuque benigno
Suadens, atque docens, quaſi normam legis haberet
Gratia, ſed mutans intùs mentem, atque reformans,
Vaſque novum ex fracto fingens virtute creandi.

Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de adorat. exponens illud Geneſ. 13. *Angeli miſerunt manum, & introduxerunt ad ſe Lot*, ſic ipſe ait: *Manifeſto argumento tibi hoc eſſe poteſt, nos non verbis ſolùm excitari, & adhortationibus menti immiſſis, ut à peccato diſcedamus, ſed tantâ benignitate erga nos uti ſervatorem totius Univerſi Deum, ut actu ipſo, efficaciterque nobis præſtet auxilium, ſecundùm quòd ſcriptum eſt: Apprehendiſti manu dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me. Cùm enim humana natura non ſatis valida eſſet, neque per ſe ſufficit, ut malum effugere queat uno quidem modo nobis contendit Deus, dupli-cique beneficio afficere cognoſcitur, admonitionibus nimirùm perſuadens, & ſubſidium præſtans fortiùs, quàm, ut ab impediente, aut imperante malum ſuperari poſſit.* Hæc *Cyrillus* in edit. *Baſileæ* tom. 2. col. 425. circa finem. Teſtatur hoc D. *Bernardus* ſerm. 1. Pentecoſtes, his verbis: *Multi monentur, ut benefaciant, ſed minimè ſciunt, quid agendum ſit, niſi adſit denuò gratia Spiritûs Sancti, & quam inſpirat cogitationem, doceat in opus proferre, nè vacua in nobis ſit gratia Dei. Propterea non ſolùm moveri, & doceri, verùm etiam moveri, & affici ad bonum neceſſe eſt, ab eo utique ſpiritu, qui adjuvat infirmitatem noſtram.* Idem aſſerit *Gregorius Magnus* Hom. 3. in Evang. dicens: *Vocat* nos Dominus, *ſed non erigit, quandò per ejus gratiam illuminamur, ſed exigentibus noſtris meritis adjuvari non poſſumus. Plerumquè enim videmus, quæ agenda ſunt, ſed opere non implemus. Nitimur, & infirmamur. Mentis judicium rectitudinem conſpicit, ſed ad hanc operis fortitudo ſuccumbit.* Revelat ergo Deus Cœleſtem veritatem; docet, ſuadet, excitat, commovet, prævenit, deſiderium inducit juſtitiæ; at totum hoc operatur Deus mediâ gratiâ, quæ propriè, & efficienter cauſet in nobis hujuſmodi actus; cùm ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum ſibi quiſque ſufficere poſſit; ſiquidem ſupereminet & rationi, & virtuti noſtræ. Et ideò Deus voluntatem, jam inſpiratione, & impreſſione gratiæ ſufficientis

præ-

præparatam, efficaciter movet, & pulſat, determinat, & applicat ad bonum, medio alio auxilio diſtincto ab hujuſmodi actibus.

22. Secundò, nullum efficax deſumitur argumentum, ex quo à SS. PP. gratia excitans, & primò præveniens explicatur per actus intellectûs, & voluntatis. An non etiam habitus, & virtutes exponuntur per actus, quin in eis formaliter conſiſtant? Sic Fides à *D. Auguſtino* definitur *per actum credendi*: juſtitia per *voluntatem reddendi unicuique, quod ſuum eſt*: & charitas *per motum animi ad fruendum Deo*: quin tamen conſiſtant formaliter in hujuſmodi actibus, ut obſervat *D. Thomas* 1. 2. q. 55. art. 1. & q. 12. de verit. art. 1. ad 11. his verbis: *Dicendum, quòd videre ſecundùm Philoſophum dupliciter dicitur, ſcilicet habitu, & actu. Vndè & viſio actus, & habitus nominari poteſt*. Et ad 10. *Conſuetum eſt enim, quòd habitus per actus definiantur*: ergo ex quo gratia primò excitans ſignificetur aliquando à SS. PP. per actus, non arguitur efficaciter eam conſiſtere adæquatè in actibus, & non in aliquo prævio auxilio elevanti potentiam ad talium actuum elicientiam; definiuntur enim per actus, quia per illos meliùs innoteſcit nobis eſſentia habitûs, vel auxilii.

23. Secundò objicit P. *Ripalda*, *D. Thomam*, qui ſuper illud *Joannis* 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, ſic dicit: *Hominem Deus multipliciter trahit, revelatione internâ veritatis, perſuaſione, operatione miraculorum, blanditiis, admirabili delectatione, & amore veritatis*. Quod & docet cap. 6. lect. 5. ad illa verba: *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*, quæ ſic exponit: *Modus autem trahendi eſt congruus, quia trahit revelando, & docendo, & hoc eſt, quod ſcriptum eſt in Prophetis, erunt omnes dociles Dei*. Et paulò poſt; *Omnis qui audivit à Patre docente, & manifeſtante, & didicit præbendo aſſenſum*. Ex quibus *P. Ripalda* tractionem efficacem revocat in doctrinam, & manifeſtationem veritatis, affectionem, delectationemque virtutis inferente.

24. Verùm tractionem per doctrinam, & revelationem veritatis non ſufficere, abundè, ut arbitror, probatum eſt, & ultra illam requiri gratiam aliam, quâ Deus faciat nos facere, manifeſtè conſtat ex dictis. Hoc enim totum doctrinæ generalitate concludi docet *S. Auguſtinus* loco citato de Grat. Chriſti, & à Pelagio extorquere contendit aliam gratiam, quæ donet bonam voluntatem, ut videre eſt lib. de Gratia Chriſti cap. 24. in fine, ubi adducto exemplo Regis *Aſſueri*, cujus cor Deus convertit ab indignatione ad lenitatem ſic loquitur: *Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrinâ inſonante forinſecus, ſed internâ, atque occultâ, mirabili, ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates*; quod & docuit *S. Proſper* Epiſt. ad *Rufinum* aſſerens: *Tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm illicò gratia Dei affectum credendi, obediendique generaverit*: ergo ut exiſtat iſte pius affectus, requiritur gratia diſtincta ab illa: non enim gratia generans affectum eſt ipſe affectus à gratia generatus.

 25. Re-

25. Reſpondetur ergo ad argumentum, ſanctas cogitationes, & pios affectus voluntatis computari à *D. Thoma* inter auxilia Divinæ gratiæ; verùm non negat, aliud ultra hæc, & longè efficaciùs requiri auxilium, quod & exprimit in ipſis locis in argumento objectis, dum aſſerit, non trahi perſuaſione, delectatione, & amore; auxilium quippe ita ſuadens, ut perſuadeat, aliquid altius includit, quàm ſit ſancta cogitatio objectum ſuum indifferenter proponens; nec ad delectationem, & amorem excitandum ſufficit ſancta cogitatio, ſed requiritur auxilium fortius, ut expreſsè deſiderat *Auguſtinus* de Grat. Chriſti cap. 33. cùm ait: *Non eſt autem conſequens; ut qui habet donum ſcientiæ, quo noverit, quid agere debeat, habeat etiam charitatem, ut agat.* Quia nimirum à potentia agendi conſtituta per ſcientiam eſt mala conſequentia ad actum. Quod diſtinctiùs *Auguſtinus* lib. 2. *contra duas Epiſt. Pelag.* cap. 8. n. 18. *Cogitamus quippè quod cupimus, nec tamen cupimus omne quod cogitamus: nonnunquam & quod non cupimus, cogitamus*: quibus verbis clariſſime explicat, quomodò ſancta cogitatio nonnunquàm eſt abſque boni cupiditate; eò quòd illuminationi obnitentes, quandoque in ſola hæremus cogitatione. Et ulteriùs quod cogitatio ſancta & boni deſiderium, quandoque abſque ulteriori effectu ſunt in nobis, quatenus gratiæ reſiſtentes, ad effectum perfectum, ſeu ad actum deliberatum, & ad opus nos non accingimus. Hoc & docuit *D. Thomas Auguſtini* linguâ loquens tàm locô citatô, quàm 1. 2. q. 9. art. 1. ad 1. ubi verſans illud *Auguſtini* in Pſal. 118. *Prævolat intellectus, ſequitur nullus, aut tardus affectus*; dicit: *Ex iſta authoritate non habetur, quòd intellectus non moveat voluntatem, ſed quòd non moveat ex neceſſitate: quia videlicet non determinat efficaciter, prout requiritur, ut faciat nos velle, facere.*

§. IV.

Statuitur Tertia Concluſio.

Auxilia iſta conferunt virtutem, & ſufficientiam ad actum tàm neceſſarium, quàm ad actus perfectos, ſeu perfectè liberos.

26. SUpponendum primò, quòd gratia excitans interior, intellectum illuminans, non eſt gratia ſufficiens ad actus ſalutares elicitos à voluntate; licèt præbeat vires, & ſufficientiam intellectui ad actus ſalutares ab illo elicitos v. g. ad actus fidei. Talis namque gratia excitans interior, per quam illuminatur intellectus non præbet ſufficientiam productivam conſensûs ſalutaris: tùm quia talis illuſtratio non eſt phyſicè, ut ſuperiùs diximus, intra lineam affectivam, in qua eſt formaliter ipſe conſenſus. Tùm quia extrinſeca eſt voluntati, quam reddere non poteſt intrinſecè in actu primo continentem actum ſalutarem. Et maximè, quia conſenſus ſalutaris non eſt exercitium formale illuſtrationis ſupernaturalis. Illa tamen gratia excitans ex parte actûs primi ſe tenet,

& ſpe-

& ſpectat ad gratiam ſufficientem completè acceptam. Nequit enim liberum arbitrium ſine illuminatione, & inſpiratione Spiritûs Sancti elicere actus ſupernaturales. Ipſa namque docet, quid ſit faciendum, & oſtendit, qualiter homo debeat operari. Eſt enim voluntas potentia cæca, quæ non eſt completè, & proximè potens ad ſuos actus, niſi præcedat directio iſta ex parte intellectûs, proponens bonum amandum, & malum fugiendum. Hac ratione dicit *Apoſtolus* ad *Hebr.* 11. quod *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, quia fides dirigit actus meritorios, oſtendendo bonitatem Dei, ad quam debent referri; ideoque exorat ſemper Eccleſia Spiritum Sanctum, ut corda noſtra illuſtret ad cogitandum, quæ recta ſunt, ut ea, quæ facienda ſunt, cognoſcamus. Ubi maximè notandum, non eſſe idem, quòd talis illuſtratio ſe teneat ex parte actûs primi, ac quòd ſit actus primus phyſicè productivus conſenſûs ſalutaris. Species impreſſa ſe tenet ex parte actûs primi ad intelligendum, & tamen non præſtat intellectui virtutem intelligendi. Requiritur etiam ex parte actûs primi exiſtentia ad operandum, quæ tamen non conſtituit, nec dat agenti virtutem ad operationem. Sufficit ergo, ut aliquid ſe teneat ex parte actûs primi; vel quod præbeat poſſe, vel illud compleat, vel illud expediat; vel ſe teneat ex parte alterius comprincipii; & hoc modo ſe habet cognitio ad actum amoris; cùm bonum ut ut intellectum moveat ad ſui amorem; non tamen voluntati præbet ſufficientiam. Duplex namque diſtinguitur ſufficientia, alia propriè talis per ſubminiſtrationem ſpiritûs, & virtutis, alia verò tantùm ſecundùm quid per oſtenſionem, & manifeſtationem bonorum ſpiritualium. Sufficientia primo modo accepta non convenit illuſtrationi Spiritûs Sancti, ſed ſolùm ſecundo modo accepta, quia habet rationem principii influentis objectivè in actum voluntatis, præbens voluntati poſſe merè extrinſecum ad actus ſalutares, ut benè *M. Lemos* advertit tom. 1. parte 1. tract. 1. cap. 12. Et quia univerſaliter non omne, quod ſe tenet ex parte actûs primi, vel ex parte actûs ſecundi, dicitur propriè actus primus, & actus ſecundus: ſicut prædeterminatio phyſica ex parte actûs ſecundi ſe tenet, & non eſt propriè actûs ſecundus: & cognitio naturalis ex parte actûs primi ſe tenet in ordine ad actus ſupernaturales; & tamen talis cognitio non eſt propriè actus primus, quia actus primus propriè nominat formam, quæ ſit principium operationis. Eâdemque ratione gratia excitans, in affectu omninò indeliberato conſiſtens, non eſt gratia propriè ſufficiens ad actus ſupernaturales liberos: non enim præſtat vires productivas, nec ſe habet per modum virtutis, cùm non detur nobis à Deo per ſubminiſtrationem ſpiritûs, & vigoris, nec elevet intellectum per modum virtutis ad cognitionem perfectam ſupernaturalem, ſed ſolùm influat diſpoſitivè, ut modo videbimus.

27. Huic quæſtioni illud ſecundum dandum eſt, quod actus cogitationis in intellectu, & affectiones indeliberatæ in voluntate non poſſunt produci mediâ elevatione extrinſecâ Omnipotentiæ in abſentia habituum ſupernaturalium, ſed ſolùm mediò aliquô auxiliô ſupernaturali intrinſecè elevante potentiam naturalem, contra P. *Suarez* lib. 3. *de auxiliis*

xiliis cap. 4. & alios ejuſdem Scholæ profeſſores, nè in opinionibus referendis, aut impugnandis longa texatur Oratio. Dixi in abſentia habituum ſupernaturalium, quia mediis his datur principium habituale, quo potentiæ poſſunt in illo ordine ſupernaturali operari, quod per ſolas vires naturales non habebant. Etenim habitus ſupernaturales dant poſſe ſimpliciter: quarè communitèr aſſerunt Theologi, quòd iſti, quamvis ſint eſſentialitèr habitus, habent tamen modum potentiæ. Habetur autem manifeſtè noſtræ aſſertionis probatio in D. *Thoma*, qui neceſſitatem auxilii intrinſecè elevantis intellectum, & voluntatem efficaciſſimis rationibus probat 1. p. q. 12. art. 5. Et 1. 2. q. 109. art. 1. Et q. 110. art. 2. Et q. 111. art. 1. Et q. 62. art. 1. Etiam 2. 2. q. 23. art. 2. Et q. 171. art. 2. Necnon 2. contra Gent. cap. 51. Et 3. contra Gent. cap. 49. in quibus omnibus locis, necnon & in pluribus aliis auxilium ſupernaturale expoſcit, naturæ per modum virtutis gratuitæ ſuperadditum, quô mens hominis, & ejus voluntas eleventur ad elicientiam actûs ſupernaturalis, nec non & ejus voluntas moveatur ad volendum & agendum. Etenim auxilium extrinſecum Divinæ Omnipotentiæ non eſt principium phyſicè elevans voluntatem ad elicientiam actus liberi ſupernaturalis. Non enim tale auxilium præbet vires, poteſtatem, & ſufficientiam voluntati ad illius productionem. Tùm, quia Spiritus Sanctus, ut extrinſecè aſſiſtens, non eſt propriè gratia auxilians, vel auxilium gratiæ præbens ſufficientiam ad actus ſupernaturales, cùm Deus ut auxilians, & illius auxilium comparentur inter ſe ut cauſa, & effectus; & auxilio purè extrinſeco non elevetur voluntas, ut ſecundùm ſibi intrinſeca contineat actum ſupernaturalem; non enim tale auxilium eſt proprium ullo modo voluntati, nec ſubjectivè intrinſecè informat ipſam, ut actus ſupernaturalis contineatur in poteſtate propria voluntatis, & ut poſſit habere verum dominium ſupra talem actum. Enimverò Omnipotentia Dei intimè aſſiſtens & præſens intellectui elicienti piam cogitationem, & voluntati ut elicienti piam affectionem inclinantem in conſenſum ſalutarem, non eſt, nec propriè dici poteſt gratia illa præveniens, à quâ deſumitur exordium noſtræ juſtificationis, ut definit *Tridentinum* ſeſſ. 6. cap. 5. ergo alia agnoſcenda eſt gratia diſtincta ab omnipotentia extrinſecè aſſiſtente. Tum; quia gratiæ Dei aſſentimur & diſſentimur; ſed Omnipotentiæ Dei extrinſecè adjuvanti non correſpondet aſſenſus, vel diſſenſus voluntatis; cùm ſolùm aſſenſus vel diſſenſus voluntatis ſit intellectui proponenti, aut ſuadenti aliquod bonum fieri: ergo. Et tandem, quia SS. Patres loquuntur de verâ Chriſti gratiâ adjuvante, non tamen de omnipotentia extrinſecè adjuvante. Erit ergo Omnipotentia auxilium gratis præparans, non tamen vera Chriſti gratia; cùm illuminatio, inſpiratio, motio ſpiritûs, ſint, ut diximus, quid diſtinctum à Deo, ſub cujus nomine ſolùm intelligitur omne donum gratuitum à Deo datum & deſcendens à Patre luminum juvans ab benè agere.

28. Ex quibus præſuppoſitis evidenti conſecutione deſcendit ratio efficaciſſima probativa noſtræ concluſionis. Aliquod debet aſſignari prin-

principium, vi cujus voluntas activè præcontineat actus ſalutares, ſed hoc principium ſolùm eſt auxilium diſtinctum tàm ab actibus neceſſariis, quàm ab actibus perfectè vel imperfectè liberis: ergo auxilia iſta dant virtutem, & ſufficientiam ad actus neceſſarios, & ad actus perfectè, ſivè imperfectè liberos. Hæc eſt, ut dixi, maniſeſtiſſima veritas, quæ nè variis gloſſamentis obſcuretur, aſſignent principium conſtitutivum ſufficientiæ; hoc enim præbere debet veram ſufficientiam per modum virtutis phyſicè productivæ actuum ſupernaturalium; *unum quodque enim tantùm abundat in principio agendi, quantum eſt in actu*, ut dixit D. *Thomas*, q. 1. de Potent. art. 2. quâ ratione probat 1. p. q.25. art. 3. infinitatem virtutis Dei, quæ non eſt limitata ad aliquod genus entis, ſed præhabet in ſe totius eſſe perfectionem: ſed ſolùm aſſignabile eſt auxilium, aut ajunt, fluidum elevans intrinſecè voluntatem; cùm nec *Spiritus Sanctus*, nec Omnipotentia, ut extrinſecè aſſiſtens, ſint, ut modò diximus, principium dans veram ſufficientiam in actum ſupernaturalem, nec gratia excitans interior, per quam illuminatur intellectus, nec gratia excitans, in affectu omninò indeliberato conſiſtens. Enimverò cùm ſolùm habeat actualitatem de linea actûs ſecundi determinantis & complentis potentiam ad actum, non eſt quoad ſubſtantiam poteſtas & activitas productiva actûs: ergo vel neganda eſt gratia actualis, quæ ſit verè, & propriè ſufficiens, vel concedendum, quòd auxilia iſta dant veram ſufficientiam conſtitutivam actûs primi.

29. Hæc eſt ſanè doctrina Apoſtoli 2. ad Cor.3. *Non quia ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quæ verba Sanctus *Auguſtinus* expendit lib. de prædeſt. Sanctor. cap.2. circa medium dicens: *Quis enim non videat, priùs eſſe cogitare, quàm credere? Nullus quippè credit aliquid, niſi prius cogitaverit eſſe credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes antevolent, moxque illa ſequatur, ut quaſi conjunctiſſima comitetur: neceſſe eſt tamen, ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur, quamquàm & ipſum credere, nihil aliud eſt, quàm cum aſſenſione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit; cum ideò cogitent plerique, ne credant: ſed cogitat omnis, qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit. Quod ergo pertinet ad religionem, & pietatem, de qua loquebatur Apoſtolus: ſi non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: profectò non ſumus idonei, credere aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipiamus, ex Deo eſt. Quo circa, ſicut nemo ſibi ſufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcumque opus bonum: quod jam iſti fratres, ſicut veſtra ſcripta indicant, verum eſſe conſentiunt: undè in omni opere bono incipiendo, & perficiend ſufficientia noſtra ex Deo eſt: quoniam fides, ſi non cogitetur, nulla eſt; & non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Hæc S. *Auguſtinus*: in quibus expreſſam de cogitationibus ſubitis, & indeliberatis mentionem

nem facit, aſſerens, ſufficientiam ad illas non eſſe ex nobis, ſed ex Deo: arguitque à minori ad majus, nam ſi ad ſubitam, & indeliberatam cogitationem non eſt nobis ex nobis ſufficientia, ſed ex Deo, multò minùs erit nobis ex nobis ſufficientia ad perfectum fidei aſſenſum.

30. Hoc adeò diſertè docet S. Doctor lib. 2. *contra duas Epiſt. Pelag.* cap. 8. n. 18. ut nullum ea de re ſuboriri dubium poſſit. *Audiant & Apoſtolum: Dominus enim, cum Joan.* 15. *v.* 5. *ait, ſine me nihil poteſtis facere hoc uno verbo initium finemque comprehendit. Apoſtolus verò tanquam ſententiæ Domini expoſitor apertiùs utrumque diſtinxit, dicens, Phil.* 1. 6. *Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu, ſed in Scripturis Sanctis apud eumdem Apoſtolum, iſto unde loquimur, amplius invenimus. Loquimur enim nunc de boni cupiditate, quam ſi volunt à nobis incipere, à Domino perfici, videant quid reſpondeant, dicenti Apoſtolo* 1. *Corint.* 3. 5. *Non quia idonei ſumus cogitare aliquid quaſi ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Hìc *Auguſtinus* tam finem boni operis ſeu complementum, quàm initium; tam boni cupiditatem, quàm boni cogitationem ex Deo conſtanter affirmat. Quod & magis explicat cap. 9. ſequenti n. 19. Expendens illud *Proverb.* 16. 1. *Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ*, ubi inquit: *Quis enim poteſt ſine bonâ cogitatione ad bonum cor præparare? Abſit, ut ſic intelligant, niſi ſuperbi ſui arbitrii defenſores & Fidei Catholicæ deſertores. Ideò quippe ſcriptum eſt, hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ, quia homo præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei.* Et cum duplex ſit cordis à Deo præparatio, una imperfecta, altera perfecta: illaque fiat interioribus illuminationibus, piis inſpirationibus, & bonis deſideriis; hæcque mediâ applicatione voluntatis ad bonum detur; utrumque eſſe ex Deo declarat, dum n. 21. dixit, loquens de amore inchoato & præparatorio: *Tunc enim bonum concupiſci incipit, quandò dulceſcere cœperit.* Et de charitate perfecta ibidem ait: *Quid eſt enim boni cupiditas, niſi charitas, de qua Joannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur dicens,* 1. *Joa.* 4. 7. *Charitas ex Deo eſt? Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo.*

31. Ex quibus omnibus primò id evincitur, à pia & ſalutari cogitatione, quæ ex gratia ſit, incipere præparationem cordis ad opus bonum. Secundò, quod hæc cogitatio reperiri poteſt ſine boni cupiditate. Tertiò, & cogitationem & bonum deſiderium, non ſemel eſſe abſque converſione; cùm ſcilicet peccator hæret inter cogitationem & deſiderium. Quartò præparationem perfectam, quæ conjunctam habet impii juſtificationem eſſe à gratiâ præveniente, non ſolùm quæ ſufficientiam det in ordine ſupernaturali, ſed quæ efficaciter applicet & determinet voluntatem ad actum. Si ergo juxta *Apoſtolum*, ut ab *Auguſtino* intellectum, ſufficientia noſtra ex Deo eſt, tam initium boni operis, quàm complementum; intellectus hominis non habet ex ſe ſufficientiam ad aliquam cogitationem piam, & religioſam, ſed illam habet ex Deo: ergo ad primam hujuſmodi cogitationem habet ſufficientiam datam ſibi

per

per illud gratiæ prævenientis auxilium, quo intellectus primò ad ſanctè cogitandum illuminatur à Deo. Patet conſequentia: quia ſufficientia, utpotè conſtitutiva poteſtatis, eſt prærequiſita ad actum, & primum actum ſola gratia ſimpliciter, & omnibus modis præveniens antecedit: certiſſimum quippe debet eſſe, quòd cùm actus iſti ſolùm habeant rationem auxilii in actu ſecundo excitantis potentiam ad conſenſum ſalutarem, reduci debent in aliud auxilium tranſiens eam elevantis, quod nullum aliud requirat auxilium. Quid namque obſtat, quod ex Deo elevante per ſuam gratiam, effectivè cauſet homo aliquid conducens ad conſenſum ſalutarem? Sicut, & per gratiam Dei eum convertentem, dilectionem elicit, quâ & ipſe ſe convertit in Deum. Idem dicendum de actibus voluntatis. Enimvero non eſt voluntas magis fortis ad amandum bonum ſupernaturale, quàm intellectus ad illud cognoſcendum; immo eſt multò debilior propter repugnantiam, & propenſionem maximam ad bona ſenſibilia, & concupiſcibilia, ut eſt communis Theologorum ſententia 1.2.q.109.art.3. & conſtat ex *D. Auguſtino* ad *Vitalem* illis verbis; *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Nam qui poteſtatem diligendi finem perdidit, non poteſt retinere virtutem ad diligendum media: cùm ergo bonum quodvis ſupernaturale medium ſit ad Deum conſequendum, planè ſequitur, ut homo impotens amare Deum, ſufficiens non ſit ad amandum bonum aliquod ſupernaturale: ergo ſi intellectus ex ſe ſufficiens non eſt ad cogitandum aliquid pium, & religioſum, habetque ex ſolo Deo ad hoc ſufficientiam, à fortiori voluntas nullam ex ſe habet ſufficientiam ad amorem boni ſupernaturalis, & cùm illam habet, ex Deo habet.

32. Etiam auxilia iſta dant ſufficientiam potentiis, quas afficiunt ad actus perfectos, & deliberatos, quales requiruntur, ut vel infideles, vel peccatores ſe ultimò ad juſtificationem diſponant: quia ultima diſpoſitio ad juſtificationem hos actus includit, videlicèt ex parte intellectûs judicium deliberatum, quo voluntati convenientiam objecti proponat; & ex parte voluntatis conſenſum perfectè liberum, quo acceptet, & proſequatur bonum ſibi ab intellectu propoſitum: ad quos actus eliciendos neutra potentia ex ſe eſt ſufficiens, ac proindè requiritur auxilium conferens ſufficientiam, ut docet *Tridentinum* ſeſſ.6. cap.5. *Neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo liberâ ſuâ voluntate poſſit*: ergo illam tribuit auxilium gratiæ prævenientis, & excitantis. Patet conſequentia: tum, quia in homine infideli, aut peccatore, cùm non ſit gratia ſanctificans, nec virtutes ſupernaturales, non eſt aliud principium, unde ſufficientia poſſit provenire, quàm miſericordia ipſa præveniens: tum, quia actus iſti in ſubſtantiali, ut ita loquar, difficultate, actus illos priores, ſive præcedentes neceſſarios non excedunt, cùm omnes ſupernaturales ſint; & poſſit unum, & idem gratiæ auxilium principiare modò actum neceſſarium, modò liberum, ſolâ diſpoſitione ſubjecti variatâ.

33. Huic efficaciſſimo argumento obviàm ire intendit Caducifer

verba Apoſtoli, *non quia ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, exponens, ut idem ſignificent, ac *nobis ſuffici vires Dei*. Sic ille 3. p. punct.6. n. 85. his verbis: *Sufficientia ergo nobis ex Deo nihil aliud eſt, quàm nobis ſuffici vires Dei ad id, ad quod vires noſtræ non ſunt ſufficientes. Verùm hæ ipſæ vires Dei poſſunt nobis ſuffici ſimultaneè, & concomitanter, elevando noſtras operationes, ut raptim, & neceſſariò ſimul cum viribus Dei ſpeciali concurſu ſimultaneo coeuntibus agant aliquod opus ſalutare. Vel poſſunt nobis ſuffici modo ordinario, & communi præparativo noſtræ voluntatis non ſolùm ad piè, ſed etiam ad meritoriè operandum: ita ut relinquatur voluntati liber uſus, vel non uſus gratiæ Dei, in quo ſtat ratio meriti, aut demeriti; & ſimiliter Deus relinquat ſuo generali ſimultaneo concurſui concurrere, vel ſecùs ſuo ſupernaturali concurſu ad actum ſalutarem prout ita exegerit determinatio libera creaturæ. Et tunc ſufficientia ex Deo pro priori ſe habet in nobis, & tunc intelligitur ex D. Auguſtino, quod Deus præparat noſtras voluntates, ut nimirum hæ cum bono uſu libero gratiæ ſibi præparatæ, & adjutorio etiam ipſius ſimultaneo eliciant opera ſalutaria conducentia ad vitam æternam: & hæc eſt in ordine ſupernaturali providentia illa ordinaria, quæ hominibus relicta eſt ad merendum, vel demerendum.*

34. Sed quis non videat hanc paraphraſim ideò ab ipſo excogitatam fuiſſe, ut inde concludere poſſet, nihil ex parte Dei ultra excitationem requiri ad actum ſalutarem, niſi ut nobiſcum concurrat concurſu naturali, juxta electionem, & determinationem voluntatis noſtræ, quod alienum eſt à mente Apoſtoli. *Nobis ſuffici vires Dei* nihil eſt aliud, quàm Deum vires ſuas, ſimultaneè concurrendo, viribus noſtris adjungere: ſufficientiam autem noſtram ex Deo eſſe, ut loquitur Apoſtolus, eſt vires illas, quibus operationem noſtram efficimus, à Deo nobis communicari, ſive vires nobis non Dei, ſed à Deo ſuffici, ſeu ſubminiſtrari. Enimverò Deum cum aliquo ſimultaneè concurrere, ſupponit illum, cum quo concurrit, habere vires, quibus inſtructus, ponat id, quod ex ſuâ parte requiritur: ſic ſi duo idem portent pondus, ſi duo navim unam trahant, quo exemplo utitur Molina, unus ſufficientiam alteri non dat, ſed ſuam uterque ſufficientiam jungit ad producendum eum effectum, quem quilibet eorum ſeparatè producere, ùt ſuppono, non poterat. Patet ergo *Ortizium* verba illa Apoſtoli non explicare, ſed omnino invertere, & ſubvertere.

35. Prætereà, cùm hìc etiam agatur de opere ſupernaturali, ſupponit ea explicatio, ineſſe nobis potentiam naturalem actûs ſupernaturalis productivam, quæ ſolùm indigeat excitari, & concurſu ſimultaneo adjuvari, ſicque initium quidem operis ſupernaturalis eſſe à Deo excitante, conſummationem verò, ſaltem patialiter, eſſe ex nobis, idque ex virtute naturali intellectûs, vel voluntatis. Patebit hoc clariùs ex iis, quæ dicit Scriptor iſte num.83. præcedenti, ubi ut probet Deum phyſicè influere in operationes noſtras ſic diſcurrit: *Denique ſecundò poteſt ſic probari de actibus indeliberatis*, (quibus Deus aliquando

do hominem excitat, ut explicat num. 86.) *qui ut tales ſunt rapti, & intenſi, necnon ita ab anima eliciti, ut ipſam rapiant ſummoperè verſus objectum. Sed hæc intenſio actuum non poteſt non influere phyſicè in actum deliberatum ſubſequutum: ergo &c. Prob. min. Animam, & ejus potentias phyſicè compleri ad actum ſalutarem deliberatum ſtat in eo, quod ſuperno impulſu roboratæ, & erectæ ſint deſuper earum vires ad talem actum deliberatum eliciendum. Sed per tales actus indeliberatos raptos, & intenſos, imprimitur tale robur animæ, & potentiis ejus, ut mox, vi raptûs intermittente, cum deliberatione verſetur, & ſurgat circa idem objectum: ergo &c. Min. patet primò à ratione: quia illa impreſſio tam vehemens ſurſum acta non frigeſcit inſtantaneè, ſed paulatim, ita ut & potentia ex vi talis actûs adhuc maneat calefacta, & roborata, & ſimul detur locus deliberationi. Secundò ab exemplo, quo in nos experimur, quodpoſt actum iræ indeliberatum, & intenſum, ex illo manet potentia iraſcibilis ita roborata, ut adhuc paululum deferveſcens, & detur locus deliberationi, & illa adhuc ſit valida, & calefacta ad actum iræ deliberatum eliciendum. Tantam vim ipſi, & quidem phyſicam, & phyſicè electivam ille actus indeliberatus impreſſit: ergo ſimiliter, vel multò meliùs forſitan in auxiliis, tametſi hæc in ſolis actibus indeliberatis ſint collocanda.*

36. Hæc ille. Quæ verba ideò ad longum deſcribere volui, ut inde clariùs pateat, quod ſuprà dixi, Scriptorem hunc admittere debere, quòd actio noſtra ſupernaturalis partim ſit à virtute noſtra naturali. Ponamus enim voluntatem hominis per motum ſupernaturalem à Deo impreſſum, & indeliberatum applicatam fuiſſe ad amorem Dei ſupernaturalem: juxta ipſum primo illo impulſu paulatim deferveſcente, ſed nondum totaliter extincto, poterit voluntas ſe liberè, in vi tamen primi iſtius motûs applicare ad actum amoris deliberatum, ſive, actus ille amoris ab initio indeliberatus, fieri poterit deliberatus: peto tunc, an primo illo impetu totaliter extincto, cenſeat hominem adhuc poſſe continuare illum actum amoris ſupernaturalem, cum ſolo concurſu ſupernaturali ſimultaneo Dei, vel non? Si negativè reſpondeat, fatebitur ipſo facto neceſſitatem influxûs phyſici prævii, diſtincti à ſimultaneo, ut ex terminis patet; ſicque ceſſabit omnis controverſia. Si verò reſpondeat affirmativè, infero: ergo amor ille ſupernaturalis procedit partim ex ipſa potentia naturali voluntatis non elevata ſupra vires ſuas naturales; quod eſt apertiſſimè falſum, contra omnem rationem, & Phyloſophiam, ſecundùm quam nulla potentia exit in actum ſupra ſuas vires naturales elevatum, niſi ipſa potentia ſit priùs roborata, & erecta, ſeu elevata ſupra vires ſuas naturales. Sequela probatur: ſupponimus primum illum impulſum, quo potentia erat roborata, & erecta deſuper ſuas vires naturales, non ſolùm rejeciſſe aliquid de ſuo fervore, ſed totaliter deſiiſſe; voluntatem verò continuare in actu illo ſupernaturali eliciendo: ergo amor ille ſupernaturalis procedit partim ex ipſa potentia naturali voluntatis non elevata ſupra ſuas vires naturales, quod erat probandum. Infero ulteriùs: ergo in ſententia hujus Scriptoris,

ad initium actûs ſupernaturalis requiritur quidem impreſſio phyſica, & prævia ſupernaturalis, ultra concurſum ſimultaneum, quâ elevetur ſupra ſuas vires potentia; ſed ad ejus continuationem, & conſummationem minimè. Si ita ſentiat, rogo, velit attentè meditari hæc Apoſtoli verba ad Philipp. 1. *Qui cœpit in nobis opus bonum, ipſe perficiet*. Deo danda eſt non ſolum inchoatio, ſed etiam conſummatio, & perfectio operis omnis ſalutaris: & ſicut non ſufficit ad opus ſalutare inchoandum, quòd Deus nobis intellectum, & voluntatem, aliaſque potentias operativas dederit, aut quòd concurſu ſimultaneo nobiſcum concurrat, ſed neceſſe eſt, ut motu aliquô, & impulſu potentias noſtras operativas roboret, & erigat deſuper earum vires naturales, ut admittere hic videtur; ita phyloſophandum de conſummatione, & perfectione operis; quia opus ſalutare, & ſupernaturale non minùs ſuperat vires noſtras in ſua continuatione, & complemento, quàm in ſua inchoatione, & principio.

37. Et quidni admittat influxum illum phyſicum Dei in voluntatem pro continuatione, & perfectione operis ſalutaris, quem videtur admittere pro inchoatione ejuſdem? Timet fortè libertati? Sed ſi voluntas mota à Deo actu aliquo indeliberato liberè poſtea ſe applicat ad opus ſalutare, dum actus ille primus paululum remiſſus, ſed nondum totaliter extinctus eſt, ſic ut verum ſit voluntatem eſſe à Deo determinatam ad aliquem actum, & tamen ſe ipsâ etiam determinare, prout verbis allatis admittere videtur Caducifer, quid timendum libertati, ſi dicatur motio illa, & applicatio Dei ab initio eſſe in ſtatu illo remiſſiori relinquente voluntati facultatem ſe determinandi ſub Dei motione, perſeverareque uſque ad operis ſalutaris complementum? Si primum, ſtat ſalvâ libertate; ſecundum ſtare poterit: unde ſi primum ſincerè admittit Caducifer, ſpes magna eſt futurum, ut etiam ſecundum admittat. En quàm irritus eſt conatus hujus Scriptoris ad ſcopum ſibi præfixum attingendum, mediâ datâ interpretatione verbis Apoſtoli, *non quia ſufficientes ſumus, cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: quæ interpretatio violentiſſima undique, majori confutatione non indiget: ſe ipſa corruit, attentâ ſolùm proprietate verborum, quibus utitur Apoſtolus.

38. Fallitur ulteriùs, quin potiùs riſu dignum videtur, quòd Auctor Caducæi, volens ſtirpitùs, ut ait, eradicare rationes ſuprà adductas, habeat recurſum ad ſententiam novam, atque à Peripateticis hactenus rejectam: nam *in ſententia Jeſuitarum*, inquit loc. cit. num. 87. *voluntas realiter eſt idem cum anima, & in ſententia Thomiſtarum diſtinguente potentias ab anima, hæc illas radicat; proindeque nequit voluntas, quandiù vivit in anima non ſemper de ea vivere, & de ejus vigore, & ſucco ſemper haurire; tota enim anima intelligendo intelligit, & volendo vult: quare illuſtratio illa intellectûs, reddens animam in fundo ſubſtantiæ ſuæ illuſtratam, intimè corroborat potentiam rationaliter viſivam ipſius, de qua oculus voluntatis, eò uſque caligans, vividiùs aperitur; & quo ipſa jam plus, & meliùs videt, eo vehementiùs fertur*

in

in objectum ſuum; ita ut latio illa voluntatis ad objectum ſimul phyſicè vigoretur, tum ab oculo plus vidente, tum à pondere ſuo plùs inclinante &c. Hæc ille, quæ ſanè reflexionibus non contemnendis ſunt annotanda. Et primò quidem, inquit ille, *in ſententia Jeſuitarum, voluntas realiter eſt idem cum anima, & in ſententia Thomiſtarum diſtinguente potentias ab anima &c.* igitur apud Jeſuitas non ampliùs diſtinguuntur potentiæ animæ ab animâ? Si ita docent, fateantur ergo publicè ſe à *S. Thoma* receſſiſſe, apud quem intellectus, & hunc ſequens voluntas, realiter ab anima diſtinguuntur, ut videre eſt 1. part. quæſt. 77. 78. 79. in omnibus art. 1. & alibi ſæpiſſimè, & hoc ſufficit ad intentum meum. Quid verò doceant Jeſuitæ circa diſtinctionem potentiarum animæ ab ipſa anima, parum moror; nobis ſufficit, quòd S. P. & Eccleſiæ Doct. *Thomas*, ut probat noſtrum Collegium Complutenſe tract. de anima, potentias animæ operativas ab ipſa ejus ſubſtantia diſtinguat; atque in hac ſuppoſitione debebat Caducifer dicta mea impugnare, non ſubvertendo prima antiquæ Philoſophiæ, ac Thologiæ fundamenta.

39. Addit inſuper: *In ſententia Thomiſtarum, diſtinguente potentias ab anima, hæc illas radicat; proindeque nequit voluntas, quandiù vivit in anima, non ſemper de ea vivere, & de ejus vigore, & ſucco ſemper haurire: tota enim anima intelligendo intelligit, & volendo vult:* addere poterat, & audiendo audit, videndo videt, & ſic de cæteris. Sed quid tùm? An inde ſequitur, ut quidquid intrinſecum eſt uni potentiæ, ſit etiam alteri intrinſecum? Quod eſt intrinſecum auditui, erit ergo intrinſecum viſui, & quod intrinſecum voluntati, erit intrinſecum intellectui, & è converſò. Quis non videt hìc aliquod chaos formari, cujus nec ipſe Caducifer, nec ullus alius fundum videat? Ad ejus tamen intelligentiam ſciendum, potentiam proximam eſſe non ſolùm aliquid animæ, verùm ipſam animæ virtutem in ipſa intrinſecè radicatam; unde hanc agere, eſt ipſam animam mediâ eâdem actione agere: nec enim ibi intervenit duplex agens, ſed unum conflatum ex principio radicali, & proximo: unde actio iſtius eſt indiviſibiliter actio alterius; ac proinde actione illâ utrumque principium exercetur, licèt non immediatè utrumque. Secundò, quod anima eadem eſt, quâ vivimus, quâ intelligimus, quâ volumus; & dum in hæc radicaliter influit, dicitur ea omnia facere, denominatione ſumptâ ab actibus, & potentiis, quæ ipſius etiam actus ſunt & potentiæ, & quibus omnibus radicaliter adeſt. Tertiò, quòd ipſa illuſtratio ſupernaturalis, quæ immediatè elevat intellectum, mediatè elevat animam radicantem intellectum; quæque non alio influxu in actum concurrit, quàm medio ipſius intellectûs influxu. At falſiſſimum eſt, quòd illuſtratio intellectûs ſit intrinſeca voluntati, cùm nec ſit intrinſecè voluntati inhærens; nec ſe teneat ex parte voluntatis intrinſecè illam movens, aut vires voluntatis ad actum ſalutarem conſtituat, compleat, vel expediat, ſed ſolùm ſit quid per modum conditionis requiſitæ. Quinimò conſenſus ſalutaris non eſt exercitium formale illuſtrationis intellectivæ. Et ratio eſt; quia exercitium formale illuſtrationis debet eſſe actus, ad quem primò & per ſe ſit ordinata talis illu-

illuſtratio; ſed conſenſus ſalutaris non eſt per ſe actus, ad quem primò & per ſe ordinatur illuſtratio: tum quia illuſtratio primò & per ſe ordinatur ad actualem illuſtrationem realiter diſtinctam à conſenſu ſalutari: tum quia ad duplicem terminum diverſum nequit eadem res primo & per ſe ordinari: ergo cùm illuſtratio ſit per ſe primò ordinata ad illuſtrationem diverſam à conſenſu ſalutari, nequit primo ad hunc, & per ſe ordinari. Falſum ergo eſt, quòd illuſtratio, quæ eſt actus lineæ intellectivæ, & tota extra ſpheram voluntatis, ſufficientiam intrinſecam voluntati præbeat ad conſenſum ſalutarem.

40. Sed rem tandem explicare nititur Caducifer num. 88. aptiſſimo exemplo: *Aſſumit quis recreationis gratiâ ſclopetum, ut ſolitariâ glande diſploſum præfixam ſibi feriat cynoſuram, vel arcum ſimiliter cum ſagitta: in quo caſu dubium non eſt, phyſicè concurrere ad eam ritè attingendam, non minùs digitos diſploſores impulsûs, quàm oculos obſervantes, atque obſervantes objectum: ita ut perculſio facta in parietem, vel ſagittâ, vel glande, non minus phyſicè proveniat à manu, quàm proveniat ab oculo: nam à manu quidem accepit motum, & impulſum; ab oculo verò directionem hujus impulsûs: & quidem phyſicam, & totâ latione continuatam, quouſque ritè, & rectè in planum impegit; itaut in ipſo egredi à Sagittario, vel diſplodente, motus ille, qui recepit in ſe phyſicum impulſum à manu, itidem recepit in ſe phyſicam directionem ab oculo; & ſub utroque pervenit ad terminum, ad quem ſine alterutro non perveniret. Ex quo quidem exemplo non ſolùm prima pars inclareſcit, ſed etiam ſecunda, & tertia, quam ſuprà præſtruximus. Siquidem ex ſupra data doctrina, & exemplo patet primò, quòd illuſtratio intellectûs non eſt extrinſeca voluntati. Secundò, quòd conſenſus ſalutaris poteſt eſſe exercitium formale illuſtrationis intellectivæ. Et tertiò, quòd hæc illuſtratio pertinet ad actum primum per modum virtutis, ſpiritûs, atque vigoris. Atque de his cogitationibus raptis dixit ſuprà Auguſtinus præceſſuras eſſe, licèt imperceptibiliter ad actum credendi, qui ſemper eſt aſſenſus deliberatus per aliquod imperium.* Optaſſem, ut Auctor ille applicando hoc exemplum ad hominem à Deo prædeſtinatum & ordinatum in ultimum ſuum finem, diſtinctè nobis aperuiſſet, quid in hoc faciat Deus, quid ſit proprium homini; potuiſſemus fundum doctrinæ illius Auctoris meliùs detegere: licèt enim videatur velle in explicando accedere Thomiſtis, puto tamen, quòd in rei veritate multis paraſangis ab eiſdem diſtet. Et verò, quantùm ego capio, directionem hominis in ultimum finem, & primum initium motûs, immò quaſi occaſionem motûs correſpondentem diſploſioni digitorum Deo adſcribet; ſed à quo erit ſequens diſploſionem impulſus? Annè ab humano arbitrio, Deo interim aſpiciente, & intuente progreſſum in deſtinatum finem? Hoc nobis, ubi candidè aperuerit, poterit certi quid ei reſponderi. Non enim eſt, quòd diutiùs hæreamus in reſponſionibus hujus naturæ rejiciendis; cùm minuta, & cuique obvia detinere non debeant, ut ad majora, & meliora pergamus.

§. V.

Quarta proponitur Assertio.

Auxilia iſta applicant, & determinant voluntatem, & intellectum ad actus ſalutares; ſive auxilium, dans pariter applicationem ad actum indeliberatum ſit realiter diſtinctum ab auxilio dante ſufficientiam ad eundem actum, ſive non.

41. HÆc aſſertio efficaciter promovetur. Et quidem, quod auxilia iſta applicent, & determinent intellectum ad illam ſanctam cogitationem, manifeſtum eſt ex eo, quòd ad talis cogitationis exiſtentiam non ſufficit, quòd potentia conſtituta fuerit in actu primo proximè completo ad productionem ſui actûs; à potentia enim ad actum non eſt bona conſequentia, ut *Auguſtinus* arguit de Grat. Chriſti cap. 10. ſed requiritur inſuper, quòd potentia applicetur, & determinetur ad elicientiam actûs: ſed intellectus, quantumvis potens ſupponatur, non poteſt ſe ipſum applicare, & determinare, quia eſt potentia naturalis, & in illius elicientia cogitationis per modum naturæ operatur: nec poteſt applicari, aut determinari à voluntate; tum, quia illa ſancta cogitatio eſt prior abſolutè omni actu ſupernaturali voluntatis; tum, quia voluntas non applicat intellectum ad cogitationes purè neceſſarias, qualis eſt illa ſancta cogitatio: ergo applicatio, & determinatio intellectûs ad elicientiam illius cogitationis debet intellectui adeſſe ab extrinſeco; & cùm illa cogitatio ſit initium, ac principium totius juſtificationis, aut fidei, ab alio eſſe non poteſt, quàm à Deo, qui medio ſuo auxilio efficaci movet hominem ad juſtitiam.

42. Et certè, quòd voluntas, etiam ſuppoſitâ boni ſupernaturalis cognitione, egeat adhuc viribus ad amandum bonum, quod agnovit conveniens, certius eſt, quàm ut deberet in dubium revocari; cùm in oppoſita affirmatione tota videatur ſtare Pelagiana Hæreſis. Unde S. *Auguſtinus* ſuprà relatus de Grat. Chriſti cap. 10. poſtquam in illa verba prorupit: *Sed nos eam gratiam volumus*, explicans, quam ipſe velit, gratiam, ſtatim adjecit, *Iſte aliquando fateatur, Pelagius, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur, & ſperatur, non ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur, nec ſuadetur ſolùm omne, quod bonum eſt, verùm & perſuadetur.* Et ibi num. 14. *Non oſtendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat caritatem.* Et ibi num. 52. *Ut benè velimus, & agamus, quæ non ſunt in homine; niſi quando benè vult, & benè agit*: apertiſſimè docens, ultra gratiam, quæ dat ſufficientiam intellectui ad percipiendum, & practicè proponendum bonum ſupernaturale voluntati, aliam requiri gratiam, quæ ad illud proſequendum præſtet ſufficientiam voluntati: Quod S. Doctor probat argumento ſumpto à revelationibus *Apoſtoli*, quæ illi certè non ſufficiebant, ſed gratia alia ipſi erat neceſ-

ſaria;

ſaria; quapropter ibidem cap. 12. loquens de gratia, quæ præſtat ſufficientiam voluntati, clariſſimè ait: *Quia gratia agimur, non ſolùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus.*

43. Eſt frequens doctrina iſta apud *Divum Auguſtinum*, & præſertim de dono perſeverant cap. 19. ubi relatis, atque laudatis *SS. Cypriano*, *Ambroſio*, & *Gregorio Nazianzeno* ſic habet: *Iſti tales, tantique Doctores dicentes non eſſe aliquid, de quo tanquam de noſtro, quod Deus nobis non dederit, gloriemur: nec ipſum cor noſtrum, & cogitationes noſtras eſſe in poteſtate noſtra: & totum dantes Deo, atque ab ipſo nos accipere confitentes, ut permanſuri convertamur ad eum, ut id, quod bonum eſt, nobis quoque videatur bonum, & quod velimus illud, ut honoremus Deum, & recipiamus Chriſtum, ut ex indevotis efficiamur devoti, & religioſi, ut in ipſam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce, quod credimus: hæc utique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoſcunt, ab ipſo nobis, non à nobis eſſe teſtantur.* Hæc ibi. Modò interrogo, an ille, qui accipit à Deo gratiam prævenientem intellectum, habeat etiam ex illa ſola ſufficientiam ad amandum? Et ulteriùs, an ille, qui accipit à Deo facultatem, & ſufficientiam ad cognitionem, & amorem ſupernaturalem, applicetur, & determinetur à ſe ipſo ad elicientiam talium actuum? Quod certè non ſtat cum Auguſtini dictis.

44. Diximus in titulo: *Sive illud auxilium excitans ſit ſimul applicans ad actus indeliberatos, ſive non.* Eſt namque apud Thomiſtas non levis diſſenſio. *M. Bolivar.* tract. de merit. Chriſti dub. 2. §. 5. aſſerit ultra auxilium elevans voluntatem ad ſubitam affectionem, ſicut & intellectum ad ſanctam cogitationem requiri aliud auxilium applicans tàm intellectum, quàm voluntatem ad proprios actus. Sic expreſsè ibi num. 33. aſſignans rationem, quare auxilium dans poſſe ad actum ſupernaturalem non poſſit ſe ipſo connecti cum actu, aut ſecum identificare prædeterminationem ad illum; videlicet: *Quia ſe tenet ex parte potentiæ, ipſamque conſtituit dominam actûs ſupernaturalis: quapropter in exercitio hujus dominii debet à Deo, & ejus diſpoſitione libera proximè & formaliter dependere; quòd non fieret, ſi connecteretur cum actu, cùm non poſſet dimoveri à tali exercitio*, utpotè habens poſſe ad ipſum ratione auxilii eſſentialiter cum ipſo connexi. Sicut ergo implicatoria eſt potentia creata neceſſariò cum actu connexa, quæ ex ſuppoſitione ſuæ exiſtentiæ non ſubdatur Dei Dominio, ita & repugnat auxilium præbens virtutem intellectui, quod non ſit Deo immediatè ſubordinatum, ut reverà non eſſet, ſi poneretur neceſſariò connexum cum ſancta cogitatione. Quomodò namque dici poteſt eſſe ſub immediato dominio Dei, quod in ſe ipſo à Deo negari non poteſt; vel id, cujus omiſſio, ſuppoſitâ ſufficientiâ, eſſet omninò impoſſibilis reſpectu Dei? Sed poſito illo auxilio ſufficienti connexo cum ſancta cogitatione, hæc non poteſt immediatè, & in ſe ipſa negari à Deo, ſed ſolùm denegando virtutem intellectui ad illius elicientiam: ergò non eſt immediatè ſubdita Deo, quod eſt contra rationem dominii ſecundi eſſentialiter ſubordinati dominio Dei.

45. *Mag.*

45. *Mag.Lemos* tom.4. lib. 4. p. 1. tract.7. cap.5. affirma t auxilium gratiæ excitantis eſse ſimul ſufficiens, & efficax, vel prædeterminans ad ſanctam cogitationem, ad quam excitat, ita ut motio iſta virtuoſa quatenùs dat ſufficientiam, ſit virtus, quatenùs verò applicat, & determinat intellectum ad ejus elicientiam, eſt efficax motio, quæ ſolùm determinat quoad exercitium, ut reverà determinat intellectum auxilium illud. *Eſt namque prima gratia præveniens talis*, inquit ille num. 69. *ut infallibiliter quoad exercitium faciat intellectum, & voluntatem illos elicere actus indeliberatos*, cujus rationem reddit nu.70. *Si namque poſitâ illâpriori præveniente gratiâ, quâ Deus effectivè voluntatem excitat, non ſtatim inſeparabiliter ſequeretur, voluntatem habere actum indeliberatum ex vi, & efficacia illius prioris impulsûs, utique voluntas non eſſet excitata in ſe ipſa quoad exercitium, cùm in ſe ipſa per ſuum actum excitetur, & ex conſequenti prima illa effectiva excitatio non eſſet excitatio quoad exercitium, ſed penitùs fruſtranea. Igitur neceſſe eſt dicere, ſicut communiter à Theologis publicatur, impoſſibile eſſe, quòd illa omnium prima præveniens excitatio effectiva in intellectu, & voluntate ponatur, quin utraque iſta potentia ſtatim actus ſuos indeliberatos producant, quibus formaliter excitentur.* Hæc ibi *M. Lemos*, cujus aſſerti aliam rationem aſſignat cap.7. num.100. ubi cùm ſibi ſequens propoſuiſſet argumentum: *Quòd ſi dicatur, eſſe quidem inconveniens, ponere tantùm, & præcisè illam qualitatem tranſeuntem, non autem eſſe inconveniens ponere illam elevantem potentias, & inſuper aliam Divinam motionem moventem potentias ſic actuatas per illam qualitatem ad agendum*: reſpondet. *Ad hoc dicendum fruſtra fieri per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora*: cùm ergo unâ actione, ſeù motione poſſit Deus totum efficere, quod eſt neceſſarium, ut potentiæ noſtræ illas ſupernaturales operationes efficiant, fruſtrà multiplicantur actiones duæ. Sicut ergo *Sanctus Thomas* docet, quòd Deus unâ infuſione gratiæ omnia perficit neceſſaria ad juſtificationem; nec ibi duplex actio Divina intervenit: ita unâ motione omnia perficit Deus, quæ neceſſaria ſunt, ut potentiæ noſtræ ſupernaturaliter operentur, nec niſi ex ſuperfluo duæ Divinæ, & diſtinctæ actiones poſſunt multiplicari. Hanc eamdem doctrinam applicat motioni virtuoſæ, per quam Deus elevat Sacramenta ad productionem gratiæ. Et eodem modo diſcurrit de lumine prophetico, reſpectu cujus non agnoſcit motionem præviam realiter diſtinctam, & ſubſecutam ad prædictum lumen. Hanc ſententiam defendunt *M. Gonet* diſp. 4. de volunt. §. 3. *Alvarez* de auxiliis lib. 4. diſp. 80. *M. Ferre* tom. 3. in 1. 2. q. 10. §. 3. *Salman.* diſp. 6. de grat. ſuffic. dub. 1. nu.2. *Medina* 1. 2. q.109. art.10. *Nazarius* 1. p. q. 23. art. 3. & alii.

46. Utraque ſanè ſententia probabilis eſt. Si quis ergo accedat ad poſteriorem hunc modum dicendi, reddenda eſt diſparitas inter auxilium, & potentiam cum eodem ſapientiſſimo *M. Bolivar* loco citato num. 33. qui in hanc etiam opinionem, ut probabilem vergit dicens: *Si autem cum aliis Thomiſtis aſſeratur poſſe auxilium dans poſſe, con-*

necti eſſentialiter cum actu, ſeu identificare prædeterminationem ad illum, diſcurrendum eſt de ipſo quantùm ad hoc, ſicut de cognitione, & reddenda diſparitas inter ipſum, & potentiam; nam auxilium eſt purum QUO *non* POTENTIA, *ſeu elevans illam, ut poſſit operari actum ſupernaturalem. Quapropter poteſt ipſi etiam præſtare ut operetur, prædeterminando illam ad operationem ſecundum modum, quo objectum ab intellectu proponitur. Accedit, quòd auxilium non eſt ratio conſtituens voluntatem potentem omittere, quam omiſſionem poteſt conjungere cum auxilio ut præſtante poſſe, licèt non ut prædeterminante; poteſtque Deus ſic res diſponere, ut voluntas conjungat omiſſionem hujus ejuſdem actûs cum altero auxilio dante ſolùm poſſe, quòd formaliter eſſet idem quantùm ad munus dantis poſſe: Deuſque prævidens poſſe facere, quod voluntas præventa judicio indifferenti ad actum ſupernaturalem, illum eliciat; poteſt utroque modo illud facere; ſcilicet, vel auxilio præſtante poſſe & prædeterminationem, vel duplici auxilio.* Hæc ſapientiſſimus iſte Magiſter.

47. Conſtat ergo maximum quòd reperitur diſcrimen inter auxilium, & inter potentiam creatam. Hæc ratione intrinſecæ potentialitatis eſt in potentia ad operandum, & non operandum: undè debet determinari à Deo, ut ſalvetur Dei immediatum dominium ſupra ipſam operationem. Auxilium verò gratiæ, cùm ſit perfectioris actualitatis in agendo, poteſt ſimul adunare rationem virtutis, & applicationis ad actum. Sic videtur, quòd licèt implicatoria ſit cauſa creata identificans aliquam terminationem intrinſecam connexam cum ſua operatione; poſſibilis tamen eſt cognitio conſtituens voluntatem proximè potentem elicere actum liberum, & ſimul identificans terminationem connexam infallibiliter cum illo, ut conſtat in viſione beata *Chriſti Domini* regulante actus liberos, & ſimul repræſentante illorum exiſtentiam. Licèt ergo Deus non poſſit negare concurſum ad operationem in ſenſu compoſito hujus auxilii, identicè, & materialiter ſumpti, poteſt tamen illum ſuſpendere in ſenſu compoſito illius, eâ ratione, quâ eſt formaliter auxilium ſufficiens dans virtutem, & ſufficientiam conſtitutivam actûs primi. Debet namque in ipſo auxilio utraque formalitas diſtingui ſicut & in viſione beata diſtinguitur; & repræſentatio objecti indifferentis ad hoc ut ametur, vel non ametur; ſub qua formalitate conſtituit poteſtatem liberam ad amorem; & repræſentatio amoris infallibiliter futuri, quæ impertinenter ſe habet ad hoc, ut viſio repræſentativa objecti indifferentis conſtituat poteſtatem liberam ad amorem talis objecti: ita & in præſenti in ſigno actûs primi non intelligitur hoc auxilium connexum cum operatione, cùm ſub iſta formalitate non conſtituat, ſed quà formaliter eſt ſufficiens. Licèt ergo Deus non poſſit denegare operationem, attento principio non conſtituente actum primum, poteſt tamen denegare, attento principio formali illius, quod ſufficit ad immediatum dominium ſupra operationem. Videantur *PP. Salmanticenſes* tract. 14. diſp. 5. dub. 6. num. 125. & 55. Et *Illuſtriſſimus Caſtell.* diſp. 3. q. 4. ſect. 2. *Doctor Rios* de judicio indifferenti diſp. 2. dub. 3. §. 5.

48. Sed

48. Sed quamvis in ſententia iſta auxilium excitans ſit ſimul efficax ad actus indeliberatos, minimè implicatur *Janſenii* erroribus; hic enim negans auxilium ſufficiens ab intrinſeco non efficax, loquitur reſpectivè ad actus liberos, undè nullum auxilium ſufficiens exiſtimabat conjungibile cum utroque extremo libertatis: quinimò hominem carentem auxilio efficaci ad vitandum peccatum, carere etiam auxilio ſufficienti ad illius vitationem. Ex quo apud ipſum ad peccatum non requirebatur libertas indifferentiæ, ſed ſpontaneitatis, ut ſuperius diximus. At in præſenti non loquimur de actibus liberis, ſed de modo, quo Deus ad actus omninò indeliberatos prævenit movendo per auxilium, quod ſit ſimul ſufficiens, & efficax, in quo minimè læditur, vel deſtruitur libertas. Hìc mirari ſatis non poſsum quomodo *Pater Aranda*, ex quo auxilium excitans ſit ſimùl efficax ad actus indeliberatos, *Janſeniſmi* notam, eo ſolo nomine huic ſententiæ inurere cogitat, dùm tàm magnum, & latum diſcrimen inter utrumque verſetur; quin immo, & ſi idem auxilium eſſet ſimul ſufficiens & efficax ad actum liberum, ut in noſtra Schola alii probabiliter ſentiunt: quod intellexiſſet ſanè, ſi, uti par erat, hæc cum principiis *Janſenii* conferre voluiſſet.

49. At ſi cui longè magis arrideat primus modus dicendi, qui planior, & communior eſt, reſpondetur ad fundamenta *Magiſtri Lemos*, diſtinguendo majo. determinat immediatè, quoad exercitium nego maj. mediatè ſeu radicaliter, aut exactivè conced. maj. & ſub eadem diſtinctione minoris neg. conſeq.. Certum quippe eſt, quòd auxilium elevans intellectum ad ſanctam cogitationem connectitur cum illa, undè exigit Dei prædeterminationem ad ejus elicientiam. Ex quo tamen minimè inferri debet identitas auxilii cum concurſu prædeterminante. Non enim omne principium neceſſitans ad actum exigit hujuſmodi identitatem cum prædeterminatione ad actum. Conſtat in cognitione determinata neceſſitante ad amorem v. g. in viſione beata, quæ neceſſitat quoad exercitium ad amorem Dei, quin propter hoc talis cognitio ſit motio phyſicè prædeterminans. Idem conſtat in cognitione ſubita proponente appetitui bonum delectabile; in imperio voluntatis moventis ad actus externos; in affectione pia determinante intellectum ad aſſenſum fidei, quæ determinant quoad exercitium potentias ad proprios actus, quæ tamen etſi connectantur, & exigant concurſum prædeterminativum, minimè tamen cum illo identificantur. Nec oppoſitum inferri poteſt ex lumine prophetico, aut lumine gloriæ tranſeunter communicato; nam ultra lumen propheticum, & lumen gloriæ, tranſeunter *D. Paulo* communicatum fuit auxilium efficax realiter ſuperadditum: aliàs ſequeretur, quòd non poſſent gratiæ gratis datæ, ſicut prophetia, virtus miraculorum &c. exiſtere pro aliquo tempore in ſubjecto, quin pro illo exiſtant cum reductione ad actum ſecundum: qùod eſſe falſiſſimum conſtat in *Chriſto Domino*, in quo fuit lumen propheticum, & virtus patrativa miraculorum, eſtò non ab intrinſeco, cùm inter qualitates fluidas, & gratias gratis datas numerentur, quin tamen *Chriſtus Dominus* ſemper fuerit in actu ſecundo propheticè co-

F 2 gno-

gnoſcens, & miracula operans. Quæ enim repugnantia eſt, vel eſſe poteſt in eo, quòd Deus elevando talem potentiam, conferat ipſi virtutem, & ſufficientiam ad cognitionem, quin ipſum prædeterminet ad talem cognitionem? Maximè, dum omnis cauſa creata petit ſubordinari in actuali operatione immediatè Deo; dum diſtinctio utriuſque auxilii ſufficientis, & efficacis eſt magis conformis naturis rerum; dum ad oppoſitum nullum urgens eſt fundamentum. Ita ſanè eſt, quòd non ſunt multiplicandæ actiones ex parte Dei ſine neceſſitate; ſed hic urget neceſſitas, ut ſalvetur immediata ſubordinatio Deo creaturæ in operando: falſumque eſt, quod aſſeritur, quòd Deus unicâ actione perficit opus juſtificationis. Unica eſt actio ſubjectivè, item terminativè unitate morali, ſed phyſicè terminativè loquendo concurſus ex parte Dei ſunt diverſi. Non enim gratia habitualis, quæ non in potentiis animæ, ſed in anima ipſa reſidet, poteſt potentias elevare immediatè, & per ſe ipſam, ſed requiritur motio intrinſeca ipſis inhærens, ut reducantur ad actualem operationem. Ex quibus probata manet tertia pars concluſionis poſitæ.

§. VI.

Nonnulla notatu digna ex dictis proponuntur.

50. HIc pro pleniori hujus dubii intelligentia obſervandum primò, gratiam excitantem, prout includit illuſtrationem ſanctam intellectûs, & piam motionem voluntatis indeliberatam, eſſe auxilium verè ſufficiens, quo voluntas vires ſufficientes habet ad conſenſum ſalutarem; itaut excitatio, & auxilium in noſtra poteſtate non ſint, quia illa *dividit idem ſpiritus ſingulis prout vult*, ut inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 12. 11. quem locum ad propoſitum noſtrum adducit etiam Sanctus *Proſper* contra Collatorem cap. 14. *Spiritus enim ubi vult ſpirat*; excitatione verò, & inſpiratione ſemel in nobis ex gratia Dei exiſtente, eſt in noſtra poteſtate inſpirationem recipere, ſeù acceptare, conſentiendo liberè, & inſpirationem abjicere, & reſpuere, Spiritui Sancto reſiſtendo per diſſenſum liberum: quod ità eleganter docet *Auguſtinus* de ſpiritu, & littera cap. 34. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, ſivè extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat; ſivè intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*; & alibi q. 2. ad Simplicianum: *Quis poteſt credere niſi aliquâ vocatione tangatur? Quis habet in poteſtate, tali viſo attingi mentem ſuam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem?* Non ergo habemus in poteſtate, moveri ad fidem, & hâc vocatione, vel illâ tangi mentem noſtram, ſed ſemel vocati, & inſpirati conſentire, & moveri ad fidem, propriæ voluntatis eſt, licèt non ſine adjutorio Dei.

51. In-

51. Inferes ſecundò, dari auxilium fluidum ſupernaturale, elevans potentias ad ſupernaturaliter operandum; quod, etſi parùm duret, non ex hoc ipſo imperfectionem dicit: cùm perfectio auxilii ſupernaturalis, non tàm ſumenda ſit ex permanentia, quàm ex fine, & ex operationibus, ad quas ordinatur. Cùm ergo auxilium hoc fluidum, & tranſiens ſit principium operationum ſupernaturalium, & ad Deum auctorem gratiæ ordinetur, eſtò deficiat perfectio permanentiæ, & diuturnæ durationis, verè perfectum eſt, & perfectionem dicit excedentem qualitates permanentes ordinis naturalis. Quæ autem res ſit auxilium hoc fluidum, & tranſiens, an ſit qualitas, vel ſe habeat ut forma quædam incompleta, & vialis, quæ voluntati præſtet virtutem ad actum, Diſcipuli *D. Thomæ* diversè ſentiunt. Nonnulli arbitrantur auxilium gratiæ moventis ad bonum operandum non eſſe qualitatem; quia qualitas nominat aliquid completum, & quodammodò permanens: auxilium verò movens ad cognoſcendum, volendum, aut agendum naturâ ſuâ eſſe tranſiens, & quid incompletum, prout exprimit *D. Thomas* q. 3. de potent. art. 7. ſequentibus verbis: *Quia habet eſſe quoddam incompletum, per modum quò colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento Artificis*. Sic plures Thomiſtæ affirmant eſſe qualitatem, non quæ ſit habitus, ſed quæ habeat modum motionis. Alij verò tale auxilium prævium non eſſe qualitatem, ſed ſolùm eſſe motum paſsivè receptum in cauſa ſecunda, ratione cujus movetur, ut ipſa ſe moveat, eſſe magis conforme *D. Thomæ* doctrinæ propugnant: aſſerit namquè Angelicus Mag. 1. 2. q. 110. art. 2. *Quòd auxilium gratiæ non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ; actus enim moventis in moto, eſt motus*. Id autem in præſentiarum ſupervacaneum duxerim diſputare; licèt enim dividantur Thomiſtæ in explicando, quid ſit hoc à Deo cauſæ ſecundæ impreſſum auxilium; conveniunt tamen omnes, influxum Dei aliquid phyſicum imprimere cauſæ ſecundæ, quam elevat ad ſupernaturaliter operandum, eſſeque intrinſecè, & tranſeunter receptum, ſeu inhærens in cauſa ſecunda, ad quod voluntas ſe habet purè paſsivè: undè conſequenter affirmant, quòd auxilium hoc non eſt actus formaliter vitalis; cùm ad omnem actum vitalem voluntas non ſe habeat purè paſsivè, ſed eliciendo activè, tamquàm verum principium activum illius: quarè auxilium hoc eſt realiter diſtinctum ab actibus creaturæ. Undè *D. Thomas* locò citatô ex q. 3. de potent. art. 7. ad 3. aſſerit: *Dicendum, quòd in operatione, quâ Deus operatur, movendo naturam, non operatur natura*. Ergo juxta ipſum, concurſus ille motus animæ dicitur non elicitivè, ſed receptivè, ideſt motus in anima receptus, quò Deus animam movet, non tamen elicitus, & ad quem voluntas comparetur ut principium eliciens.

52. Sed hìc diſſimulare non poſſum, qualiter Caducifer invidioſam, atque adverſam his auxiliis nomenclaturam obtrudat, dicens, eſſe *qualitates mortuas*. Sic expreſsè 3. p. punct. 5. num. 74. his verbis: *Id verò, quod controvertitur, eſt, an præter tales actus vitales neceſſariò*

de-

debeat admitti alia ſupernaturalis QUALITAS MORTUA, *auxiliumvè tranſiens, & fluidum pro priori præcedens ad tales actus humanos, etiam indeliberatè eliciendos.* Quod iterùm repetit punct. 6. num. 80. dicens: *Poſtquàm vidimus pacem inter utroſque Theologos, Thomiſtas videlicet, & Jeſuitas, nihil turbari poſſe, tùm ex Auctorum ſenſu, quia & pro ſolis actibus vitalibus ſtant Authores Thomiſtæ,* (falſum, quod id aſſerant Thomiſtæ citati) *& pro qualitatibus, quas* MORTUAS *vocant, ſtant etiam alii Jeſuitæ juxta P. Marin de liber. arb. diſp.* 1. *ſect.* 5. Hæc ille. Sed apage vanum terriculum, ad terrendos pueros purè excogitatum. An non ridiculum, ac rationi prorsùs diſſonum eſt dicere *qualitates mortuas* auxilia, quæ eſſentialiter ſunt formæ elevativæ potentiarum vitalium ad vitaliter operandum? Nova ſanè res, atque hactenùs inaudita. Quid enim abſurdiùs dici poteſt, quàm principium *quo* actionum ſupernaturalium emortuum dicere? Mortuum dicitur, quod eſt privatum vitâ, quam habuit, aut poteſt habere: ſed Adverſariis fatentibus, auxilia hæc fluida non ſunt vitalia, nèc capacia vitalitatis: ergo nequeunt dici *qualitates mortuæ*. Quod ſi velint per ly *mortuas* intelligi non vitales, libenter concedimus non eſſe, ut *quod* formaliter vitales; at minimè ex hoc ſequitur, eſſe qualitates mortuas. Sic diceres Solem frigidum, quia in ſe calidus non eſt. Sunt ergo auxilia iſta vitalia ut *quo*, quatenùs eſſentialiter conſtituunt ſubjectum operativum in ordine ſupernaturali. Hoc modo Thomiſtæ vitalitatem in eis agnoſcunt, nec agnoſcunt abſurdè; at videat Caducifer, an ad eumdem modum uſurpetur vox iſta à *P. Oviedo*, qui tract. de juſtif. controv. 1. punct. 4. num. 52. aſſerit, *gratiam habitualem eſſe qualitatem mortuam*; & nùm hoc verè ſuſtineri poſſit, quod à Theologis hucuſquè nec dictum, nec excogitatum eſt.

DUBIUM III.

An gratia excitans, & efficaciter adjuvans ſint cauſa purè moralis, aut phyſica bonorum actuum?

§. I.

Quædam ad reſolutionem dubii proponuntur.

1. GRATIA actualis Dei, ſive ejus adjutorium, cauſæ nomina ſunt, & principii. Hujus eſſentia formaliter conſtituitur per ordinem ad opus, ſive effectum: ut probant innumera Sacræ Scripturæ teſtimonia, *Ezech.* 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis. Iſaiæ* 26. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis.* Ad *Philipp.* 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis.* Et *Jacob* 1. *Omne datum optimum . . . deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Id ipſum conſtat ex *Conc. Arauſicano* 2. cap. 9. *Quotiès bona agimus, Deus operatur*

ratur in nobis, *atque nobiſcum*, *ut operemur*. Hanc gratiæ notionem *S. P. Auguſtinus* paſſim inculcat lib. *de prædeſt. Sanctor.* cap. 10. lib. *de grat. Chriſti* cap. 27. lib. 2. *contra duas Epiſt. Pelagianor.* cap. 7. Epiſt. ad *Vitalem* 217. & aliis in locis. Negari ergo minimè poteſt, quòd ratio cauſæ ſit intraneus, & propriiſſimus conceptus gratiæ actualis. Etenim adjutorium omne, quatenùs adjutorii nomen habet, non excludit opus, & effectum; ſed juvat, & opitulatur ad illum. Undè ſive ſit adjutorium *ſine quo*, ſive adjutorium *quo* voluntatis, & actionis, per ordinem ad effectum intelligi debet: cùm eſſentia adjutorii *ſine quo* in agendi vi, ac poteſtate ſita ſit; & adjutorium *quo* ſit gratia Chriſti donans, operans, impertiens conſenſum ſalutarem; ſive id, quô Deus operatur in nobis & velle, & currere: & quô Deus hominibus, undè diſcernantur, impertit.

2. Cùm ergo Dubio proximè ſuperiori jam fusè de natura gratiæ excitantis diſtinctè actum ſit, unum modò expendendum ſupereſt: Quænam ſit tàm gratiæ excitantis, quàm efficaciter adjuvantis cauſalitas, an nempè phyſica, vel moralis? In hac difficillima quæſtione variæ, & pugnantes perſtrepunt Catholicorum ſententiæ. Vidimus ſuprà Dub. 1. §. 1. AA. Societatis gratiæ excitanti, & adjuvanti tribuere cauſalitatem purè moralem. Econtrà Thomiſtæ cauſalitatem verè phyſicam agnoſcunt, tàm in gratia excitanti; ſumpta pro auxilio cauſante varios effectus indeliberatos ſupernaturales, quibus diſponitur voluntas ad actus liberos; quàm in gratia efficaciter inferente conſenſum liberum: quam ſententiam pro modulo noſtro vindicabimus. Sed ut luculentiùs, diſtinctiùſque noſtra exponatur, & comprobetur reſolutio; in memoriam revocamus, quod ſuprà diximus, gratiam excitantem, completè acceptam, comprehendere ſubminiſtrationem ſpiritûs, & virtutis, ut dicit S. *Auguſtinus* lib. 1. de *grat. Chriſti* cap. 2. & 34. prout nempè dicit auxilium elevans intellectum ad elicientiam actûs ſupernaturalis; nec non inſpirationes ſanctas, pioſque voluntatis indeliberatos affectus; à quibus realiter diſtinguitur auxilium; & quibus prævenitur, incitatur, & erigitur voluntas ad elicientiam conſensûs liberi. Duplex enim datur illuminatio nobis intrinſeca: cauſalis una, & per modum actûs primi, quæ illuminatio Spiritûs Sancti conſiſtit in ſubminiſtratione auxilii intrinſecè per modum principii intellectum elevantis ad elicientiam ſupernæ contemplationis, & ſanctæ cogitationis; alia formalis, & per modum actûs ſecundi, quæ conſiſtit in ſancta cogitatione. Illuminatio namquè ex terminis, cùm ſit productio luminis, dùm Deus producit in nobis lumen internum, nos illuminat: ut conſtat ex illo Pſal. 33. *Accedite ad illum*, *& illuminamini*. Cùm ergo ratio luminis conveniat tàm cognitioni, quàm principio illius; ut conſtat in lumine gloriæ, in habitu fidei, & habitu ſcientifico illuſtrantibus intellectum; hinc fit, quòd illuminatio, quâ deſcribitur gratia Dei præveniens, debet intelligi cum debita proportione; ita ut gratia ſimpliciter primò præveniens conſiſtat in auxilio intellectum per modum principii illuſtrante; gratia verò præveniens, non primò ſimpliciter, ſed reſpectivè ad conſenſum

ſenſum

ſenſum liberum, eſt intrinſeca illuminatio in actuali cognitione conſiſtens. Quarè gratia præveniens, completè, & integraliter ſumpta, utramque illuminationem includit; cùm ex parte intellectûs includat auxilium fluidum elevans ipſum ad ſanctam cogitationem; & ſanctam cogitationem, quâ excitatur voluntas; cùm excitari nequeat ad aliquem affectum, niſi priùs cognoſcatur, & proponatur ab intellectu aliqua convenientia. At cùm longè diverſa ſit quæſtio, variæque ſint doctiſſimorum hominum, diſcrepanteſque ſententiæ, dum de actibus indeliberatis intellectûs, & voluntatis, & de auxiliis primordialiter acceptis diſſeritur; ut controverſiam hanc manifeſtiùs explicem, dividam illam. Primò oſtendam, an actualis intrinſeca ſupernaturalis illuminatio influat phyſicè in actus indeliberatos voluntatis. Deindè, qualiter concurrant tàm ſancta cogitatio, quàm ipſi voluntatis indeliberati affectus in liberum voluntatis conſenſum. Et tertiò, Dubio ſequenti, quænam ſit cauſalitas conveniens auxilio excitanti, & efficaciter adjuvanti erga eumdem conſenſum liberum.

3. Sed antequàm ad probàtionem deſcendamus, immeritò hìc prætermitterem ſpecialem Caduciferi opinandi modum. Variis in locis concedit ille Deum *phyſicè* influere in voluntatem quoad actus ſupernaturales, hoc ſenſu, quòd id, quod Deus imprimit voluntati, aut intellectui, ſit quidem in ſe aliquid *phyſicum*, licèt modus movendi ſit moralis tantùm; ſic ille pag. 329. num. 132. Verba ejus ſunt: *Loquendo verò de actibus ſupernaturalibus, non gratis, ſed tàm neceſſariò, quàm perlibenter admittunt Jeſuitæ tale genus præmotionis phyſicæ in ſe, licèt moraliter allicientis, & inclinantis*: attamen victus pondere auctoritatis in fine operis ſui pag. 523. punct. 6. part. 3. concludit: *Standum eſſe pro phyſico concurſu auxiliorum: & quidem eò præſertim, quò Pelagiani adſcribentes ſoli naturæ, quidquid eſſet in opere ſalutari, faciles erant in tribuendo auxiliis influxum moralem*. Igitur, juxta hunc Auctorem, auxilia Divina influunt phyſicè, & non influunt phyſicè, ſed moraliter tantùm. At ponamus ipſum hoc ultimum in fine libri ſui retractaſſe, verbis citatis ex pag. 523. adeòque concedere, quò à Pelagianis ſe diſcernat; non ſolùm quòd auxilia in ſe ſint quid phyſicum, ſed quod etiam phyſicè influant, nedùm moraliter: attamen non poſſum ei conſentire in ſubſequentibus, videlicet, totum illud, quòd Concilia inculcant, ac definiunt, ſalvari in actibus vitalibus à Deo immiſſis, in quibus eſſentiam Divinorum auxiliorum collocat. Etenim impoſſibile eſt, quòd Deus in nobis producat actum vitalem, niſi vel applicando potentiam vitalem, vel proponendo ei aliquod objectum. Primum negat; ſecundum ſolùm probat moralem concurſum. Undè explicare tenebitur uti noſtrates concurſum phyſicum auxiliorum, aut cum ſuis negare.

4. Rursùs illud mirandum magis, quòd Caducifer recognoſcens concurſum *phyſicum* auxiliorum Divinorum dicat pag. 524. n. 82. *rationem non omnino firmam inveniri* ad illum influxum phyſicum ſtabiliendum *apud AA. Ripaldam, Ruizium, atque Munieſſam*. Sed cur rivulos ſectatur, & non potiùs ad fontem Theologiæ Scholaſticæ *S. Thomam* acce-

accedit? Legat, ſi placet, S. Doctorem lib. 3. contra Gent. cap.66. 67. 68. 69. 70., item 89. & 90., inveniet ibi rationes plures, quàm optat, eaſque ſolidiſſimas, atque ex ipſis Metaphyſicæ penetralibus hauſtas. Id verò non concipio, quomodò poſſit ille admittere influxum phyſicum auxiliorum, & negare auxilium fluidum. Etenim auxilia, ſecundùm ipſum, ſunt actus vitales indeliberati, & rapti, ſupernaturales tamen. Actus vitalis eſſentialiter petit procedere ex ipſo vivente, nàm viventia ſunt, quæ ſe movent ab intrinſeco; quomodò ergo actus ille vitalis poteſt eſſe ſupernaturalis, niſi ipſum vivens, ſive potentia vitalis, quæ elicit actum indeliberatum, receperit in ſe vires aliquas ſupernaturales, ſaltem fluidas, & tranſeuntes? Recurſus ad concurſum ſimultaneum ſupernaturalem minimè ſatisfacit; cùm Deus, juxta ipſum, ſimultaneum illum ſupernaturalem concurſum non apponat, niſi ad eum determinetur à creatura, ut aſſerit pag.526. num.85. *Deus*, inquit, *relinquit ſuo generali ſimultaneo concurſu concurrere, vel ſecùs ſuo ſupernaturali concurſu ad actum ſalutarem, prout ita exegerit determinatio libera creaturæ*: Ergo determinatio creaturæ debet eſſe ſupernaturalis, ut exigat concurſum ſupernaturalem: ergo creatura debet in ſe recepiſſe aliquid ſupernaturale, ut ſe, & concurſum Dei ad actum ſupernaturalem determinet.

5. Deindè, demus gratis, quòd Deus ſuo ſupernaturali concurſu ſimultaneo, poſſit actui, ſecundùm ſuam ſubſtantiam naturali, communicare ſupernaturalitatem; ille tamen actus ſub ea ratione, ſub qua eſt ſupernaturalis, non erit vitalis: quia ut vitalis debet procedere à potentia intrinſeca ipſius viventis, quòd ſupponit in ſe nullam adhùc virtutem ſupernaturalem recepiſſe; undè ſub ea ratione, ſub qua eſt vitalis, non poteſt eſſe ſupernaturalis; quod ſequenti exemplo ſatis confirmari poteſt, quo ſæpè utitur P. *Molina*, ejuſque ſequaces. Supponamus Regem cum Plebeio concurrere ſimultaneè ad tractionem navis; illa tractio erit mixtim Regia, & plebeia; ſed quâ ratione eſt à plebeio, non eſt Regia, quâ ratione eſt à Rege, non eſt plebeia. Sic ergo in præſenti, ſi Deus, & homo concurrunt ſimultaneè ad actum ſupernaturalem, & homo in ſe, vel potentiis ſuis nihil virium ſupernaturalium recipit, actus ille erit ſupernaturalis, & naturalis: quatenùs à Deo, erit ſupernaturalis, quatenùs ab homine, erit naturalis; & cùm ſub hac ultima ratione tantùm habeat, quòd ſit vitalis, ſequitur actionem illam, ut vitalem, non eſſe ſupernaturalem: quòd & apertè docet *P. Molina* memb. 7. pag. 336. his verbis: *Quia tamen gratia illa, quantùm eſt ex ſe, agit* NECESSITATE NATURÆ, *neque in ea eſt ulla libertas, actus illos eſſe quidem ſupernaturales, quia ab ea gratia emanant, non vero eſſe eâ ratione liberos: contrà vero eoſdem actus liberos eſſe, quia emanant à voluntate, quæ ad eos potuit non influere, non verò eſſe eâ ratione ſupernaturales*. Eodem igitur modo actus illi indeliberati Caduciferi, quatenus ſunt à Deo, erunt ſupernaturales; quatenus à libero arbitrio, erunt vitales; ſed non erunt vitales ex ea parte, quâ ſunt ſupernaturales; nec ſupernaturales, quâ parte ſunt vitales. Quod totum falſiſſimum eſt.

Primò, quia actus ſupernaturales egrediuntur à potentia ſub ratione ſpecifica ſupernaturali; ſunt enim vitales ſecundùm ſuam ultimam differentiam vitâ ſupernaturali participatâ à Deo; cùm non per tales actus vivat potentia vitâ ut ſic, præſcindente à naturali, & ſupernaturali, ſed vitâ ſupernaturali hujus determinatæ ſpeciei, nempè Divinæ per participationem: ergo actus ſupernaturales egrediuntur à potentia ſub ratione ſpecifica ſupernaturali. Eodem nempè modo, quo intellectus, dùm influit in cognitionem naturalem, per talem cognitionem conſtituitur vivens, non præcisè vitâ ut ſic, ſed determinatæ ſpeciei. Secundò, quia actus meritorius præmii ſupernaturalis, procedit à libero arbitrio, prout formaliter eſt meritorius; aliter liberum arbitrium non mereretur, niſi tantùm impropriè: nec eſſet cauſa per ſe actûs meritorii formaliter ut talis; ſed eſt meritorius præmii ſupernaturalis, prout ſupernaturalis: ergo prout ſupernaturalis debet procedere à libero arbitrio. Niſi velint, quòd ab actibus liberis auferatur quod dignius, quod magis in eis eſt præcellens, eximium, & egregium, nempè ratio de condigno meritoria præmii ſupernaturalis.

6. Nec prætereundum, quàm longè à veritate diſtet *P. Molina*, dùm dixit, quòd gratia agit *neceſſitate naturæ*. Hoc ſi ita intelligat, quòd gratia imponat voluntati neceſſitatem naturæ, fallitur vehementer; eſt quippè res perſpicua, atque è Sacris Litteris, Conciliis, & PP. manifeſtè explorata, & comprehenſa, gratiam eſſe liberam libertate convenienti habitibus ſupernaturalibus, per modum virtutis dantis poſse liberum ad actus ſupernaturales, & ratione cujus libero arbitrio ineſt immediata, & proxima libertas in actus ſupernaturales; ſic namquè gratia determinat potentiam ad actus proprios, quòd relinquat in ea poteſtatem ad actus oppoſitos. Quarè exclamat S. *Auguſtinus* Epiſt. ad *Hilarium* 157. *Libertas ſine gratia non eſt libertas, ſed contumacia.* Et ibi num. 8. *Hæc enim voluntas tantò erit liberior, quantò ſanior: tantò autem ſanior, quantò Divinæ miſericordiæ, gratiæque ſubjectior.* Ad eundem modum loquitur Epiſt. ad *Vitalem* 217. *Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſuâ liberâ credere voluntate; cùm potiùs illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, quâ verè ad bona eligenda, & facienda ſit liberum.* Quod teſtatur etiam retract. lib. 1. cap. 26. dicens: *Sed ut ad rectè faciendum liberum ſit, gratiâ Dei liberatur.* Sed quid ego argumentor? Quid pluribus diſputo? Veritas hæc apud S. *Auguſtinum* notior, & crebrior eſt, quàm ut aliis ejuſdem S. Doctoris teſtimoniis, majorique ſtudio indicanda ſit. Nunc ad earum rerum, quam propoſui, explicationem, diſputationemque veniamus.

§. II.

Illuſtratio ſupernaturalis non influit effectivè phyſicè in affectionem ſupernaturalem.

7. ET quidem, quòd ad primam hanc partem attinet, non eſt quòd longior ſit probatio, cùm ex dictis Dubio præcedenti ſatis efficaciter probata maneat. Non enim ex vi ſubitæ cogitationis exiſtentis in intellectu, datur in voluntate intrinſeca virtus præcontentiva actûs ſupernaturalis: tùm quia talis poteſtas eſt intrinſeca voluntati, & cogitatio quid extrinſecum; tùm quia licèt ex ſancta cogitatione conſequatur ſubita affectio in voluntate; at non in voluntate impræparata, aut improportionata: præparatur autem voluntas à Domino: undè ultrà requiritur aliud auxilium: ut conſtat in viſione clara Dei, ad quam neceſſariò conſequitur amor; & tamen actus iſti proveniunt ex principiis realiter diſtinctis, & ad diverſam lineam pertinentibus. Si ergo lumen gloriæ, etſi donum excellentiſſimum, nequit eſſe principium cognitionis ſimul, & amoris; nec ab eadem indiviſibili virtute ſupernaturali effectivè procedere poſſunt operationes intellectûs, & voluntatis. Et tandem: quia cognitio præveniens voluntatem, licèt moveat ad ſanctam affectionem, ſolùm movet excitando, & alliciendo, non autem dat vires intrinſecas, ut voluntas prorumpere poſſit in affectionem ſupernaturalem: ergo ad ejus elicientiam elevari debet medio aliquo auxilio intrinſecè elevante voluntatem. Quid namquè prodeſt excitatio intellectûs, dùm voluntati deſunt vires ſupernaturales ad elicientiam amoris? Dùm remanet ita intrinſecè impotens, ac erat anteà? Suadeat quis, etſi ad perſuadendum ſit maximè potens, claudo ut rectè ambulet: vana, & inutilis erit vehementiſſima illa perſuaſio, ſi incedere iſte minimè poteſt. Ergo non ſufficit ſuaſio, ubi impoſſibilitas permanet, deficitque voluntati virtus præcontentiva actûs ſupernaturalis, quàm minimè præbet illuſtratio ſupernaturalis, utpotè extra lineam affectivam, & tendentiam inclinativam in bonum.

8. Secundò efficaciſſimè promovetur eadem aſſertio. Etenim illuſtratio ſupernaturalis intellectûs inducens, & alliciens voluntatem ad bonum, ſolummodò excitat, provocat ipsâ manifeſtatione boni, vel fugam mali propoſiti voluntati. Hic enim eſt effectus illuſtrationis, quem nec *Pelagius* ignoravit, nec negavit, ſed ultrà agnovit apud S. *Auguſtinum* lib. de grat. Chriſti Cap. 10. dicens: *futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit*; quod *revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem*; quod *ſuadet omne, quod bonum eſt*. Quod etiam teſtatur S. Doctor de peccat. merit. lib. 2. cap. 17. num. 26. dicens: *Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod delectabat*, gratiæ Dei eſt. Dulcedine quippè, & ſuavitate objecti propoſiti allicitur voluntas ad conſentiendum; trahitur promiſſis, beneficiis, oſtenſo amore, oblatâ bonitate, revelatâ veritate: quem Divinæ illuminationis effectum explicat S. Doctor in *Joann.* cap. 6. Tract. 26.

num. 5. dicens: *Iſta revelatio ipſa eſt adtraxio. Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonſtrantur, & trahitur.* Quòd totum morale eſt, ut efficaciſſimè probat ſequens diſcurſus. Quod influit in actum voluntatis influxu ſe tenente ex parte objecti, non influit phyſicè effectivè in eum; objectum enim formale ſolùm influit influxu ſpectante ad genus cauſæ formalis extrinſecæ; ſed quòd influit in actum voluntatis oſtenſione, & propoſitione alicujus boni influit ſolùm influxu ſe tenente ex parte objecti: ergo illuminatio ſupernaturalis non phyſicè influit, ſed moraliter ad actum indeliberatum voluntatis. Non aliter meliùs oſtendere poſſumus veritatem minoris, quàm D. *Thomæ* luculentiſſimis teſtimoniis. Sic namquè docet 1. part. quæſt. 106, art. 2. *Voluntas immutatur dupliciter: uno modo ex parte objecti, alio modo ex parte ipſius potentiæ. Ex parte quidem objecti movet voluntatem, & ipſum bonum, quod eſt voluntatis objectum, & ille qui demonſtrat objectum; puta, qui demonſtrat aliquid eſſe bonum.* Quòd repetit 1. 2. quæſt. 80. art. 1. his verbis: *Ex parte autem objecti poteſt intelligi, quod aliquid moveat voluntatem tripliciter. Uno modo, ipſum objectum propoſitum, ſicut dicimus, quòd cibus excitat deſiderium hominis ad comedendum. Alio modo, ille qui proponit, vel offert hujuſmodi objectum. Tertio modo, ille qui perſuadet objectum propoſitum habere rationem boni, quia & hic aliqualiter proponit proprium objectum voluntati, quod eſt rationis bonum verum, vel apparens.* Quòd iterùm docet quæſt. 22. de verit. art. 8., quibus probat Angelum non poſſe directè immutare voluntatem alterius, niſi immutatione ſe tenente ex parte objecti, & quòd Diabolus non ſit homini directè cauſa peccandi, ſed ſolùm per modum perſuadentis, vel proponentis appetibile: ergo evidens eſt, juxta S. Doctoris doctrinam, quòd actus influens mediâ oſtenſione bonitatis objecti, non phyſicè effectivè influit, ſed purè moraliter. Aliàs diceres, contra eundem S. Doctorem 1. 2. quæſt. 66. art. 6. fidem influere phyſicè effectivè in actum charitatis: necnon eodem phyſico concurſu viſionem beatam influere in amorem beatificum. Quomodò namquè negari poteſt perfectiſſimus iſte modus influendi phyſicè fidei, & viſioni beatæ, dùm conceditur ſubitæ cogitationi ſupernaturali; cùm tàm cognitio ſubita ſupernaturalis, quàm fides, & viſio beata ſolùm oſtensâ bonitate objecti influant in actus ſubſequentes?

9. Nec quis reponat phyſicè influere in exiſtentiam amoris cognitionem oſtenſivam boni, quia amor pendet eſſentialiter à cognitione boni. Hoc quippè minimè ſequitur. An non actio cujuslibet agentis pendet eſſentialiter à cauſa finali; & tamen concurſus finis non eſt phyſicè, effectivus actionis agentis? An non dictamen prudentiæ eſt eſſentialiter requiſitum ad actum virtutis moralis; & tamen concurſus illius non eſt effectivus, ſed unicè directivus actuum moralium? Non ergo ſufficit unum pendere ab alio, ut dicatur influere phyſicè; ſed requiritur, quòd illud, à quo dependet, verè & realiter influat in exiſtentiam actûs, per poſitivum, & verum influxum, ut diſtinctum ab influxu per modum objecti. Cùm ergo amor ſolùm pendeat à cognitione per modum

dum

dum conditionis, & cognitio ſolùm concurrat ad amorem, concurſu ſe tenente ex parte objecti, quatenùs ex ſua tendentia habet proponere objectum motivum, & terminativum actûs voluntatis, ideò non effectivè, ſed moraliter cognitio ſupernaturalis influit in actus indeliberatos voluntatis.

10. Ex his inferes primò, quòd illuſtratio ſupernaturalis phyſicè non cauſat affectionem liberam, & efficaciter, quam ſolùm mediatè excitat. Secundò, quòd cognitio ſupernaturalis immediatè regulans aſſenſum liberum ſupernaturalem non phyſicè, ſed ſolùm moraliter, & directivè influit in ipſum. Tertiò, quòd ſubita illuſtratio ſupernaturalis, non etiam influit phyſicè cum intellectu immediatè in cognitionem ſupernaturalem. Non enim inter iſtas illuſtrationes datur cauſalitas phyſica effectiva, ſed ſolùm diſpoſitiva, propter modum imperfectionis noſtri intellectûs, procedentis adhùc intra ordinem gratiæ de motu imperfecto ad perfectum. Sic ſimplex apprehenſio præcedit formationem judicii, ad quam phyſicè effectivè non concurrit apprehenſio. Etiam cognitio confuſa rei, ſecundùm prædicata communia, præcedit ejus diſtinctam, ac perfectam cognitionem, quin detur vera efficientia unius cognitionis in aliam: cùm ſolùm una ſe habeat, ut diſpoſitio ad alteram. Et tandèm, quòd gratiâ ſubitæ illuſtrationis non determinatur immediatè intellectus ad cognitionem perfectam ſupernaturalem; ſed mediatè: quatenùs ex illuſtratione oritur in voluntate affectus indeliberatus timoris, aut amoris, quò affecta voluntas intellectum movet, ut perfectè cognoſcat finem ſupernaturalem, & judicet, an ſit liberè, & efficaciter amplectendus. Quarè licèt affectio indeliberata ſit inefficax ad producendum liberum voluntatis conſenſum, eſt tamen efficax ad excitandam in intellectu perfectam cognitionem, per quam voluntas ſit libera ad conſenſum.

§. III.

Subiti affectus ſupernaturales non concurrunt phyſicè effectivè ad conſenſum liberum.

11. ID ut certiſſimum haberi debet, actus iſtos concurrere effectivè moraliter ad exiſtentiam conſensûs liberi: quòd negari non poteſt, niſi quis adverſari velit Scripturæ ſimul & Patribus, rationi, & experientiæ, quibus conſtat animam allici, moveri, trahique perſæpè per hujuſmodi affectus, de quibus verificatur illud *Jeremiæ* 4. verſ. 18. *Quia tetigit cor tuum*: Et quod legitur *Apoc.* 3. verſ. 20. *Eccè ſto ad oſtium, & pulſo.* Si namquè ſuaſio exterior facta voluntati concurrit per modum cauſæ effectivæ moralis: ergo à fortiori idem concurſus effectivus moralis concedi debet actibus indeliberatis amoris, à Deo inſpiratis, quibus veluti delinimentis excitatur, & animatur voluntas, diſponiturque ad ſalutarem conſenſum. Non ergo de hac cauſalitate mora-

morali, ſed de phyſica procedit præſens aſſertio; & ulteriùs de affectionibus indeliberatis, ſive idem objectum reſpiciant, ac conſenſus ſalutaris, cum ſola diverſitate penes indeliberatam vel deliberatam, efficacem vel inefficacem affectionem; ut dùm actibus ſubitis amoris Dei movetur voluntas ad perfectam ejus dilectionem; ſive affectus indeliberati diverſum reſpiciant objectum, ut dùm incuſſo timore ex apprehenſione mali movetur, & excitatur ad Deum diligendum. Et quidem quòd affectus indeliberati reſpicientes idem objectum non phyſicè influant in actus perfectos, & deliberatos, ſatis ſuperque evincitur ex eorum imperfectione; cùm ſint longè imperfectiores actu charitatis: ergo non phyſicè præcontinet amor indeliberatus Dei actum dilectionis perfectum liberum, & efficacem; cauſa namquè efficiens, maximè principalis, eſt perfectior, vel ſaltem æqualis perfectionis cum ſuo effectu: ergo præcontineri nequit in amore indeliberato actus perfectus charitatis, cujus præcontinentia habitûs charitatis eſt propria. Id clareſcit magis in apprehenſione ſupernaturali de veritate myſterii revelati reſpectivè ad aſſenſum perfectum Fidei, quæ apprehenſio ſupernaturalis virtutem effectivam non habet talis aſſensûs, qui non mediis his ſupernaturalibus apprehenſionibus effectivè producitur, ſed per habitum Fidei: ergo nec ſimplici indeliberatâ complacentiâ bonitatis Dei phyſicè producitur, aut produci valet actus perfectus dilectionis Dei. Et tandem; quia ſi affectus ſubiti darent poſſe intrinſecum voluntati ad actus liberos ſupernaturales, durare deberent, dum durat actus liber ſupernaturalis: ſed actus liber ſupernaturalis plerumque elicitur, ipſis tranſeuntibus; ergo ex illis non oritur influxus phyſicus in actum ſupernaturalem.

12. Idem dicendum de affectionibus indeliberatis, quæ verſantur circa diverſum objectum. Annè ſimplex indeliberatus timor pœnarum inferni phyſicè præcontinet actum charitatis? Longè eſt imperfectior illo, & hujus imperfectio evincitur ex exceſſu inter objecta talium actuum. Si ergo non præcontinet activè perfectionem talis actûs, nequit eum phyſicè producere. Deinde idem ſervari debet ordo inter actus, ac datur inter habitus; ſed habitus virtutis inferioris non præbet vires per ſe activas voluntati ad productionem virtutis nobilioris: ergo nec actus indeliberati intra ſpeciem inferiorem exiſtentes poſſunt effectivè cauſare actus perfectos charitatis: nemo enim in genere, vel cauſæ formalis, vel efficientis præbet, quod non habet. At licèt actus iſti non præbeant vires activas voluntati ad conſenſum ſalutarem, negari nequit, piis hujuſmodi accedentibus motibus, maximè ad amorem Dei roborari voluntatem, dùm animum adverſum excitant, & illecebras ei ſuppeditant, quibus lenocinia contraria ſubmoveantur; nec non ſtimulos cœleſtes ei ſubjiciunt, qui eum inflamment, animent, roborentque, ut incipiat nuntium remittere voluptatibus, & ad Deum properare. Quòd totum fit, quin phyſicè effectivè influant in actus ſupernaturales, aut voluntati præbeant poſſe intrinſecum ad actus ſalutares. Sicut è contrario pravis deſideriis indeliberatis redditur voluntas debilior, & infirmior ad opera ſalutaria exequenda, proniorque ad conſenſum

pra-

pravum, quin pluſquam diſpoſitivè, & moraliter influant in conſenſum deliberatum.

13. Secundò probatur Concluſio tàm de ſanctis cogitationibus, quàm de piis voluntatis affectibus. Etenim ſi actus iſti indeliberati præſtarent voluntati virtutem præcontentivam actûs ſupernaturalis, ſe haberent ſaltem virtualiter ut habitus, vel virtus ſupernaturalis; virtus quippè ſupernaturalis dicitur illa, quæ potentiæ virtutem tribuit ad actus ſupernaturales, per modum habitûs, ſi ſit intrinſecè permanens, vel per modum diſpoſitionis, ſi ſit tranſiens. Sed actus iſtos habere rationem virtutis uno, vel altero modo eſt omninò falſum: ergo actus iſti phyſicè, & effectivè non producunt conſenſum ſupernaturalem. Secundò & adhùc efficaciùs. Modus activitatis in unaquaque re eſt juxta modum actualitatis ejus; cùm unumquodque operetur in quantum eſt in actu; & eſt in actu per ſuam formam; ſed tàm ſancta cogitatio, quàm pii voluntatis affectus ſe habent per modum actûs ſecundi, complentis, & determinantis activitatem potentiæ, quæ eſt actus primus: ergo actus iſti non tribuunt virtutem præcontentivam actûs ſupernaturalis, ſed potiùs hanc ex parte potentiæ ſupponunt. Ut videre eſt in aſſenſu præmiſſarum complente virtutem diſcurſivam intellectûs ad aſſenſum concluſionis. Si namquè intellectus non gauderet virtute intrinſecâ diſcurſivâ, non poſſet ex vi aſſenſûs præmiſſarum reddi expeditè potens ad aſſenſum concluſionis: ergo ſi actus iſti ſe habent per modum actûs ſecundi, complentis, & determinantis voluntatem ad conſenſum ſupernaturalem, ex illis non provenit virtus præcontentiva actûs ſupernaturalis, ſed hanc ſupponunt ex parte potentiæ.

14. Tùm demùm, & præcipuè; quia tàm actus iſti, quàm conſenſus ſalutaris ſunt proprium exercitium, ſeu actus ſecundus voluntatis; ſed actus potentiæ non efficaciter, & phyſicè concurrit ad actum ejuſdem potentiæ: ergo affectus indeliberati non concurrunt phyſicè, & effectivè ad conſenſum ſupernaturalem. Minor certiſſima eſt; hâc enim ratione probat D. *Thomas* in 2. diſt. 39. q. 1. art. 1. ad 2. cauſalitatem moralem finis, quia nempè non influit per operationem ſuam, his verbis: *Ordo voluntatis ad finem ultimum non eſt per operationem finis ultimi in voluntate, ſed per operationem voluntatis in finem tendentis.* Et ratio eſt evidens; quia non datur actio actionis, nec una actio eſt proprius effectus, ſeu terminus productus phyſicè ab alia: cùm operatio non ſit actus ſecundus alterius operationis, ſed ſolùm potentiæ, quæ ſit eſſentialiter actus primus determinabilis per tale exercitium: ergo gratia, conſiſtens in actibus indeliberatis intellectûs, & voluntatis, non phyſicè cauſat conſenſum liberum; ſed ſolùm intellectum illuminando, boniſque inſpirationibus tangendo, atque affectibus imbuendo, voluntatem movet, incitat, quòd eſt tantùm moraliter, non phyſicè influere.

§. IV.

§. IV.

Solvuntur Argumenta.

15. OBjicies primò: omnis influxus moralis ſe tenet ex parte objecti allicientis ſuâ bonitate voluntatem ad conſenſum; ſed pii motus ſubiti voluntatis non movent voluntatem ad conſenſum, motione ſe tenente ex parte objecti: ergo non influunt moraliter in conſenſum. Prob. min. Id, quod movet voluntatem ex parte objecti, movet mediâ ſui cognitione, & amore; objectum enim voluntatis eſt bonum, ut intellectum; ſed prædicti affectus non movent voluntatem ad conſenſum ſalutarem mediâ ſui cognitione, & amore: ergo nec movent voluntatem motione ſe tenente ex parte objecti.

16. Reſpondeo neg. maj., nec enim ibi exponitur omnis modus movendi moraliter, cùm detur concurſus moralis nedum oſtenſione bonitatis objecti, verùm etiam inducendo intellectum, ut convenientiam objecti hìc & tunc vividiùs repræſentet voluntati. Etenim cùm finis ſit principium in moralibus, quidquid ejus cauſalitatem imitatur, alliciendo voluntatem ad amorem, dicitur cauſare moraliter. Sic probat *D. Thomas* 1. 2. q. 77. art. 1., paſſionem appetitûs ſenſitivi, non poſſe directè movere voluntatem ad peccandum, poſſe tamen movere indirectè. Non directè movet voluntatem, quia paſſio non eſt objectum voluntatis; & nulla potentia paſſiva movetur directè, niſi à ſuo objecto. At poteſt indirectè motus appetitûs ſenſitivi voluntatem trahere, vel inducere ad peccatum: ad quod ſufficit, quòd faciat aliquid vel in objecto, vel in aliquo alio, ex quo ſequatur mutatio in potentia. Cùm ergo per paſſionem appetitûs ſenſitivi ſequatur mutatio circa judicium de objecto voluntatis, quia nempè vehementia paſſionis facit, ut ratio circa proprium objectum vel ceſſet operari, vel languidè operetur; hinc fit, quòd ſolùm indirectè, & occaſionaliter movet voluntatem ad peccatum. Ergò cùm pii iſti ſupernaturales affectus indeliberati maximè conducant ut bona ſupernaturalia appareant voluntati hìc, & nunc magis convenientia, etſi directè non moveant, movent tamen moraliter, & objectivè voluntatem ad conſenſum ſalutarem, quatenùs intellectum movent, ut perfectiùs repræſentet voluntati bonitatem objecti, & iſta convenientior appareat.

17. Secundò objicies. Motio illa, quâ Deus operatur intra voluntatem, eam interiùs inclinando, non eſt determinatio purè moralis, ſed phyſica, immutans effectivè, & phyſicè voluntatem; ſed Deus piis, & ſubitis affectionibus voluntatis operatur intra ipſam, immutans eam effectivè, & phyſicè ad conſenſum ſalutarem, cùm ſint actus vitales à Deo producti intra voluntatem: ergo actus iſti phyſicè concurrunt ad conſenſum ſalutarem. Reſpondetur diſting. maj. Motio per quam Deus agit intra voluntatem, eam inclinando, inclinatione ſumptâ pro aliqua propenſione ad velle liberum, neg. maj. inclinatione faciente eam, ut libe-

liberè velit, conc. maj. & ſub eadem diſt. min. neg. conſeq. Non enim Deus per motus iſtos pios indeliberatos ita voluntatem inclinat, ut mediâ tali inclinatione, quàmvis immutativâ voluntatis, det operari conſenſum liberum, qui modus immutandi voluntatem proprius eſt gratiæ ex ſe ipſa efficacis, ut expreſsè docet *D. Auguſtinus* ſuper illa verba Pſal. 118. *Inclina cor meum Deus*, ſequentibus verbis: *Quia, & ipſum velle Deus operatur in omnibus bonis; præparatur enim voluntas à Domino: ſequitur; inclina cor meum &c. Quid eſt inclinatum cor ad aliquid habere, niſi hoc velle? Et voluit ergo, & orat, ut velit. Voluit, cùm dixit:* DEDUC ME IN SEMITAM MANDATORUM TUORUM; *quia ipſam voluit. Orat autem, ut velit, cùm dicit,* INCLINA COR MEUM; *hoc itaquè orat, ut in ipſa voluntate proficiat.* Quibus expreſsè aſſerit *S. Doctor*, Deum præparare, & inclinare voluntatem, cùm operatur ipſum velle. At modus iſte inclinandi voluntatem minimè convenit inclinationi, & immutationi voluntatis, quæ fit per motus ſubitæ affectionis; cùm mediis illis non tranſeat de non conſentiente in ſalutariter conſentientem; nec poſſit cum Propheta exclamare Pſal. 76. *Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi.* Immutatur ergo intrinſecè mediis piis motibus, per hoc quod tranſit de non piè affecta ad piè effectam, cùm iiſdem affectibus maneat expedita, & diſpoſita voluntas, ut liberè velit.

18. Nec quis opponat, quòd ſi gratia ſubitæ affectionis intrinſecè immutat voluntatem de non piè affecta ad piè affectam, non poteſt moraliter movere ipſam ad conſenſum ſalutarem; etenim talis immutatio ſolùm provenire poteſt ab aliquo intrinſecè recepto in voluntate; ſed determinatio purè moralis, & objectiva eſt extrinſeca voluntati, cùm ſe teneat ex parte objecti, quod eſt extrinſecum voluntati: ergo gratia piæ affectionis, ſi voluntatem intrinſecè immutat, non concurrit purè moraliter ad conſenſum. Ad quod reſpondetur, diſting. min. Determinatio objectiva eſt extrinſeca voluntati per excluſionem intrinſecæ inhærentiæ, neg. min. quatenùs ſe tenet ex parte principii, conc. min. & neg. conſeq. Id videre eſt in fine, cujus cauſalitas eſt intrinſeca voluntati, & tamen ſolùm moraliter determinat. Licèt ergo ſubita affectio ſit intrinſeca voluntati, poteſt eam movere purè moraliter; cùm ratio moralis movendi ſe teneat ex parte objecti, quod per ipſam ut magis conveniens voluntati proponitur, & objectum nequit ſufficienter movere volùntatem, niſi hæc ſit piè affecta circa ipſum, & aliqualiter guſtet bona ſpiritualia.

19. Objicies tertiò *D. Thomam* 2. 2. q. 6. art. 1. dicentem, *Deum eſſe cauſam principalem noſtræ Fidei, quia eſt cauſa movens interiùs hominem ad aſſentiendum iis, quæ ſunt Fidei*; ſed *D. Thomas* ibi motionem intelligit, quæ talis ſit per gratiam excitantem: ergo motio gratiæ excitanti conveniens eſt phyſica, & non purè moralis. Minor conſtat ex ſolutione ad 1. ubi inquit S. Doctor: *Verum eſt, quòd per ſcientiam gignitur Fides, & nutritur per modum exterioris perſuaſionis*; ſed motio contradiſtincta à motione perſuaſiva, eſt motio phyſica: ergo

motio, quâ Deus eſt cauſa principalis, eſt phyſica, & non purè moralis. Ad quod reſpondetur, diſting. min. *D. Thomas* loquitur de interiori motione in ſubita affectione conſiſtente, nego minorem, quæ talis eſt per gratiam efficacem, concedo min. & neg. conſeq. Et ad probationem eodem modo neganda eſt minor: nam motio contradiſtincta exteriori perſuaſioni non eſt ſolùm motio phyſica interna, ſed etiam motio interna moralis, de qua minimè ibi loquitur *D. Thomas*. Nam per ſubitam affectionem Deus tantùm initiativè eſt cauſa effectiva conſensûs ſalutaris, & bonæ voluntatis; cauſa autem initiativa non eſt cauſa principalis. Tùm ſimiliter, quia apud Adverſarios motio per ſubitam affectionem voluntatis ſpectat ad ſufficientiam voluntatis, ut benè & ſalutariter operetur; dare autem ſufficientiam ad benè, & ſalutariter operari actum Fidei, non eſt verè ipſum producere: quarè *Concilium Trident.*, ſeſſ. 6. cap. 6. agens de cauſa actûs Fidei, definit provenire eum à libero arbitrio excitato, & moto Divinâ gratiâ; ergo non ſubita affectio eſt cauſa principalis actûs Fidei. Hæc ſufficiant pro reſolutione Dubii; vereor enim, ne de his nimium multa dixerimus.

20. Eò ergo redeunt hæc omnia, ut intelligamus, quòd cùm ſolùm motus vitales intellectûs, & voluntatis, ſancta nempè cogitatio ſuaſiva boni, & affectio indeliberata inclinans voluntatem ad liberè aſſentiendum ſint apud AA. oppoſitæ ſententiæ gratia ſufficiens, & nihil aliud aſſignent diſtinctum ab hujuſmodi actibus; gratia actualis ab ipſis poſita tantùm habet pro effectu dirigere, conſiliari, & inclinare voluntatem, ut ſalutariter velit: ex quo efficaciſſimè contra ipſos argui poteſt, gratiam actualem minimè præſtare vires, & ſufficientiam intrinſecam ad actus ſalutares; cùm ſolùm prædicti actus diſpoſitivè, aut moraliter influunt in actus ſalutares: ſicut moraliter diſpoſitivè influunt Fides in actum charitatis, & viſio beata ad amorem Dei, ut docet *D. Thomas* 1. 2. q. 66. art. 6. Sicut ergo cognitio Fidei, & viſio beata ſolùm influunt mediâ oſtenſione, & propoſitione objecti, ita eodem influxu objectivo influit ſubita cogitatio ſupernaturalis, mediante objecto, quod proponit, quod ex ſua natura nequit influere phyſicè in ſanctam affectionem. Cùm ergo ab Auctoribus Scholæ Societatis nulla aſſignetur ratio, efficaciter probans efficientiam effectivam, quam Concilia, & SS. PP. concedunt gratiæ excitanti prævenienti in conſenſum liberum ſupernaturalem; abſolutè debet concedi, quòd gratia excitans præveniens adæquatè, & completè involvit præter actus intellectûs, & voluntatis aliquod auxilium intrinſecè elevans intellectum, & voluntatem ad illorum elicientiam.

DU-

DUBIUM IV.

An gratia actualis ſit cauſa phyſica, vel moralis actuum ſupernaturalium?

§. I.

1. CUM gratia actualis, ut ſuprà diximus, dividatur in gratiam excitantem, & adjuvantem, tamquàm in ſufficientem, & efficacem, eccè quod dubio præcedenti promiſimus, attentiùs inveſtigare cauſalitatem utriuſque auxilii tàm ſufficientis, præbentis voluntati vires, & ſufficientiam ad ſupernaturaliter operandum, quàm efficaciter adjuvantis, dantis ipſum agere, & velle. Cauſalitas phyſica clariſſimè promovetur ex Sacris Litteris, Conciliis, & SS.PP., è quibus palàm, apertèque liquet hæc phyſica gratiæ actualis cauſalitas. Et primum momentum deſumitur ex verbis *Apoſtoli* ad *Epheſ.* cap. 3. v. 20. dicentis: *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus ſecundùm virtutem; quæ operatur in nobis.* Hìc *Apoſtolus* infinitam Dei potentiam & immenſam beneficentiam demonſtrat, ex his, quæ quotidiè in animis hominum per ſubminiſtrationem virtutis operatur; magna quidem illa, longèque ſupra vires humanas; ſed virtus, quâ Deus operatur in nobis, eſt gratia, quæ verè, & phyſicè dat poſſe ſalutariter operari, & per cujus gratiæ omnipotentiſſimam efficaciam operatur conſenſum ſalutarem, etiam rebelles ad ſe compellendo, & convertendo voluntates: ergo cauſalitas utriuſque auxilii ſufficientis, & efficacis phyſica eſt.

2. Id ipſum docet *Apoſtolus* ibi cap. 4. v. 16. dicens: *Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Quis hic non videat phyſicum influxum gratiæ Chriſti; qualiter vitalis ille ſpiritus defluit in totum corpus, è diverſis membris ordine ſibi cohærentibus compactum, per omnes actuum commiſſuras penetrans? Si in corpore materiali manus, & pes participes ſunt virtutis phyſicæ à capite proficiſcentis: ergo & phyſicè à Chriſto, qui eſt Caput Eccleſiæ, in totum Eccleſiæ Corpus trajicitur ſpiritus, & vita ſupernaturalis, ut accipiat phyſicè augmentum, quòd illi Divinum Caput tribuit per efficacem virtutis ſuæ operationem, & influxum ſecundùm menſuram unicuique convenientem.

3. Non minori energiâ id oſtendit *Apoſtolus* ad *Hebræos* cap. 13. v. 21. dicens: *Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis, quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum*: ac ſi diceret: Deus vos aptet, perficiat & conſummet in opere bono, ut idonei ſitis qui ſatisfaciatis voluntati ipſius (En ſufficientia gratiæ): atque idem per gratiam ſuam in vobis

operetur, quòd ei placeat; nempè efficaciâ gratiæ ſuæ, quâ Deus nobis donat ſalutariter operari. Quòd mirificè exponit *D. Thomas* lect. 3. *Quid autem faciet? Quod placitum eſt coram ſe, id eſt, faciet nos velle, quod placet ei.* Quòd & inculcat *Apoſtolus* ad *Philipp.* cap. 2. v. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Quibus oſtendit, non ex nobis ipſis in nobis effici voluntatem bonam, ſed ex Deo.

4. Momentum probationis alterum ſit ex Conciliis. Etenim hoc clariſſimè habetur in Concilio *Milevitano* 2. Can. 4. *Si quis dixerit eamdem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantùm nos adjuvare, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam præſtari nobis, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.* Sed gratia adjuvans voluntatem, non ſolùm ut ſciat, quid appetere, & quid vitare debeat, verùm dando virtutem, ut diligamus, & ut facere valeamus, quod faciendum cognoverimus, eſt gratia phyſicè influens in actus ſalutares: ergò tàm gratia ſufficiens, virtutem præſtans, quàm gratia efficax, ipſum diligere, & facere præſtans, influit phyſicè in actus ſalutares. Et in Concilio *Arauſicano* 2. Can. 4. *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Spiritûs Sancti infuſionem, & operationem in nobis fieri confitetur; reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et can. 16. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus, nobis miſericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus; vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem Sancti Spiritûs fieri confitetur &c. reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes, quòd non accepiſti?* In quibus Fidei ſanctionibus clariſſimè proponitur phyſicus gratiæ influxus in opus ſalutare; immò & aſſignatur à Concilio ratio hujus phyſici influxûs; *quia nempè reſiſteret Apoſtolo dicenti: Quid habes, quòd non accepiſti?* Sibi enim, & non gratiæ poſſet juſtè tribuere conſenſum ſalutarem cum gratia excitante moraliter movente factum, potiùſque ex ſe ipſo, quàm ex Dei gratia Deum mereretur. Id ipſum colligitur ex *Tridentino* ſeſs. 6. cap. 3. definiente, hominem non poſſe credere, ſperare, aut diligere Deum, ſicut oportet, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque adjutorio; ſed adjutorium Dei, dans poſſe ſimpliciter ad actus ſupernaturales, eſt principium phyſicè influens; cùm natura non influat phyſicè in actus ſupernaturales viribus ſuis, ſed viribus gratiæ, quibus elevatur, ut poſſit operari, & operetur: ergo influxus gratiæ tàm ſufficientis, quàm efficaciter adjuvantis eſt phyſicus, & non purè moralis.

5. Tertium momentum hujus phyſicæ cauſalitatis accipe ab au-

ctoritate SS. Patrum, qui unanimi conſenſu hanc Dei gratiæ aſcribunt. Sic *Tertullianus* lib. de *patient.* cap. 1. *Ad præſtanda ea* (bona) *ſola gratia Divinæ inſpirationis operatur.* *D. Ambroſius* tom. 1. lib. 7. ſuper *Lucam*: *Quem vult, religioſum facit .... qui quòd bonum eſt, nobis quoquè bonum videri poſſit, operatur.* Et infrà: *A Deo enim præparatur voluntas hominum; ut enim Deus honorificetur à Sanctis, Dei gratia eſt.* *D. Gregorius Magnus* Hom. 10. ſuper *Ezech.* *Semper orandum, ut & ipſo aſpirante cogitemus, & ipſo adjuvante faciamus.* Et lib. 16. ſuper *Job.* cap. 11. *Superna ergo pietas agit in nobis aliquid ſine nobis, ut ſubſequente quoquè noſtro libero arbitrio, bonum, quòd jam appetimus, agat nobiſcum.* Et cap. 12. *Quia enim Divina bonitas, ut innocentes faciat, prævenit, Paulus ait: Gratiâ autem Dei ſum id, quòd ſum. Et quia eamdem gratiam noſtrum liberum arbitrium ſequitur, adjungit: Et gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi. Qui dum ſe de ſe nihil eſſe conſpiceret, ait: Non autem ego. Et tamen, quia ſe eſſe aliquid cum gratia invenit, adjunxit: ſed gratia Dei mecum. Non enim diceret, mecum, ſi cum præveniente gratia ſubſequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergò ſe ſine gratia nihil eſſe oſtenderet, ait: Non ego. Ut verò ſe cum gratia operatum eſſe per liberum arbitrium demonſtraret, adjunxit: Sed gratia Dei mecum.* Et cap. 31. de Sanctis loquens: *Non virtute propriâ, ſed præveniente ſupernâ gratiâ ad meliora ſe vota, vel opera commutatos .... Quidquid in ſe boni inſpiciunt, immortalis gratiæ donum agnoſcant .... Eique pro munere debitores fiunt, qui præveniendo dedit eis bonum velle, quòd noluerunt, & ſubſequendo conceſſit bonum poſſe, quòd volunt.* Ejuſdem ſunt labii *S. Iſidorus Hiſpalenſis* 5. de diff. Spirit. §. 27. *Dei eſt ergo bonum, quòd agimus propter gratiam prævenientem, & ſubſequentem; noſtrum verò eſt propter ſubſequentem liberi arbitrii voluntatem.* Et *S. Bernardus* tract. de grat. & lib. arbitr. *Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos. Ex ipſo nobis eſt velle, ex ipſa bonum velle .... Qui autem bonum neminem invenit, neminem ſalvat, quem non prævenit .... Ita tamen quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque perficitur.*

6. Sed audiendus maxime *D. Auguſt.* hanc eamdem gratiæ cauſalitatem prædicans lib. de grat. & liber. arb. cap. 17.: *Ut ergo velimus, ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus; nobiſcum cooperatur; tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum eſt Philipp. 2. verſ. 13.* Deus est enim qui operatur in vobis et velle. Et lib. de *dono perſever.* cap. 13. *Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.* Et lib. de corrept. & grat. cap 2. *Intelligenda eſt enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quâ ſolâ homines liberantur à malo, & ſine qua nullum prorsùs ſive cogitando, ſive volendo,*

lendo, & amando, ſive agendo faciunt bonum: non ſolum ut monſtrante ipſá quid faciendum ſit ſciant, verùm etiam ut præſtante ipſá faciant cum dilectione quod ſciunt. Hanc quippè inſpirationem bonæ voluntatis, atque operis poſcebat Apoſtolus eis, quibus dicebat 2. *ad Cor. cap.*13. *verſ.*7. ORAMUS AUTEM AD DEUM, NE QUID FACIATIS MALI, NON UT NOS PROBATI APPAREAMUS, SED UT VOS QUOD BONUM EST, FACIATIS. *Quis hoc audiat, & non evigilet, atque fateatur à Domino Deo nobis eſſe, ut declinemus à malo, & faciamus bonum?* Et cap. 12. num. 38. *Tantùm quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint, quia ſic volunt; ideò ſic velint, quia Deus operatur ut velint.* Et lib. 1. ad *Simplicianum. Si Deus miſeretur, etiam volumus; ad eam quippe miſericordiam pertinet ut velimus. Deus enim eſt qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate.* Et lib. 3. Oper. imperf. cap. 114. *Sicut enim hoc divino, & occulto modo agit in hominis corde; ſic operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate.* Idem inculcat S. Doctor Pſal. 77. *Cùm Deus ſit qui operatur in eis, qui bona operantur, & velle, & operari pro bona voluntate.* Et Pſal.84. *Quid autem ut converteretis poſſes, ni vocavereris? Nonne ipſe præſtitit, ut convertereris?* Et cum Deo ibi loquens: *Ut non ſolùm vivificatio noſtra à te ſit, ſed etiam ipſa converſio ut vivificemur.* Modus iſte operandi in cordibus hominum, non eſt gratiæ ſolùm moraliter cauſantis effectus. Altera uberior requiritur, efficax gratia, quæ fortiùs & phyſicè illuminet; & quâ Deus, per impreſſionem ejuſdem gratiæ voluntatem elevet, & applicet ad bonum ſalutis: quæ ſit illuſtratio, inſpiratio, auxilium, præveniens & adjuvans motio, medicinalis, victorioſa, quæ intellectum illuminat, corda movet, voluntatem ſanat & corrigit, & quâ Deus operatur & velle, & operari pro bona voluntate ſua; & dat ipſum poſſe ſalutariter operari. In eadem S. Doctoris ſententia ſunt ejus fideliſſimi Diſcipuli. *D. Fulgentius* lib. de *Incarn. & grat.* num.12. dicens: *Si non à Deo datur, ſed in homine invenitur* (voluntas) *falſum eſt, quod eam Scriptura præparari, dicit, à Domino.* Et ibi: *Deus qui voluntatem præparat, ipſe donat.* Et lib. 1. *ad Monimum* cap. 14. *Ab ipſo præparatur voluntas, qui in nobis velle, & perficere miſericorditer operatur.* Et *D. Thomas* ſuper illa verba *ad Rom.* cap.9. *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* hæc habet: *Omnia procedunt ex Dei miſericordia, igitur non eſt volentis, ſcilicet velle, neque currentis ſcilicet currere, ſed utrumque eſt miſerentis Dei, ſecundùm illud* 1. *Cor.* 15. *non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Et *Joh.* 15. *Sine me nihil poteſtis facere. Sed ſi hoc ſolum in hoc verbo intellexiſſet Apoſtolus, cùm etiam gratia ſine libero arbitrio hominis non velit neque currat, potuiſſet è converſo dicere, non eſt miſerentis Dei, ſed volentis, & currentis, quod aures piæ non ferunt. Unde plus aliquid eſt ex his verbis intelligendum, ut ſcilicet principalitas gratiæ Dei attribuatur. Semper enim actus magis attribuitur principali agenti, quàm ſecundario, puta, ſi dicamus, quod ſecuris non facit arcam, ſed*

Arti-

Artiſex per ſecurim: Voluntas autem hominis movetur à Deo ad bonum. Unde ſuper 8. dictum eſt: Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Et ideo hominis operatio interior non eſt homini principaliter, ſed Deo attribuenda. Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

7. En vera phyſica & realis cauſalitas, quam in ſui proprjiſſima ſignificatione, importat verbum operor. En Dei motio dans, & efficiens ipſum velle liberi arbitrii, determinationem, & cooperationem ad bonum. Operatur phyſicè in nobis ſine nobis; quod non ita intelligas, in effectu gratiæ operantis voluntatem noſtram nihil agere, nec ſeipſam omninò movere, ſed moveri tantùm. Hoc quippe falſum, & erroneum eſt, cùm voluntas ſit principium elicitivum actûs liberi, quo incipit ex Deo, velle bonum. Tantum ergo intelligunt SS. Doctores, quòd Deus primum actum, ſeu motum bonum voluntatis per ſuam gratiam operatur in nobis, ſine prævió in nobis alió motu voluntatis imperante hunc motum: quâ ratione interdum homini etiam valde repugnanti inſpiratur bonus affectus voluntatis; & aliquando dixit *D. Thomas* in primo effectu gratiæ mentem eſſe motam, & non ſe moventem.

8. An, ut ab his Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum auctoritatibus ſe expediant Auctores oppoſiti, reſpondebunt, intelligenda eſſe de cauſalitate purè morali? Hoc argumentum non ſolvit, ſed ſtringit potiùs. Hæc namque cauſalitas moralis juxta ipſos tantùm eſt finalis, & metaphorica motio. Reduci debet ad motionem finis, quæ metaphorica eſt: etſi enim ſit realis cauſa, eſt tamen ſolùm metaphorica actio, & operatio: ſed actio, & operatio purè metaphorica ejuſdem non ſufficit, ut verificetur, quod dicit Scriptura *Ezechiel.* 11. v. 19. *Spiritum novum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*; quod pſallit *Propheta* Pſal. 45. *Dominus ſolvit compeditos, Dominus illuminat cœcos*; quod ſcripſit *Auguſtinus* lib. 4. ad *Bonifacium* ad Deum pertinere, *ex nolentibus volentes facere, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes*; & tandem, quod alibi inquit idem S. Doctor: *Deus facit ut faciamus*; in quibus omnibus exprimitur Deus propriè faciens nos ſalutariter operari: ergo gratia moraliter excitans, quæ ſolùm ſit metaphorica motio, non eſt illa, quâ Deus verè, & propriè operatur, & facit voluntatem ſalutariter operari: nam Deus denominari non poteſt verè, & propriè operans, & faciens voluntatem ſalutariter operari mediâ motione, ad cujus actionem directè infallibiliter non ſequitur actus liber.

9. Tertiò, quia admiſsô ſolùm ex parte gratiæ concurſu morali, ſequitur, non poſſe Deum alio movere modo voluntatem creatam ad conſenſum liberum ſalutarem, quàm illum movere poſſet Dœmon ad conſenſum turpem, & peccaminoſum, vel *Angelus* bonus ad bonum, quod eſt penitus falſum, cùm Dei ſolius ſit voluntatem efficaciter movere, ſive immutare, ut docet S. *Thomas* 1. 2. q. 9. art. 6. Hinc eſt illud

Sa-

Sapientis Prov. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud*. Et Apoſt. ad Philipp. 2. 13. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*. Ipſe enim ſolus plenum in voluntatem dominium exercet; ille ſolus humanæ menti illabi poteſt. Quare D. *Auguſtinus* poteſtatem, quâ Deus operatur in cordibus noſtris, mirabilem & infallibilem dicit, *de grat. Chriſti* cap. 24. *Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque Doctrinâ inſonante forinſecus, ſed interna atque occulta, mirabili atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates*: quæ poteſtas mirabilis, & ineffabilis non eſſet, ſi eſſet communis Deo, & Angelis. Debet ergo diverſus aſſignari modus, quo Deus voluntatem creatam movet ad conſenſum ſalutarem, à modo illo, quo *Dœmon* movere poteſt ad conſenſum turpem, vel *Angelus bonus* ad conſenſum honeſtum, quem profectò agnovit *D. Bernardus* lib. 5. de Conſid. cap. 5. hiſce verbis loquens de modo, quo ſolus illabi animæ poteſt Spiritus Divinus: *Quod ſi dicas, poſſe ineſſe & Angelum, non inficior. Memini ſcriptum Zach.* 1. *& Angelus qui loquebatur in me. Atqui differentia eſt in hoc. Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens, ineſt hortans ad bonum, non bonum creans. Deus ſic ineſt, ut afficiat, ut infundat; vel potius ut infundatur & participetur. Angelus cum anima, Deus in anima. Ille ut contubernalis animæ ineſt, Deus ut vita*. Mirabilis ergo & diverſus eſt modus, quo Deus operatur in anima; ac Angelus; qui vix in modo iſto dicendi aſſignari valet. Sequelam de plano admiſit P. *Suarez*, qui lib. 3. Opuſc. cap. 11. Explicans illud *Joann.* 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, ſic habet num. 7. §. *Hæc autem*: *Item ſicut in Scriptura dicitur Deus trahere ab bonum, ita Dœmon ad malum Apocalyp.* 12. *trahebat ſecum tertiam partem ſtellarum, non phyſicâ prædeterminatione, ſed ſuaſione*; quod ampliùs explicuerat cap. 10. num. 5. dicens: *Item ad actus malos poteſt Dœmon tam vehementer inducere hominem ſuaſionibus ſuis, & ſuggeſtionibus, ut, niſi gratia Dei juvetur, moraliter non poſſit ſeſe continere, quin conſentiat: ergo multò magis poteſt Deus ſuâ excitante gratiâ itâ illuminare hominem, & affectum ejus inclinare, & accendere, ut moraliter eum ad convertendum trahat, ac determinet*; quibus fit manifeſtum, non admittere P. *Suarez* aliam poteſtatem in Deo ad movenda corda hominum in bonum. quàm ſit Dœmonis poteſtas ad movendum in malum. Quæ doctrina communis eſt ſocietatis Auctoribus, quos refert *M. Lemos* tom. 1. tract. 6. pag. 152. §. *Tota cauſalitas*. Scire autem vellem, quomodò *multò magis* poſſet *Deus* &c. Nam cùm juxta ipſos tam Deus, quàm Dœmon moralitèr tantùm moveant, tota differentia erit accidentalis in eodem genere motionis, nulla eſſentiali exiſtente moventium prout talium diverſitate: itaut non magis det Deus opus bonum, quàm Dœmon malum, quantùm ad formalem dandi rationem; quòd, an piè dici poſſit, judicent ipſi; nemo tamen opinor, aſſerere audebit.

10. Sed

10. Sed profectò negatâ gratiâ phyſicè adjuvante, ita eſſe tenendum ratio facta demonſtrat. Nam etſi dicerent diſparitatem, Deum inter & Dœmonem, hanc eſſe, quod Deus poſſit immittere intellectui noſtro cogitationem ſanctam omnino determinatam, & objectum ſine aliqua indifferentia repræſentantem [qualem fortè cogitationem ad malum *Dœmon* excitare non poteſt] non tamen per illam valet proximè movere ad conſenſum liberum; quia libertas non ſtat cum judicio neceſſario; & determinato in proponendo; ac proindè ſi vult Deus conſenſum abſolutè liberum à voluntate creata obtinere, uti debet motione cauſante judicium indifferens, & cogitationem non omnino ad unum determinatam. At modus iſte inclinandi, & obtinendi à voluntate conſenſum liberum, ſi ſolùm fiat mediâ motione morali, ut volunt PP. Societatis, non eſt ſolius Dei proprius, ſed Angelis etiam ex ſua natura eſt poſſibilis: poſſunt namque Angeli tam boni, quàm mali extrinſecùs mentem movere objiciendo ſenſibus tam internis, quàm externis earum rerum ſpecies, quæ ad bonum ſive ad malum invitant & alliciunt; poſſunt & educere ſpecies ex phantaſmatibus, ut excitent intellectum; prout docet D. *Thomas* q. ultimâ de malo art. 12. in fine: *conſiderandum eſt* enim, inquit S. Doctor, *quod Dœmon dicitur ingredi poſſe mentem hominis, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm effectum, in quantum ſcilicet inſtigat hominem ad aliquid cogitandum*: ergo ſi tam Angelus bonus ſecundùm effectum bonarum cogitationum, quàm Angelus malus ſecundùm effectum pravarum cogitationum movet, mentem hominis; modo eodem, quô Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, operatur in illis Angelus, ſive bonus ad bonum, ſive malus ad malum. Quod, iterum dico, falſiſſimum eſt. Poteſt quidem Angelus ex parte objecti *voluntatem inclinare, ut amabile quoddam*, inquit D. *Thomas* 1. p. q. 106. art. 2. *& ut manifeſtans aliqua bona creata .... & per hoc inclinare poteſt ad amorem creaturæ, vel Dei per modum ſuadentis. Ex parte verò ipſius potentiæ voluntas nullo modo moveri poteſt, niſi à Deo.* Cujus dicti profundiſſimam rationem aſſignat D. *Thomas*. Attendantur ejus verba: *Operatio voluntatis eſt inclinatio quædam volentis in volitum. Hanc autem inclinationem ſolus ille immutare poteſt, qui virtutem volendi creaturæ contulit, ſicut & naturalem inclinationem ſolùm illud agens poteſt mutare, quod poteſt dare virtutem, quam conſequitur inclinatio naturalis.* Quæ ratio D. *Thomæ* evidenter concludit, Deum poſſe movere voluntatem ex parte ipſius potentiæ, quod nullum aliud agens poteſt efficere. Si enim actus liber eſt inclinatio actualis volentis in volitum; hæc inclinatio non poteſt, vel dari, vel mutari, niſi ab habente abſolutum phyſicum dominium in ipſam inclinationem habitualem; qui enim poteſt dare vel mutare inclinationem actualem, debet neceſſariò hujuſmodi dominium habere, in ipſam habitualem inclinationem, ex cujus, ut ita loquar, intimis viſceribus dimanat inclinatio actualis: quam doctrinam repetit S. Doctor in *quæſt. diſp.* de *veritate* q. 22. art. 8. *Actio non ſolùm eſt à voluntate, ſed etiam à Deo, ut primo agente, qui ve-*

hementius imprimit. Unde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud,ita & multò ampliùs Deus Et art.9.*Poteſt intelligi voluntas immutari ab aliquo permodum cauſæ efficientis, & ſic dicimus, quod nulla creatura .... poteſt directè agere in voluntatem, ut eam immutet neceſſario, vel qualitercumque inclinet, quod Deus poteſt .... Unde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de uno in aliud*: ergo ſi ſolus Deus habet hoc abſolutum dominium in ipſam voluntatem, quæ eſt inclinatio habitualis in bonum; & hoc dominium provenit ex eo, quòd ipſe volendi virtutem dederit, ſequitur evidenter, ſolum Deum, & nullum aliud agens poſſe movere voluntatem ex parte potentiæ, ac proinde etiam fateri tenemur, Deum ſic movendo voluntatem, immutare inclinationem ejuſdem voluntatis, & operationem ipſius, mediâ ipsâ voluntate, attingere.

11. Hoc confirmatur magis. Deus, cùm ſit Creator humanarum voluntatum, omnipotentiſſimam habet ſuper illas poteſtatem, potens eas inclinare, vertere, & affectionem unam, in aliam mutare, quandocumque voluerit, ita communiter ſentiunt PP. *Origines* lib. 1. *contra Celſum*, *multos invitos attractos eſſe ad Chriſtianam Religionem, Spiritu quodam repente mutante intellectum eorum ab odio, quo erga verbum detinebantur*. S. *Paulinus* Epiſt. 12. ad S. *Amandum*: *Cujus munere, & opere vivimus, & loquimur*. Et Epiſt. 38. ad *Aperium*. *Opus Dei eſt mutare hominem; quia ſolus poteſt inſtaurare, quod fecit*. Idem S. *Athanaſius* tom.1. pag.796. S. *Joannes Chryſoſtomus* homil. 14. ſup. cap.8. de *Epiſt. ad Rom.* tom.4. Diabolus verò non habet talem in corda hominum poteſtatem. Suggerere quidem poteſt blandis perſuaſionibus, atque quibuſdam rationibus fictis, callidiſque machinationibus ad peccatum allicere; mille quippe modis, inveſtigabili, inſcrutabilique nocendi arte, decipere molitur, & reverà plurimos decipit; ſed intùs immittere, & inſerere novas affectiones, & corda hominum transmutare de uno in aliud, non poteſt. Eſt nobis Diabolus auctor peccati, ſed non niſi ſuggerendo; Deus verò in nobis Auctor eſt juſtitiæ, & vitæ, etiam immittendo. Omnis tamen humanæ voluntatis conſenſus, ſivè ex Diaboli ſuggeſtione ortus,ſivè à Deo immiſſus, eſt liber. En maximum inter poteſtatem Dei, & Diaboli diſcrimen. En quanta eſt Dei poteſtas in voluntates omnium hominum, quas ita in manu ſua habet, ut affectiones eorum phyſicè, & efficienter operetur; hæc quippe cordis immutatio phyſica eſt, ſicut & converſio impii eſt maximè phyſica.

12. Tandem probatur concluſio, argumentô deſumptô ex infirmitate naturæ corruptæ. Sumus naturâ filii iræ, participatione naturæ in primo parente corruptæ. Miſerè ejus peccato inflicta fuit animæ ignorantia, malitia, ad malum pronitas, rei ſenſibilis inordinatus appetitus, & ad faciendum bonum difficultas: uno verbo, originali culpâ ſumus colliſi, & confracti, nec non in omnibus viribus graviter vulnerati. Quarè in nobis caro concupiſcit adversùs Spiritum, & Spiritus adversùs carnem; atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari nobis

bis pugnandi, vincendique virtutem per *Chriſti* merita poſcimus. Hanc Dei gratiam, quâ ſanetur per Medicum *Chriſtum*, orat Propheta Regius Pſal.40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. Hanc & ardenter exoptat *Apoſtolus* dicens ad *Rom.*7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem, legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo? Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Rogo modo. An gratia ſolùm moraliter, & objectivè movens, eſt gratia illa ſanans? De quâ dixit *Auguſtinus* lib. de *corrept.* & *grat.* cap.12. num. 38. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque aliquâ adverſitate vinceretur*. Talem gratiam petit; tali ſubvenitur verè infirmitati voluntatis humanæ; nulla eſt in natura lapſa congruitas, ſed potiùs repugnantia reſpectu gratiæ, donec infirmitatem ſanet gratia, ut teſtatur ibi *Paulus* dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Non nobis etiam eſt cor congruum, ut tangatur à Divinis motivis, ſed lapideum, donec illud gratia immutet, & reformet, ut dicitur *Ezechiel.*36. Rogo modo: gratia, quæ ſolùm proponit bonum, alliciendo ad illud, ſuccendit ne tanto ardore animam, ut carnis voluptatem contraria concupiſcentem voluntas Spiritûs vincat, prout gratiam ſanantem, ibi cap. 11. num.31. deſcribit *Auguſtinus*? An gratia, quæ ſolùm allicit oſtenſione boni, eſt gratia victrix, & triumphans, quæ infirmitatem, quam homo contraxit per peccatum, ſuperet, & quæ ita reparat priſtinam libertatem, ut exardeſcente paſſione, & ſæviente mundo, nedum det poſſe, ſed & faciat eligere quod pium, quòd bonum eſt: ut dicit *Auguſtinus* de gratia ſanante lib. de *Prædeſt.* SS. cap.8. num. 13. *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus Divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippè tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur?* Ea ne gratia eſt, quâ infirmitas voluntatis humanæ, indeclinabiliter, & inſuperabiliter agitur; ita ut quamvis infirma, nuſquam deficiat, neque aliquâ adverſitate vincatur, ut loquitur *Auguſtinus*? Quis hoc ſanus dixerit: ergo aliud auxilium potentius requiritur, quô Deus infirmitatem ſanet; quod tantæ ſit energiæ, ut nedùm graviſſimas compeſcere queat tentationes, ſed de facto compeſcat, atque ſuperet; quod det fortiſſimam, & liberrimam in bonô voluntatem; & quò, ut ait *Apoſtolus* ad Philipp. cap. 2. *Deus operatur in nobis velle, & perficere, pro bona voluntate*: cùm gratia ſolùm moraliter, & objectivè movens, non infirmitatem, quam homo contraxit per peccatum, ſuperet; ſed è contrà ab homine eâ infirmitate laborante, vim ſuam, ac determinationem habeat. Ex his omnibus liquet, quantum ſit diſcrimen inter gratiam moraliter tantùm, & gratiam phyſicè cauſantem conſenſum ſalutarem; & ex his iterum affulget excellentia gratiæ *Chriſti*, quæ phyſicè operatur in nobis velle, & operari; quæ hominem in hoc infelici ſtatu phyſicè vergentem in malum tenet, ne proprio pondere cadat; ſed potiùs relictis bonis

corruptibilibus, ad ſuperna, ac immutabilia tendat, ac feratur.

13. At ecce, inquiet mihi aliquis cum Caducifero pag. 378. num. 223. totum hoc rectè fieri mediâ gratiâ congruâ. *Nam gratia congrua, quoad ſua prædicata, eſt illud auxilium de ſe dans vires ad conſenſum, & ita de ſe, & in circumſtantiis, quibus confertur congruens, & veluti ſympathicè pulſans illicio, & inclinatione quadam ſuavi, & non neceſſariò trahente liberum arbitrium ad conſenſum, ut prævideatur voluntas infallibiliter per ſcientiam mediam ſub ea elicitura conſenſum, pro libito, & radicali dominio ſuæ libertatis; ita ut pro eo etiam potuiſſet, & poſſit, ei etiam in illis circumſtantiis non correſpondere, atque illa non uti. Quare congruitas ſtat in toto complexô gratiæ, potentiæ, objecti, & circumſtantiarum, ſic ut ſingulis pars congruitatis debitæ conferatur, neque ſolus conſenſus, ut inquiunt, ſit ſola, & tota congruitas. Ex quo manifeſtè fit non poſſe contingere, niſi miris modis, ut ſe explicat Auguſtinus, id genus vocationis, quô Deus hominem ſic vocat, quomodò ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat. Atque, ut hunc modum mirabilem pulſandi liberum arbitrium aliquô adumbremus exemplo; liceat mihi per lectores ima ſummis componere, & comparare, eâ nimirum legê, ut digna non niſi digniſſimè intelligantur. Accepi ergo ex ore cujuſdam viri primarii id, quod in Italiæ quodam Oppido paſſim evenire conſueſcit cum quodam animalculo, inſectove notiſſimo, & eſt undique teſtatiſſimum: ſcilicet eum, qui illius morſu perculſus eſt, illicò lethargicô ſopore correptum, mortuô non abſimilem cadere, atque jacere: quem circùm protinus Muſicorum turba protenditur, quæ varias ſua in arte operas ludens, eam ſedulò exquirit, quæ illius hominis penè defuncti organis, & ſenſibus ſit magis conſona. Hanc, quod invenerint, ſtatim produnt in ægrotante digiti, qui pedibus paulatim motitari, & micare lentè incipiunt, quouſque ſono illo harmonicô per Muſicos vehementius percitô, & continuato, corpus illud, quod penè truncum erat, ſe ſe undique agitans, & incaleſcens ſurgit, erigitur, exilit, & ſaltat, ita vehementer, ut copioſo ſudore jam difluens, toxicum, quod venæ hauſerant evaporatum foras extrudat. De cujus hiſtoria, & arte pulſandi ſiccine aptatur exemplum. Nam poſtquam virus peccati peccatorem infecit, eumque læthifero ſopore dejecit, ſupremus ille Muſicus, qui concentum Cœli diſpoſuit, necnon, & organa, quæ plaſmavit, non eſt oblitus, fidem, & fides mirificus ipſe ſic pulſat, quomodo ſcit, id Organum tunc ita congruenter eſſe pulſandum, ut per meatus lachrymabiles pœnitentiæ toxicô illô, prout oportuerit, diſtillato, ad ſupernæ vitæ functiones ſaluberrimas revocetur. Ecce hæc eſt gratia congrua: & hoc proculdubium eſt illud motionis artificium, quòd perdoctus Maſſoulie uberi ſuâ eruditionê illuſtrare contendit, diſſertat 1. q. 3. art. 17.*

14. At ſolutio, primò difficultatem intactam relinquit; nec enim cauſam aliam agnoſcit realiter, & phyſicè productivam determinationis, & conſensûs, quàm voluntatem ipſam. Quid namque eſt in toto illo complexo phyſicè, & infallibiliter operans determinationem voluntatis?

tatis? Non concurſus Dei; qui juxta ſolutionem moraliter influit, minimè tamen phyſicè determinat, & voluntatem applicat; cùm in ſyſtemate oppoſito ſit ſolùm in Deo voluntas conditionalis concurrendi ad actum, ex ſuppoſitione quòd homo velit; eâdemque indifferentiâ gaudet ſub his circumſtantiis, quibus illecta, & inflammata rapitur voluntas ad conſenſum; cùm & ipſæ illecebræ circunſtantiarum, quibus delinitur, incitatur, invitatur, & trahitur voluntas ad conſenſum, ſolùm moraliter moveant, in incertum ſuæ determinationis voluntatem relinquentes: ergo cùm ex auxilio ſub illis circunſtantiis oriri non poſſit phyſica, & infallibilis determinatio voluntatis, quæ minimè continetur in illo, fit evidens, quòd Deus nullatenus eſt phyſica, & realis cauſa determinationis, & conſensûs voluntatis; quo nihil eſt magis à veritate abſonum, ut tot invictis argumentis ſuprà oſtendimus, & contrà apertum ſenſum *Apoſtoli* ad Epheſ. 2. clamantis: *Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*; quem textum egregiè exponit S. *Auguſtinus* de prædeſt. Sanctor. cap. 10. *Fidei, & charitatis opera, quæ per Dei gratiam fuerunt prædeſtinata, rectè prædefinita dicuntur auctoritate Apoſtoli, creati in operibus bonis, quæ præparat Deus*, in quibus verbis tàm Apoſtolus, quàm S. Doctor opera noſtra prædicant effectus eſſe Divinæ voluntatis, & decreti præparantis, & creantis; quod abſque cauſalitate phyſica intelligi minimè valet.

15. Secundò rejicitur ſolutio: Enim verò ſic gratiæ congruæ efficaciam exponit, ut verè dicere poſſum, quòd argumenta facta inſoluta relinquit: aut quòd ille à Regia, ut ajunt, ſcientiæ mediæ via divertit; talis namque ab illo ſtatuitur gratiæ congruæ potentia. *Gratia congrua quoad ſua prædicata eſt illud auxilium de ſe dans vires ad conſenſum, & ita de ſe, & in circunſtantiis, quibus confertur congruens, & veluti ſympathicè pulſans illicio, & inclinatione quadam ſuavi, & non neceſſariò trahente arbitrium ad conſenſum; ut prævideatur voluntas infallibiliter per ſcientiam mediam ſub ea elicitura conſenſum, pro libito, & radicali dominio ſuæ libertatis; ita ut pro eo etiam potuiſſet, & poſſit, ei etiam in illis circunſtantiis non correſpondere, atque illâ non uti. Quare congruitas ſtat in toto complexo gratiæ, potentiæ; objecti, & circunſtantiarum: ſic ut ſingulis congruitatis debitæ pars conferatur; neque ſolus conſenſus, ut inquiunt, ſit ſola, & tota congruitas.* Apertiùs id ipſum exponit infrà part. 2. punct. 10. num. 251. pag. 400. hiſce verbis: *Gratia congrua, quæ ſic appellatur, non credenda eſt purè extrinſecè congrua per ſolam comparationem liberi arbitrii: ſed in ſe ipſa, in ſuaque entitate habet pro illis circunſtantiis quemdam modum pulſandi liberum arbitrium; ita tunc ei congruentem, ut libera ejus operatio ſit ſequutura.* Hoc itaque conſtituto, rogo modo, an modus ille pulſandi ex ſua vi, & entitate conveniens gratiæ ſub illis circunſtantiis, ſit ità congruens, ut verè ſit infallibiliter connexus, & inſeparabilis à conſenſu, vel non eſt ità, ſed purè fallibilis, & ab eodem ſeparabilis; ſi hoc ſecundum: ergo modus pulſandi in tàlibus circunſtantiis, non eſt

talis energiæ, ut infallibiliter ſequatur operatio, prout ipſe affirmat; cùm modus ille pulſandi, non hanc infallibiliter inferat, & ſub eodem modo pulſandi valeat voluntas in contrariam operationem exire: quod eſt idem ac dicere, gratiam congruam eſſe penitus indifferentem, minimèque eſſe cum operatione connexam. Ad quid ergo recurſus ad circunſtantias, ut verè dici poſſit, quòd gratia congrua, eſt gratia illa, quâ infirmitas voluntatis humanæ indeclinabiliter, & inſuperabiliter agitur? Si primum, quòd nempè modus ille pulſandi quoad ſua prædicata, ex ſua vi, & entitate eſt infallibiliter connexus cum conſenſu; argumentor ita: modus ille pulſandi, quem habet gratia quoad ſua prædicata in ſe ipſa, ſuaque entitate, eſt inſeparabilis, ſeu infallibiliter connexus cum conſenſu; ſed gratiam, quoad ſua prædicata, in ſe ipſa, & in ſua entitate eſſe infallibiliter connexam cum conſenſu, eſt gratiam eſſe ab intrinſeco efficacem; cùm Thomiſtæ nihil aliud nomine gratiæ ab intrinſeco efficacis intelligant, quàm gratiam ex ſuis prædicatis, ſuâ vi, & entitate infallibiliter connexam cum operatione: ergo in hac gratiæ congruitate exponenda à ſuorum ſententia recedit.

16. Hìc inſuper aliam, & non levem, adeoque minimè negligendam animadverſionem facio: nempè circà conſtitutionem hujus gratiæ congruæ, quàm ſimul ab intrinſeco efficacem ſtatuit: *Gratia*, inquit locô ultimô citatô, *in ſe ipſa, in ſuaque entitate habet pro illis circunſtantiis, quemdam modum pulſandi liberum arbitrium, ita tunc ei congruentem, ut libera ejus operatio ſit ſecutura*. Hoc idem valet apud me, ac gratiam in circumſtantiis, in quibus à Deo datur, eſſe in ſe, vel ex ſua entitate efficacem; notum tamen eſt negare Jeſuitas, quorum ſyſtema Auctor defendit, gratiam *ex ſe eſſe efficacem*. Eſt ergo gratia juxta hunc Auctorem ex ſe, vel in ſe, ex ſua, vel in ſua entitate in illis circunſtantiis efficax. Hoc eſt, videre incipit ille veritatem, ſed necdum audet eam palàm profiteri; undè eam certis verborum involucris involvit: vellet dicere, quod Thomiſtæ dicunt, ſed aliis verbis. Nec erat neceſſe, ut Auctor ille ingenii ſui nervos tenderet, dicendique artem exhauriret, ut huic graviſſimæ materiæ exemplum Tarantulæ aptaret. Id Theologis cordatis non placebit, quod Deum, qui habet cordium inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem comparaverit imbecillibus Symphoniaco, aut Choraulæ, qui fidibus, modis, & numeris diù fruſtrà, *varias ſuâ arte*, verba ſunt Auctores illius, *operas ludens*, *eam ſedulo exquirit*, *qui illius Hominis penè defuncti organis*, *& ſenſibus ſit magis conſona. Hanc quod invenerint &c.* Quaſi per accidens foret, quòd Deus tandem inveniret gratiam aliquam, voluntati hominis congruam. Hoccine eſt operam dare; ut ille Auctor ibidem promittebat, *ut digna non niſi digniſſimè intelligantur*? Minùs profectò dignum eſt exemplum illud, ut ſupremum, ac divinum energicæ illius motionis, quâ Deus operatur in cordibus hominum velle, & perficere, & quâ voluntatem humanam ità movet, ut ſub ejus motione, & infallibiliter, & tamen liberrimè agat, artificium explicet; ut taceam Auctorem illum promiſſionis ſuæ, de qua mox, hic fuiſſe immemorem conſtet. Vel enim Sympho-

phoniacus, aut Choraula phyſicè excitat illum veneno Tarantulæ afflatum hominem; vel ſolùm moraliter? Primum non dicet, aliàs cogetur admittere, Deum phyſicè movere voluntatem: ſi ſecundum dicat, non ſufficit hoc ad præſentem difficultatem enodandam.

17. Fateor Deum etiam adhibere motiones morales, ut *ſuaviter* hominem moveat: ſed motiones illæ morales, quantumcumque multiplicatæ, non ſufficiunt, ut Deus tanquàm prima cauſa, primum movens phyſicum dicatur nos etiam *fortitèr* movere. Agnovit hoc *D. Proſper* lib. de ingratis cap. 14. ità canens:

Percurrat Apoſtolus Orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, inſtet,
Vt tamen his ſtudiis auditor permoveatur,
Non Doctor, neque Diſcipulus, ſed gratia ſola
Efficit.

Agnovit hoc *S. Thomas* Quodlib. 1. art. 7. *Indiget autem* (homo) *divino auxilio, non ſolùm quantùm ad exteriora moventia; prout ſcilicèt ex Divina providentia procurantur homini occaſiones ſalutis, puta prædicationes, exempla, & interdum ægritudines, & flagella; ſed etiam quantum ad interiorem motum; prout Deus cor hominis interius movet ad bonum; ſecundùm illud Prov. 19. Cor Regum in manu Domini, & quocumque voluerit vertet illud.* Efficacis illius, & phyſicæ motionis neceſſitatem inculcat *Cathec. Conc. Trid.* in primo Symboli artic. num. 22. *Non ſolùm autem Deus univerſa, quæ ſunt, providentiâ ſuâ tuetur, atque adminiſtrat; verùm etiam, quæ moventur, & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum, atque actionem ità impellit, ut quamvis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præveniat tamen; cùm ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat, & quemadmodum ſapiens teſtatur, Sap. 8. Attingat à fine uſque ad finem fortitèr, & diſponat omnia ſuavitèr. Quarè ab Apoſtolo dictum eſt, cùm apud Athenienſes annunciaret Deum, quem ignorantes colebant: Non longè eſt ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* Movere moraliter non ſoli Deo convenit; ſed & Angelis, & hominibus. Altiùs aſcendendum eſt, imaginatio tranſcendenda, atque ab intimis Metaphyſicæ penetralibus eruenda motio, quæ Deo ut primæ cauſæ, primo agenti, primo moventi propria ſit.

18. Legat Auctor ille ſapientiſſimum noſtrum P. *Maſſoulie*, ad quem provocavit; inveniet ibi, licèt aliis verbis expreſſum, quod dico: ſic enim habet locô citatô. *Hinc demùm facilè colligi poteſt, minimè adverſari ſententiæ Divinæ, & phyſicæ motioni, quod paſſim à Sanctis Patribus, & præſertim à S. Auguſtino dictum eſt, miris modis, aut etiam innumerabilibus, ut loquitur de corrept. & grat. cap. 6. Deum ad ſe homines pertrahere, & nunc proſperis, nunc adverſis, nunc blandiendo, nunc terrendo voluntatem adoriri. Vndè in promptu reſponſio eſt, cum objicitur: quid opus erat tanto apparatu, ſi ſola prædeterminatio, & phyſica motio mutare, & inflectere animum, & cor, ac voluntatem poteſt. Reſpondemus enim: quinimò, & eâ præſertim ratione*

motio

motio divina neceſſaria eſt, cùm ea tantum illum apparatum efficiat. Vtrumque enim jungendum eſt; ſumma ſcilicèt gratiæ divinæ efficacia, ſummaque ejus ſuavitas; atque ipſa efficacia illam ſuavitatem efficit. Dum terretur animus, terrorem motio Divina animo injicit; dum voluptate afficitur, ſuavitatem illam animo conceptam motio efficit; & ſive timori, ſive amori, ſive alteri cuicumque affectui Divina motio cor aperit. Ipſa Divinum Semen eſt: ipſaque, & concipiendi, & pariendi vim tribuit, ut fuſiùs alibi demonſtrabimus. Vndè, & eam ſententiam, quæ Divinæ gratiæ efficaciam, vel in collectione auxiliorum Divinorum, vel in quadam contemperatione gratiæ cum voluntatis humanæ diſpoſitione reponit, utilem quidem eſſe probavimus, & aliquid conferre poſſe ad concordiam libertatis cum Divina motione ſtabiliendam, & faciliùs explicandam, ſi probè intelligatur. Sed tamen minimè repugnare ſententiæ motionis prævię, ac phiſicæ, ſed eam omninò ſupponere. An idem ſentit Auctor iſte? Dicat, & loquatur apertè, & eum Thomiſtam prædicabimus.

19. Hæc namquè eſt una, & communis omnium Thomiſtarum vox, idemque omnium ſenſus, iiſdem principiis nixus. Hanc de efficacia intrinſeca gratiæ quæſtionem exponit Magiſt. *Contenſon* lib. 2. Diſſert. 4. cap. 2. dicens: *Naſcitur hæc difficultas ex eò, quòd non conſiderant Divinam voluntatem non minùs fortiter, quàm ſuaviter omnia diſponere, ejuſque impreſſionem, vigorem ſimul, & ſuavitatem infundere, & miris, ac veris modis mutationem in cordibus operari; ità ut quotquot Deus miſericordi gratiâ tetigerit, ii, quidquid voluntas Divina ſtatuerit, & prout ſtatuerit, ſemper exequantur, ita temperato cum libertate decreto, ut nec decreto libertas, nec libertati quidquam detrahat immutabilis decreti efficacia. Id egregiè exprimit S. Franciſcus Saleſius amoris Divini l. 2. cap. 11. Gratia divina vires habet tantis deliciis condítas, ut ſic nihil eſt ea fortiùs, ſic nihil eſt ejus fortitudine ſuaviùs: tam gratioſa eſt gratia, & tam gratioſè corda quo vult rapit, ut motibus ſuis fortiter quidem agat, ut fortificet, ſed non adigat; vires auget, non ut vim inferat, juravè violet libertatis, ſed ut voluntatem in amore boni vigentem, & inviolabilem reddat. Vndè ajebat Sponſa; Trahe me poſt te (ecce gratiæ fortitudinem) curremus in odorem unguentorum tuorum (ecce ſuavitatem) Fortis planè voluntas Dei, quæ trahit poſt ſe; ſed ſuavis eſt illa fortitudo, quæ odoribus allicit, quibus delibuta voluntas dulciſſimo, liberrimo, ac infallibili motu ad Deum ſe convertit.* Conſentiunt eidem Thomiſtæ omnes, qui, ſi non iiſdem ſillabatim verbis id dixerint, quod ille, certè aliis idem omninò ſignificantibus rem iſtam totam expediunt. Eodem modo loquitur *Bellarminus* adductus ab Auctore Caducæi pag. 25. in fine: verba *Bellarmini* deſumpta ſunt ex *recognitione ſuorum operum*. Ubi accedens ad libros de gratia, & libero arbitrio, ſic ait: „ Eodem libro cap. 12. §. *Rurſus* „ *idem Auguſtinus*: diximus, vocationem Dei internam eſſe moralem „ inclinationem, & impulſionem, cui liberè conſentimus. Et paulò „ infrà §. *Poſtremum argumentum*, iterum diximus, gratiam Dei de-

„ ter-

„ terminare voluntatem, non phyſicè, ſed moralitèr per modum per-
„ ſuaſionis. Quo loco, per vocem *determinare* non intelleximus deter-
„ minationem propriè dictam, ſed perſuaſionem, quæ moralis motio
„ quædam eſt voluntatis: nec enim poteſt moveri voluntas niſi morali-
„ tèr, quando movetur mediante intellectu proponente; ſed non ideo
„ negare voluimus, *Nota*, voluntatem moveri per gratiam etiam effi-
„ cientem, & phyſicè, ut explicavimus in eodem libro cap. 13. ubi di-
„ ximus, *Deum non ſolùm illuſtrando intellectum proponere objectum*
„ *voluntati, ſed etiam aſpirare voluntati bonum deſiderium* (& intrà)
„ afflare initium bonæ voluntatis, quæ aſpiratio, ſive affectio phyſica
„ actio eſt *& Deo propria, quâ novit facere, intus operando, ut volun-*
„ *tati placeat objectum propoſitum*: neque tamen illa delectatio à Deo
„ infuſa, ſive complacentia, ſive ſuavitas, ut eam S. *Auguſtinus* vocat,
„ neceſſitat voluntatem, ſed ſolùm inclinat „. Hucuſque *Bellarminus*, totus Thomiſta: nam gratia efficax Thomiſtica non neceſſitat voluntatem, ſed ſolùm *ſuaviter*, *& fortiter* inclinat, intùs operando in ipſam voluntatem. Si idem ſentit Auctor ille (quiſquis ſit), quod *Maſsoulieus*, & *Bellarminus* ſenſerunt, dicat candidè; congratulabimur ei, & nobis, quod Scholæ Thomiſticæ eatenus acceſſerit, ac *Molinam* deſeruerit; ſed tunc non ampliùs recurrat ad prævisionem conditionatam; prout facit pag. 25. lin. 26. poſtquam ibi rurſum admiſiſſet *gratiam efficacem ex ſe*. Quid enim opus eſt ſcientiâ mediâ exploratrice, quid homo tali propoſito objecto, in his, aut illis circunſtantiis ſit acturus? ſi, ut *Bellarminus* docet, Deus actione *ſibi propriâ novit facere intùs operando, ut voluntati placeat objectum propoſitum*, non neceſſitando, ſed inclinando voluntatem; quod Thomiſtis ſufficit.

20. Nec ampliùs utatur exemplo Symphoniaci afflatum veneno Tarantulæ ſuſcitantis, nec non promiſſi ſui in Prologo ad Lectorem facti: *A reculis*, inquiebat ibi, *verbulis, & hiſtoriolis abſtinendum putavi: quippè per quæ nunquam, niſi adulterinè, res tam alta tranſigitur*. Si tamen in poſterum à ſimili promiſſo abſtinere, ac hiſtoriolam quamdam, lectorem alliciendi gratiâ, ſcriptis ſuis immiſcere voluerit: datô locô, ecce ei aliam minùs Deo indignam, & rem ampliùs explicantem. Temporibus *Alexandri* Magni quidam Citharædus fuiſſe perhibetur, qui arte mirabili in audientibus tales affectus, & paſſiones excitare poterat, quales volebat: adeò ut & *Alexandrum* ipſum hujus rei videndæ cupidum, ad arma apprehendenda permoverit, ac præmoverit. Hâc hiſtoriolâ lectoribus Deum omniſcium, omnipotentem, dominantem cordibus hominum; non ignorantem, imbecillem, fruſtrà ludentem operas, & tandem per accidens gratiam congruam invenientem: (prout ſuâ videtur hiſtoriolâ facere, ſi quoad omnes ſuas partes urgeatur:) aliquatenùs repræſentabit: nam in prima ægerrimè ſuam propriam ſententiam videbit Auctor ejuſdem.

§. II.

Solvuntur argumenta.

21. OBjicies primò *D. Auguſtinum* lib. 1. ad *Simplicianum* qu. 2. dicentem: *Iſta vocatio Dei ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis vocatus eam ſequatur*; ſed gratia vocationis eſt ſolùm moraliter influens: cùm vocatio interna Dei ſit ejus interna locutio ad cor, quæ non aliter fit, niſi mediâ illuminatione, & internâ inſpiratione: ergo mediâ gratiâ moraliter influente poteſt Deus operari in nobis velle, & perficere. Verùm argum. hoc parum habet difficultatis: manifeſtum quippè eſt duplicem diſtinguere S. *Auguſtinum* vocationem, aliam, quæ generalis eſt, & aliam, quæ eſt particularis. Sic expreſsè de prædeſt. Sanctor. cap. 16. *Vocat enim Deus*, inquit S. Doctor, *prædeſtinatos multos filios ſuos, ut eos faciat membra filii ſui, non eâ vocatione, quâ vocati ſunt qui noluerunt venire ad nuptias; illâ quippe vocatione, & Judæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt; & gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt: ſed eâ vocatione, prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus dicens: Ipſis vocatis Judæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Sic enim ait:* IPSIS AUTEM VOCATIS, *ut illos oſtenderet non vocatos, ſciens eſſe quamdam certam vocationem eorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui. Dixit ergo:* SED EX VOCANTE, *non quâcumque vocatione, ſed quâ vocatione fit credens.* Et mox: *Non enim vocatione illâ vocati ſunt, de qua dictum eſt:* MULTI SUNT VOCATI, PAUCI VERO ELECTI; *ſed illâ ipsâ, quâ vocantur electi.* Et iterùm ibi: *Undè ſubiecit Apoſtolus;* SINE POENITENTIA ENIM SUNT DONA, ET VOCATIO DEI; *ideſt, ſine mutatione ſtabiliter fixa ſunt. Ad hanc vocationem omnes docibiles Dei ſunt; iſtorum autem nemo perit*: quibus verbis apertiſſimè S. Doctor duplicem vocationem diſtinguit, *unam, quâ vocati fuerunt Judæi, qui noluerunt venire ad Chriſtum: alteram, quâ vocantur electi*: ut exprimunt locutiones illæ; *illâ quippè aliâ*: & item, *non illâ vocatione, ſed illâ, quâ vocantur electi.* Enimverò vocatio interna Dei communis eſt gratiæ excitanti, & gratiæ ab intrinſeco efficaci. Convenit gratiæ excitanti, ut docet *D. Thomas* 1. 2. quæſt. 113. ad 3. dicens: *Vocatio eſt auxilium Dei interiùs moventis, & excitantis mentem ad deſerendum peccatum.* Et ad *Romanos* 8. lect. 6. *Vocatio eſt mentis inſtinctus, quô cor hominis movetur à Deo.* Et cap. 1. ad *Galat.* lect. 4. *Vocatio interior eſt mentis inſtinctus, quô Deus tangit cor, ut convertatur ad illum per gratiam.* Et in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 2. *Vocatio interior nihil eſt aliud, quàm inſtinctus, vel motus ad bonum à Deo immiſſus*: quæ omnia ſanè conveniunt gratiæ excitanti, ut ab efficaciter adjuvante diſtinctæ. Etiam propriiſſimè gratia ab intrinſeco efficax dicitur vocatio: Tùm quia in ſacris litteris vocatio explicatur no-

nomine tractionis, quæ verè fit per gratiam efficacem; ut conſtat ex *D. Auguſtino* de prædeſtin. Sanctor. cap. 8. dicente: *Ergo trahi homines à Patre ad Chriſtum; & audire, ac diſcere à Patre, ut veniant; nihil eſt aliud, quàm accipere donum, quò credant in Chriſtum.* Tùm quia gratia ab intrinſeco efficax, eſt vox illa Dei infallibiliter convertens corda hominum, ut dicitur Pſal. 28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Et, *vox Domini confringentis Cedros*: cui correſpondet obedientia, ut conſtat ex illo Pſalmi 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et ex Pſal. 84. *Et audiam, quid loquatur in me Dominus meus.* Doctrinam hanc, huncque ſenſum confirmat S. Doct. retract. lib. 1. cap. 23. num. 3. dicens: *Sed parùm de ipſa vocatione diſſerui, quæ fit ſecundùm propoſitum Dei: non enim omnium, qui vocantur, talis eſt, ſed tantùm electorum.* Ex quibus fit manifeſtum dari vocationem efficacem, quæ ſecundùm propoſitum Dei perficitur, & à cujus efficacia omnes vocati docibiles Dei ſunt, cùm omnis vocatus eam ſequatur. Per primam vocationem pulſat Deus corda noſtra; per ſecundam aperit, ut conſtat ex illo Actuum 16. *Cujus Dominus aperuit cor, ut intenderet his, quæ dicebantur.*

22. Non de vocatione, quæ convenit gratiæ ſufficienti, quàm multi ſic vocati non ſequuntur, loquitur S. Doctor, ſed ſolùm de efficaci, quàm omnis vocatus ſequitur; quâ nempè Deus præveniendo phyſicè, efficit conſenſum ſalutarem, & in nobis, atque nobiſcum, ut operemur operatur, ut toties inculcat *D. Auguſtinus*, maximè de grat. & lib. arbitr. cap. 16. dum aſſerit: *Certum eſt, nos velle cùm volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt, præparatur voluntas à Domino.* (Proverb. 8. ſecundùm 70.) *Certum eſt nos facere cum facimus; ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis.* Rurſus cap. 17. *Ut velimus, ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Quarè exponere verba allegata S. Doctoris de vocatione omni ſufficienti, & efficaci, utrumque foret ex diametro pugnare cum verbis, & intentione S. Doctoris; quippè qui diſtinctè loquitur de vocatione effectrice bonæ voluntatis, & connexa infallibiliter cum ea. Undè in forma reſpondetur, diſt. min. Sed gratia vocationis eſt ſolùm moraliter influens, ſumpta pro motibus vitalibus illuminationis, & delectationis circa bona ſupernaturalia, conc. minor. Sumpta gratia vocationis pro auxilio ſive ſufficienti, ſive ab intrinſeco efficaci: nego min. & conſeq. Diximus Dubio præcedenti gratiam excitantem, completè acceptam, comprehendere ſubminiſtrationem ſpiritûs, & virtutis, prout dicit auxilium, intellectum, & voluntatem elevans ad elicientiam actûs ſupernaturalis; necnon inſpirationes ſanctas, pioſque motus indeliberatos voluntatis. Auxilium ſufficiens, quô voluntas conſtituitur potens, tum ad actus indeliberatos, tum ad actus liberos, phyſicè influit; cùm ſit phyſicè præcontentivum actûs ſupernaturalis;

differatque ſolùm ab auxilio ex ſe ipſo efficaci phyſicè cauſante actum ſupernaturalem, penès parùm, aut multùm ab intrinſeco durare; quarè non moraliter influit; cùm detur unicè ad poſſe phyſicè operari. E contrà verò actus indeliberati ad conſenſum ſalutarem perfectum, & liberum moraliter influunt: videantur, quæ Dubio præcedenti diximus, nè acta iterùm agamus.

23. Secundò objicies *D. Auguſtinum* lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 19. dicentem: *Trahitur miris modis ut velit, ab illo, qui novit intùs in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed volentes ex nolentibus fiant.* Ex quibus ſequens elicitur argumentum: juxta S. Doctorem trahitur miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intùs operari in ipſis hominum cordibus: ſed non eſſent modi iſti mirabiles, ſi phyſicè efficaciter operaretur in illis Deus: ergo motione morali, & non invincibili operatur Deus in cordibus hominum.

24. Hoc confirmatur primò ex eodem S. Doctore de ſpirit. & littera cap. 39. dicente: *Attendat, & videat non ideo tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quòd nobis naturaliter concreatum eſt; verùm etiam, quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & credamus, ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat, ſive intrinſecùs; ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet* LIBERO ARBITRIO, *ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat; profectò, & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt: quæ res non ſolùm non infirmat, quod dictum eſt, quid enim habes, quod non accepiſti?* En quàm apertè pronuntiat *Auguſtinus*, quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & credamus; quòd anima rationalis credere non poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat; ſed ſuaſio, & vocatio ſolùm exercet rationem cauſæ moralis: ergo gratia ſolùm moraliter cauſat, & non phyſicè conſenſum.

25. Ad argumentum reſpondeo, primum S. Doctoris teſtimonium ex cap. 19. lib. 1. contra *duas Epiſt. Pelag.* necquicquam roboris habere adversùs gratiæ efficacis cauſalitatem phyſicam. Ita ſanè eſt, quòd Deus miris modis operatur in cordibus hominum, tum inſpirationibus ſanctis, tum piis affectibus, quibus præveniuntur, incitantur, & corroborantur, ut ad juſtitiam, & ſalutem pervenire poſſint. At ſunt & alii varii, & mirabiles modi, qui comprehenduntur in omnipotentia Dei, quibus Deus per gratiam prædominatur libero arbitrio, & quibus vincit omnium animos, complexiones, affectiones, mollitiem, & duritiem eorum. Varii ſunt effectus eodem in ordine gratiarum per ſe efficacium; cùm una poſſit eſſe alterâ major, ut infrà dicemus. An non mirabilis eſt gratiæ vis, quæ ſecundùm ſe tantam habet energiam, ut ha-

habeat infallibilem cùm obedientia voluntatis connexionem? De hac mirabili efficacis gratiæ vi invictiſſima loquitur hìc S. Doctor; quam expreſsiùs declarat in converſione *Pauli*, his verbis: *Dic mihi obſecro, quid boni Paulus adhùc Saulus volebat, ac non potiùs magna mala, quando ſpirans cædem, pergebat ad vaſtandos horrendâ mentis cæcitate, ac furore Chriſtianos? Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum ab his malis ad bona, mirabili, & repentinâ vocatione convertit? Quid ego dicam quibus meritis? Cùm ipſe clamet, non ex operibus juſtitiæ, quæ nos fecimus, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit. Quid illud, quod jam commemoravi dixiſſe Dominum; nemo poteſt venire ad me, quod intelligitur credere in me, niſi ei datum fuerit à Patre meo? Utrum jam volenti credere pro meritis bonæ voluntatis hoc datur? an potiùs ut credat ipſa voluntas, ſicut Sauli, deſuper excitatur, etiamſi tam ſit averſus à fide, ut credentes etiam perſequatur? Ut quid enim nobis Dominus præcepit, ut oremus pro eis, qui nos perſequuntur? Nunquid hoc oramus, ut eis pro bona eorum voluntate gratia Dei retribuatur, ac non potiùs, ut mala in bonam voluntas ipſa mutetur? Sicut credimus tunc à Sanctis, quos perſequebatur non inaniter oratum eſſe pro Saulo, ut ad fidem, quam vaſtabat, voluntas ejus converteretur, & illius quidem converſio deſuper facta manifeſtò etiam miraculò apparuit; quàm multi inimici Chriſti quotidiè ſubitò Dei occultâ gratiâ trahuntur ad Chriſtum.*

26. Non abſimiliter S. Doctor premens illud Pſalm. 147. v. 6. *Mittit cryſtallum ſuam, ſicut buccellas: Fuerunt*, inquit, *aliqui nimis duri, non jam nivi, ſed cryſtallo comparandi: & tamen ipſi prædeſtinati ſunt, & vocati. Et quidam eorum ita, ut paſcerent alios, & eſſent utiles aliis. Occurrit unicuique ex his quos novit, quàm fortè duri, & pertinaces, & obnitentes adversùs veritatem, & tamen modò prædicant veritatem; & facti ſunt fruſta panis. Quid imus per multos? Notiſſimum illum Paulum Apoſtolum intueamur: cryſtallus erat durus obnitens veritati. Non ergo deſperet nix, non deſperet cryſtallus. Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea. Dura cryſtallus erat Saulus: ſed quamquàm durus, quamquàm gelidus; ecce ille, qui emittit verbum ſuum, & liquefacit ea, clamavit de cœlò fervidus: Saule, Saule, cur me perſequeris? Unâ illâ voce tanta durities illa cryſtalli reſoluta eſt. Flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ. Flat ergo Auſter; ſolvitur rigor captivitatis, & currit in Deum fervor charitatis.* En mirabilis modus, quo operatur Deus in cordibus hominum. Si in omnibus præparatur voluntas internâ inſpiratione, illuminatione, & ſuaſione, ut poſſint; potentior eſt gratia illa efficaciſſima, quâ *D. Paulum* vocavit ad fidem, illâ gratiâ, quâ etſi efficaci alios vocat ad pœnitentiam; cùm Deus non teneatur expectare momenta, nec animos cautè tractare: nec rerum ſtatus, hominum ingenium, & mores obſervare; ſed quocumque loco, quocumque tempore, etiamdum homo eſt in flagranti delicto, ut *Paulus* tunc erat, poteſt in eis operari & velle. Rurſus hanc efficaciſſimam gratiæ vim exprimunt verba illa,

quæ

quæ objiciuntur nobis, ut *volentes ex nolentibus fiant*: quæ, niſi genuinus hujus teſtimonii ſenſus detorqueatur, indicant in ſenſu obvio, cauſalitatem phyſicam, non purè moralem. Quomodò namque verificari poteſt, quòd à Deo homines volentes ex nolentibus fiunt; ſi ex Deo ſolùm eſt auxilium, cum quô præſcit homines ex ſe convertendos eſſe; ſi ſolùm proponit objectum, & vocat eô tempore, quô præſcitur homo conſenſurus potiùs, quàm alio tempore, quô præſcitur non conſenſurus? Cùm, qui hoc tantùm modo movet, habere vim compellendi voluntates rebelles, ut ex nolentibus volentes fiant, dici non poſſit: nec gratiæ vi, & efficaciâ ſuâ hominem converteret, ſed homo vocationem congruam redderet efficacem.

27. Et ſanè perperam nobis opponitur teſtimonium S. Doctoris ex lib. *de ſpiritu, & littera* cap. 39. Ecquid enim rectè ex illo concludere poſſunt Auctores oppoſiti? An nempe, quòd conſentire vocationi Dei, vel ab eâ diſſentire propriæ voluntatis ſit? Sed quis hoc negat? An quòd homo nequit credere, ſi nulla ſit veritatum Fidei expoſitio, ſi nulla ſit ſuaſio, nullave ſit vocatio, cui credat? Hoc palàm docent, clamant, & ſcribunt Catholici omnes, dicente Apoſtolo ad *Rom.* 10. *Quomodò autem audient, ſine prædicante?* Sed hæc ſuaſio externa non excludit interiorem, quâ Deus loquitur ad cor; dum Prædicator auditorum inſonat auribus. An quod ultra gratiam ſufficientem omnibus communem, cujus internâ inſpiratione, ſuaſione, illuminatione præparatur, & excitatur voluntas, datur inſuper alia, mirabilis efficaciæ, quæ non ſolùm ſuadeat, ſed & efficaciter perſuadeat ut velit? Si æquâ, & debitâ lance ponderant integrum Sancti Doctoris teſtimonium nobis objectum, hoc confitebuntur nobiſcum, proſequitur namque textus: *Quæ res non ſolùm non infirmat, quod dictum eſt, quid enim habes, quod non accepiſti? Verùm etiam confirmat, accipere quippe, & habere, anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo, ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt. Accipere autem, & habere utique accipientis, & habentis eſt. Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; illi autem non ita? Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placet. O altitudo divitiarum! Et, Numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat Doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptiores.* En Deus ita ſuadens unis, ut perſuadeatur eis, aljis non ita. Si gratia illuminando, & docendo expectaret voluntatis conſenſum, ut operaretur; non eſſet, quòd *Auguſtinus* ad altitudinem divitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, ſummamque juſtitiam recurreret. Quis namque ita plumbeus eſt, cui non eſſet prompta reſponſio, quòd perſuadetur uni, quia vult, alteri verò quia non vult? Ergo dum S. Doctor recurrit ad altitudinem divitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, fit evidens, eum in ea eſſe ſententia, quòd ab ipſa efficacia gratiæ procedat, quòd uni ſuadeatur, ut perſuadeatur, alteri non.

28. Sit S. Doctor lib. de gratia Chriſti cap. 10. ſui ipſius interpres, qui

qui ibi & multis aliis in locis perſuaſionem eſſe gratiæ effectum pronuntiat. *Sed nos eam gratiam volumus, iſte aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur, & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam amatur, nec ſuadetur ſolùm, omne quòd bonum eſt, verùm & perſuadetur. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi non ſolùm vult eſſe, ſed etiam vocari Chriſtianus.* Id ipſum inculcat ibi cap. 12., & 13. *Quâ gratiâ igitur non ſolùm ut facienda noverimus, ſed etiam ut cognita faciamus; nec ſolùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus; hæc gratia, ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altius, & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolùm per eos, qui plantant, & rigant extrinſecùs, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita ut non oſtendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat Charitatem, ſic enim docet Deus eos, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere.* Et cap. 14. *Et iſtô divinô docendi modo etiam, & ipſa voluntas, & ipſa operatio, non ſola volendi, & operandi naturalis poteſtas adjuvatur.* Quæ eſt iſta gratia, quâ non *ſolùm promittitur* (ſcilicet moralis hæc eſt) ſed quâ creditur & ſperatur, ut loquitur *S. Auguſtinus*, quâ Deus ineffabili etiam ſuavitate nedùm ſuadet quod bonum eſt, ſed & perſuadet: nedùm veritatem oſtendit, ſed & impertit Charitatem; facit ut cogitata faciamus, non ſolùm ut diligenda credamus, dans, & quid agant ſcire, & quid ſciant diligere; cum illo docendi modo, non ſolùm naturalis poteſtas, ſed & ipſa adjuvetur operatio? An tot *Auguſtini* ſententiæ indicant efficientiam purè moralem, & non phyſicam? Efficientia non convenit cauſæ morali niſi cum addito, dicendo cauſam operari illuminando, ſuadendo, inſpirando; ſed juxta S. *Doctorem* gratia non ſolùm illuminat, ſuadet, & inſpirat, quæ facienda ſunt, ſed & perſuadet, charitatem impertit, donat ſimul, & quid agant ſcire, & quod ſciunt diligere: ergo cauſalitas phyſica eſt.

29. Nec huic S. Doctoris doctrinæ diſſentit fideliſſimus ejus Diſcipulus *D. Thomas* 22. q. 177. art. 1. qui agens de gratia donorum, quibus anima facilè, & promptè movetur à Spiritu Sancto ad bonum; & maximè de donô ſcientiæ, quô prædicans Apoſtolus convertebat auditorum animos, ſic habet: *Sic loquitur quod doceat.... Sic loquitur, quòd auditores delectet.... Sic loquitur, quod auditorem flectat. Ad quod quidem efficiendum Spiritus Sanctus utitur linguâ hominis, quaſi inſtrumento; ipſe autem eſt, qui perficit operationem interiùs: unde Gregorius dicit Hom. Pentecoſtes, niſi corda auditorum Spiritus Sanctus repleat, ad aures corporis vox docentium incaſsùm ſonat.* Eccè Spiritus Sanctus gratiâ ſuâ, & docens, & delectans interius, atque corda demulcens, ut credant. En gratia, quæ ita perficit operationem interiùs, ut niſi fortiter moveat, vox docentis ad aures in caſſum ſonet. En tandem gratia, quæ movet illuminando, & docendo, & quæ ſimul delectat, & inclinat hominem ad bonum, aut vertit, & operatio-

tionem ipſa dat, atque producit: quæ omnia cauſalitatem phyſicam, & non purè moralem important: ex quibus abſolutè neganda eſt minor argumenti, intellectâ de ſuaſione, & vocatione effectrice bonæ voluntatis, de qua ibi eſt ſermo. Quæ tàm evidentia ſunt, tamque manifeſta, ut non ſit quòd ampliùs his immoremur.

§. III.

Quædam ex dictis majori ponderatione digna proponuntur.

30. EX dictis inferes primò diverſum eſſe modum illum, quô ſanctæ cogitationes, & pii affectus voluntatis movent ad conſenſum ſalutarem. Diximus enim, illuſtrationem ſupernaturalem immediatè movere ex parte objecti; cùm motio moralis, quæ ipſis convenit non differat ab illa motione, quæ objecto convenit; movet namquè ſolùm applicando voluntati rationem objectivam honeſtatis, & utilitatis, quæ ipſam allicere poſſunt, ut liberè conſentiat. Si ergo ſolùm exhibet concurſum, quem prædicta ratio objectiva tribuit, aut tribuere poteſt; cùm cauſalitas objecti ſit purè moralis, illuſtratio, quæ ſolùm influit, applicando cauſalitatem objecti, immediatè moraliter influit. Verùm affectus ſupernaturales, quibus ſuaviter voluntas delectatur in rebus ſpiritualibus, non influunt immediatè, & ratione ſui, ſed ſolùm quatenùs ſunt occaſio, ut objectum efficacius, magiſque diligibile proponatur voluntati. Id non obſcurè innuit *S. Auguſtinus* lib. 2. de pecc. mer. cap. 17. aiens: *Tantò enim vehementiùs aliquid volumus, quantò certiùs quàm bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentiùs.* Quòd repetit lib. 1. ad *Simplicianum*, dicens: *Quis animo complectitur id, quod ipſum non delectat?* Et rursùs: *Voluntas ad bonum moveri non poteſt, niſi occurrat aliquid, quod ipſam delectet.* Similia docet *D. Thomas* 2. 2. q. 92. art. 2. aſſerens: *Cauſam diſpoſitivam Idololatriæ fuiſſe affectionem inordinatam in hominibus, quatenùs, ſcilicèt, aliquem nimis amantes, vel venerantes, honorem Divinum ei impenderunt.* Quòd firmatur ex illo Philoſophi 3. Ethic: *Qualis unuſquiſque affectus eſt, ſic omnia videntur ei.*

31. Inferes ſecundò quid longè diverſum eſſe, actus indeliberatos cognitionis, & affectionis ſupernaturalis intrinſecè immutare intellectum, & voluntatem; ac eos verè & propriè phyſicè influere in conſenſum ſalutarem. Primum ſupponitur; evidens quippè eſt, quòd ſi Deus interiùs movet voluntatem, voluntas eſt intrinſecè mota per id, quod in ea producitur per hujuſmodi motus. At ſecundum eſt, quod in præſenti inveſtigatur: nùm actus iſti intrinſecè recepti, & quibus intrinſecè immutatur voluntas, phyſicè influant in conſenſum ſalutarem. Quis enim neget cognitionem legis eſſe phyſicè intrinſecè receptam in intellectu, aut Deum infundentem hujuſmodi cognitionem intrinſecè, phy-

phyſicè, & activè immutare hominem; & tamen cognitio legis non phyſicè influit, & infallibiliter determinat voluntatem ad obſervantiam rei præceptæ.

32. Tertiò, quòd præſens quæſtio procedit de cauſalitate phyſica, ſtrictè tali; nequit enim negari, quòd affectus iſti ſupernaturales in aliquo ſenſu habeant rationem gratiæ operantis, quâ nos Deus adjuvat ad ſalutariter operandum; cùm mediis hiſce actibus voluntas diſponatur ad conſenſum ſalutarem. Pro quo inſignis eſt doctrina *D. Thomæ* 2. Phyſ. lect. 5. dicentis, ſub genere cauſæ efficientis comprehendi *cauſam diſponentem, adjuvantem, conſiliantem, & perficientem opus*. Licèt, ut ibidem affirmat, cauſa diſponens dicatur cauſa efficiens, non propriè, ſed *ſecundum quid talis*. Eo nempè modo, quô idem S. Doctor q. 3. de malo art. 5. ait: *Agens cauſans aliquam diſpoſitionem ad effectum dicitur eſſe indirectè cauſa illius; ſicut ille, qui ſiccat ligna, dicitur occaſionaliter cauſa combuſtionis ipſorum*. Quarè affectus iſti non ſunt propriè cauſa efficiens; cujus formaliſſimus conceptus ſolùm convenit gratiæ actuali, ſive ſufficienti, ſive efficaci, ut non obſcurè innuit *D. Thomas* q. 3. de malo art. 3. his verbis: *Dicendum, quòd cauſa aliquid movens multipliciter dicitur. Quandoque enim dicitur cauſa id, quod eſt diſponens, vel quod eſt conſilians, vel quod eſt præcipiens; quandoque verò dicitur cauſa id, quòd eſt perficiens; & hæc verè, & propriè cauſa dicitur; quià cauſa eſt, ad quam ſtatim ſequitur effectus. Ad actionem autem perficientis ſtatim effectus ſequitur, non autem ad actionem conſulentis, diſponentis, vel imperantis. Suaſio enim, juxta Auguſtinum, non cogit invitum.... Relinquitur ergo, quòd cauſa perficiens, & propria actûs voluntarii ſit ſolùm id, quod operatur interiùs: & hoc ſolùm eſt ipſa voluntas, ut cauſa ſecunda, & Deus ut cauſa prima*: ergo cùm affectus iſti ſupernaturales ſe habeant ſolùm per modum ſuaſionis, & inclinationis voluntatis: voluntatem relinquentes conjungibilem indifferenter cum conſenſu ſalutari, & ejus omiſſione; nec ex illis ſtatim ſequatur conſenſus ſalutaris, non habent rationem cauſæ phyſicè perficientis, quæ ſolùm convenit gratiæ illi quâ voluntas elevatur ut poſſit ſalutariter operari, & quâ Deus operatur in nobis bonum velle.

33. Inferes quartò, quòd licèt auxilium ſufficiens, & efficax phyſicè influant in conſenſum ſalutarem, hic tamen principaliùs attribuitur gratiæ ſeipsâ efficaci, quàm ſufficienti. Gratiæ enim illi principaliùs tribuendus eſt, quâ efficaciùs immutatur voluntas ad conſenſum; major enim efficacia in movendo eſt perfectior efficientia effectûs; ſed perfectiùs, & efficaciùs immutatur voluntas ad conſenſum gratiâ ſe ipsâ efficaci, quàm ſufficienti: ergo non iſti, ſed gratiæ ſe ipsâ efficaci tribuendus eſt conſenſus ſalutaris. Deus namquè operans conſenſum ſalutarem perfectiùs operatur, quàm dùm efficaciter adjuvat. Gratia efficax eſt ultima applicatio, & determinatio ad actum; & quâ Deus magis explicat ſupremum dominium ſuper actum; cùm magis eniteſcat ejus imperium, dùm prædeterminat voluntatem ad actum, quàm dùm exci-

 tat:

tat: ergò eidem principaliùs tribuendus eſt conſenſus ſalutaris.

34. Et tandem ex dictis inferes, quòd cùm ſolùm motus vitales intellectûs, & voluntatis, ſancta nempè cogitatio ſuaſiva boni, & affectio indeliberata inclinans voluntatem ad liberè aſſentiendum, ſint, apud AA. oppoſitæ ſententiæ, gratia ſufficiens, & nihil aliud aſſignent diſtinctum ab hujuſmodi actibus; gratia actualis ab ipſis poſita tantùm habet pro effectu dirigere, conſiliari, & invitare voluntatem, ut ſalutariter velit: ex quo efficaciſſimè contra ipſos argui poteſt, gratiam actualem minimè præſtare vires, & ſufficientiam intrinſecam ad actus ſalutares, cùm ſolùm prædicti actus diſpoſitivè, aut moraliter influant in actus ſalutares: ſicut moraliter diſpoſitivè influunt ſides in actum charitatis, & viſio beata in amorem Dei, ut docet *D. Thomas* 1. 2. q. 66. art. 6 Sicut ergo cognitio fidei, & viſio beata ſolùm influunt mediâ oſtenſione, & propoſitione objecti, ita eodem influxu objectivo influit ſubita cogitatio ſupernaturalis, mediante objecto, quod proponit, quod ex ſui natura nequit influere phyſicè in ſanctam affectionem. Cùm ergo ab Auctoribus Scholæ Societatis nulla aſſignetur ratio efficaciter probans efficientiam effectivam, quam Concilia, & SS. PP. concedunt gratiæ excitanti prævenienti in conſenſum liberum ſupernaturalem; abſolutè debet concedi, quòd gratia excitans præveniens adæquatè, & completè involvit præter actus intellectûs, & voluntatis aliquod auxilium intrinſecè elevans intellectum, & voluntatem ad illorum elicientiam. Et hæc de præſenti Dubio.

DUBIUM V.

An gratia excitans ſit realiter diſtincta à gratia efficaciter adjuvante?

§. I.

Referuntur Sententiæ.

1. EX Dubii præſentis reſolutione mirum in modum clareſcunt & elucidantur, quæ hactenus diximus, & in poſterum dicturi ſumus. Verùm huic graviſſimæ difficultati nec veriùs, nec clariùs reſponderi poteſt, quàm propria eorum, cum quibus agitur diſputatio, aſſerta proponendo ſub eiſdem terminis, nè in re tanta ipſis quid imponere exiſtimemur; & ut meliùs utriuſque Scholæ opinionum cognoſcatur diverſitas. *P. Molina* in concord. q. 11. art. 13. diſp. 39. §. *Verum multa*, ſic habet ad verbum: *In primis non video, præter auxilium particulare gratiæ prævenientis, & concurſum Dei generalem, neceſſarium eſſe auxilium aliud particulare gratiæ, ut liberum arbitrium aliquem illorum actuum poſſit elicere. Etenim illa tria unam integram, & ſufficientem cauſam illorum complere videntur, ut diſp. 37.*

ſa-

ſatis à nobis explicatum eſt: quare, eſtò Deus quodcumque aliud auxilium denegaret, ex illis ſolis ſequeretur effectus. Ità P. *Molina*, qui ut ſententiam ſuam explicaret magis §. immediatè ſequenti talia ſubjunxit: *Deindè falſum omninò videtur, & diſcrepans à dictis PP. & Concilio Tridentino locis citatis aſſerere, gratiam coadjuvantem diſtinctam eſſe à gratia præveniente, & excitante. Illa enim eadem gratia, quæ liberum arbitrium prævenit, & excitat ad actus, quibus ſe ad juſtificationem diſponit, dicitur cooperans, ſi arbitrium cum ea conſentiat, atque ſimul pro ſua libertate influat.* Quod ut confirmaret magis, iterum addit: *Non ergo ſunt diſtinctæ gratiæ præveniens*, (ſcilicet ſufficienter, aut excitanter) *& cooperans, atque adjuvans, ſed una, & eadem, quæ ſpectata antequam liberum arbitrium cum ea cooperetur, eliciatque actum liberum, per quem ad juſtificationem diſponatur, dicitur præveniens: Spectata verò, prout cooperante jam cum illa libero arbitrio, ipſa etiam cooperatur, & influit in eumdem actum, dicitur cooperans, & adjuvans.* Ità ibi §. *Deindè*. Et rurſus diſp. 20. quæ aliàs ſolet eſſe 38. idem proſequitur aſſerens: *Ex dictis colligitur facilè unam, & eamdem numero gratiam, quatenus excitat, allicit, & invitat arbitrium noſtrum ad actus credendi, ſperandi, diligendi, aut pœnitendi, appellari prævenientem, ac excitantem, eaque conſideratione prævenire arbitrium noſtrum ad hujuſmodi actus: quatenus verò conſentiente jam noſtro arbitrio, & cooperante, actus, ad quos illa invitat, & allicit, ipſa quoque novo influxu, & actione cooperatur eoſdem actus, appellari adjuvantem, ac cooperantem gratiam.* Hæc ibi. Et in eadem diſp.20. §. *Hinc patet*, horum rationem reddens, inquit: *Ratio verò horum eſt, quoniam licèt gratia præveniens, quà præveniens eſt, antecedat conſenſum noſtri arbitrii, & cooperationem ipſius ad actus credendi, ſperandi, diligendi, & pœnitendi, quibus ad Deum convertimur, influxus tamen, & cooperatio ejuſdem gratiæ cum noſtro arbitrio ad eoſdem actus, à quo gratia præveniens rationem ſortitur gratiæ cooperantis, non antecedit liberum noſtrum conſenſum, & cooperationem ad noſtram converſionem, ſed concomitatur, & ab ea pendet non ſecus, atque concurſus habituum virtutum ad noſtras operationes pendet à cooperatione ipſarum potentiarum, ut ſuprà fuit explicatum: id quod in cauſa eſt, ut habitibus utamur ad noſtras operationes, quando pro arbitrio noſtro volumus operari, eiſque non utamur, quando ab operatione pro eodem arbitrio ceſſare volumus.* Ità P. Molina.

2. Sententiam iſtam tenent præcipui Societatis AA. *P. Suarez* lib.3. opuſc. cap.5. num.4. §. *Habemus*, ita loquens: *Non operatur autem Deus in nobis initium ſalutis, niſi per excitantem gratiam; ut ex Concilio Tridentino ſuprà oſtendimus. Eſt ergo idem motus operantis, & excitantis gratiæ, & conſequenter idem erit etiam cooperantis, & adjuvantis. Denique ratio etiam horum nominum ex eodem loco colligitur; & quidem denominatio cooperantis gratiæ per ſe notiſſima eſt, & aptiſſimè quadrat in gratiam adjuvantem, quæ ſtudiis cooperatur humanis, ut rectè Ambroſius dixit lib.2. in Lucam. Et, quod valdè no-*

tandum eſt, indicatur in illa voce quædam ſimultanea conjunctio voluntatis, & gratiæ adjuvantis ad eumdem actum, vel actionem, ad quam mutuò cooperari dicuntur, ita ut ſub ea ratione neutra alteram antecedat, vel impellat, ſed ſolùm ſimul operentur. Verba ſunt *P. Suarez*, qui in iiſdem perſiſtit omninò in eodem capite §. *Quo fit*, atque in eodem lib. cap. 2. §. *Sed apud*.

3. Sentit cum his *P. Vaſquez* 1. p. q. 23. diſp. 88. cap. 9. §. *Quartò denique*. Ubi poſtquam de gratia excitante locutus fuerat, in hunc ſubjicit modum: *Secunda verò gratia dicitur adjuvans, quæ jam ab eo incipit momento, quo quis aperit oſtium cordis ſui, & excitatus à ſomno, vocanti liberè reſpondet.* Et §. *Item obſervandum* in eodem cap. addit: *Obſervandum igitur eſt eamdem vocationem, & cogitationem ſanctam, & ſubitum primum motum voluntatis dici gratiam operantem, & prævenientem, & cooperantem, & concomitantem; eamdem, inquam, diverſo modo conſideratam; nam quatenus conſenſum noſtrum antecedit, eſt operans, & præveniens, quatenus verò permanens in nobis efficit conſenſum nobiſcum, eſt cooperans, & concomitans.* Ita *P. Vaſquez*, à quo non diſſentit *P. Valentia* dicens l. 2. diſp. 8. p. 3. de diviſ. gratiæ, punct. 3. §. *Gratia autem*, ibi: *Gratiam autem adjuvantem appellant Dei dona, & beneficia, quibus Deus hominem divinæ vocationi, & excitationi conſentientem adjuvat, tum in eo ipſo, quod conſentit, & convertitur, tum in aliis actionibus pietatis.*

4. *P. Ripalda* tom. 2. de ente ſupernaturali diſp. 112. ſect. 1. num. 4. explicans diſcrimina, quæ Theologi aſſignant communiter inter gratiam excitantem, & adjuvantem, ſic dicit: *Porrò inter gratiam excitantem, & adjuvantem hæc ſunt apud Theologos conſtantia diſcrimina. Primum, quòd gratia adjuvans nunquam eſt ſine prævio munere gratiæ excitantis, excitans autem poſſit eſſe non completo munere adjuvantis: nam gratiâ adjuvante perficimus id, ad quod vocante, & excitante gratiâ invitamur, juxta illud Auguſtini in Enchir. cap. 32. Deus hominis voluntatem & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Secundum diſcrimen eſt; quòd gratia excitans talis exiſtit à concurſu morali in opus; adjuvans verò concurſum phyſicum non excludit: excitare enim non eſt aliud, quàm illuſtratione, & affectione ſuadere, & invitare ad pietatis opus. Undè tertium eſt, quòd gratia excitans explet ſuum munus; etiam ſi opus morale non fiat: adjuvans verò ſine concurſu, & influxu voluntatis ſuum munus non explet. Nam ſæpè excitatur voluntas, quin gratiæ excitanti conſentiat: nunquam tamen adjuvatur ad opus ſine concurſu ipſius voluntatis. Quartum denique eſt, quòd gratia excitans explet munus ſuum in nobis ſine nobis: adjuvans verò nobiſcum, nempè quia excitari, & vocari à Deo, in noſtra libera poteſtate inſtitutum non eſt, ut conſtitutum eſt adjuvari ad liberum conſenſum.*

5. *P. Marin* tract. 8. de liber. arbitr. diſp. 1. ſect. 5. num. 55. aſſerit: *Noſtri Auctores dicunt è contra, in rectè operante non dari aliam gratiam adjuvantem præter gratiam conſtituentem poſſe, ſivè hæc gratia*

con-

conſtituens poſſe conſiſtat in actu vitali, ut veriùs diximus; ſivè conſiſtat in qualitate mortua, ut dicunt Thomiſtæ communiter, & aliqui ex noſtris. Certè mortuam non eam dicunt Thomiſtæ, ut ſuprà diximus, licèt dicant formaliter non vitalem; hoc enim ſecundum ſolùm dicit, non eſſe actionem, per quam vivimus; eſſe autem mortuam excluderet etiam principium vitæ ex participatione vitæ Dei. Quarè nec gratia habitualis, nec habitus infuſi, vel acquiſiti mortui dicuntur, quamvis eis formaliter non vivamus. Et addit num.58.; *Dico cum noſtris: Gratia adjuvans, & cooperans juxta mentem Conciliorum non eſt diſtincta à gratia ſuadente, & excitante.*

6. His omnibus conſentit P. *Platel* in ſuo curſu Theologiæ par. 2. cap.6. §.5. dicens: *Excitans, gratia, ut ſic, præſcindit ab executione actûs, ad quem movet; adjuvans ut ſic, illam importat: undè diſtinguuntur connotativè, licèt non neceſſariò entitativè.* Suffragatur etiam *Ortizius* in ſuo Caducæo Theologico p. 3. punct. 7. num. 92., qui hanc ſententiam communiorem dicit eſſe, his verbis: *In qua, ut benè ipſe proponit* (de me loquitur) *Jeſuitæ Doctores univerſim conveniunt in eo, quòd una, & eadem ſit entitas gratiæ, quæ nimirùm ſit excitans, atque adjuvans, propter diverſa munera, quæ talis gratia exercet: atque adeò recta eſt diviſio communis gratiæ in excitantem, & adjuvantem, tamquàm ſubjecti in accidentia; non ſecùs, ac licèt anima rectè dividatur, in vegetativam, ſenſitivam, & rationalem, nihil obſtat, quominùs eademmet anima rationalis ſit etiam vegetativa, & ſenſitiva. Citanturque proindè ab eo pro hac parte P. Molina .... quibus & poſſent plures alii accenſeri de agmine Jeſuitarum*, & meritò quidèm; nàm his noviſſimè accinit P. *Araujo* diſp. 5. de gratia actuali art.3. Hìc præterire non poſſum, quæ Scriptor iſte aſſerit art. 4. num.22. *Aliqui gratiam excitantem collocant in mortua qualitate ſupernaturali intrinſecè inhærente, elevanteque intellectum, & voluntatem ad actus primos ſupernaturales. Alii dixerunt eſſe actionem ſine termino. Ceterùm actio ſine termino chimærica eſt, ut ex Philoſophia ſuppono. Illa vero aſſerta qualitas rejicienda, non ſolùm tituló ſuperfluitatis; ſed quia, cùm ſit mortua, minimè poterit excitare potentias ſopitas, & dormientes; imò illa eadem indigeret excitatione, ut à ſomno ſuo expergiſceret; id ſanè meliùs efficere potuiſſent habitus effectivè concurrentes: ſi ergo id non faciunt, à fortiori qualitas mortua. Prætereà, excitatio, de qua loquimur, eſt in genere cauſæ formalis per formalem motionem, & attentionem, quæ non poteſt non eſſe aliquid vitale, & animæ intrinſecum.* Et num. ſequenti 23. cùm ſibi ſequens proponeret argumentum: *Ut intellectus, & voluntas producat actus vitales ſupernaturales, in quibus conſiſteret, gratia excitans, deberet elevari per aliquod comprincipium intrinſecum ſupernaturale; hoc autem erit qualitas ſupradicta. Reſp. neg. ant. Sicut actus vitalis poteſt procedere à principio inadæquato extrinſeco, qualis eſt omnipotentia; ita potiori jure, ut ſit ſupernaturalis, non requirit principium intrinſecum ſupernaturalè.* En quàm longè neceſſitatem auxilii ſupernaturalis intrinſeci re-

removet ad elicientiam actûs ſupernaturalis; & quomodò qualitatem auxilii & principii ſupernaturalis, contemnit, *mortuum* illud apellans. Utrumque admiratione dignum; ſed ad id, quod inſtitueram, redeò.

7. Auctores iſti in tribus ſibi uniformiter conſentire videntur: primò, quia omnes illi aſſerunt, gratiam adjuvantem eſſe realiter indiſtinctam à gratia præveniente, & excitante: cùmque gratiam excitantem, & prævenientem in Sanctis cogitationibus, & piis affectibus omnes conſtituant, in illis conſequenter conſtituere tenentur gratiam adjuvantem, quæ nihil addit in actu ſecundo ſuper gratiam excitantem niſi conſenſum liberum creaturæ. Secundò conſentiunt in eo, quòd gratia adjuvans formaliter ſumpta non præcedit conſenſum liberum voluntatis. Cùm enim gratia adjuvans ſub adjuvantis munere connexa ſit cum conſenſu libero, ut ipſi fatentur, ſi hæc præcederet conſenſum liberum, tenerentur admittere gratiam prævenientem connexam cum conſenſu. Tertiò affirmant, nullum eſſe gratiæ adjuvantis influxum non ſubditum voluntati; ad quod ex ratione facta compelluntur, nam tenerentur admittere aliquid cum actu libero connexum, cujus exiſtentia non eſſet in arbitrii poteſtate. E contrà verò Thomiſtæ minimè in controverſia iſta dubitant, gratiam Dei excitantem eſſe realiter diſtinctam ab adjuvante, ipſam eſſe prævenientem, ejuſque influxum non eſſe noſtræ poteſtati ſubjectum.

§. II.

Gratia excitans diſtinguitur realiter à gratia efficaciter adjuvante.

8. PRimum hujus Concluſionis momentum deſumitur ex *D. Bernardo* lib. *de gratia, & liber. arbitr.* dicente: *Conatus noſtri ad bonum, & caſſi ſunt, ſi gratia non adjuventur; & nulli, ſi non excitentur.* Nulli ſunt, inquit S. Doctor, conatus noſtri ad bonum, ſi non excitentur; cùm hi primi actus intellectûs, & voluntatis, cogitatio ſalutaris, & complacentia, ſive affectio boni, ac ſtudium placendi Deo, ſint voluntati ratio conſultandi, & diligendi, & gratia illa excitante, ut ſuprà diximus, conſtituatur voluntas intrinſecè potens in ordine ſupernaturali. Quare dixit *Auguſtinus* in Pſal.26. enarrat.2. *Dic ergo illi, voluntatem quidem liberam mihi dediſti, ſed ſine te nihil eſt mihi conatus meus: adjutor meus eſto, ne derelinquas me: neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Tu enim adjuvas, qui condidiſti; tu non deſeris, qui creaſti.* Caſſi ſimiliter ſunt conatus noſtri ad bonum, ſi gratiâ non adjuventur efficaciter; cùm de actu primo in actum ſecundum non exeat voluntas niſi motione primæ cauſæ, & ipſe Deus operetur velle, voluntatem applicans ad opus, ſicut intellectum ad ſalutares cogitationes; ipſa namque ſuaſio, etſi à Deo fiat, non movet vo-

voluntatem efficaciter ad conſenſum liberum, & perfectum; nec ullâ quâcumque ſuaſione, comminatione, promiſſione ei dominari poteſt, & reddere infallibiliter volentem, aut nolentem; quam tamen poteſtatem habet Deus efficacitèr adjuvans, qui voluntatem facit ſequi ex ſuo judicio, & deliberatione; & Deo trahente, & operante interiùs per ſuam gratiam, poſt ipſum currimus, qui per nos ipſos ſine gratia poſſibilitatis ambulare lento paſſu non valemus. Quod totum eleganter dixit *Auguſtinus* Epiſt. ad *Vitalem*: *Quapropter ut in Deum credamus, & piè vivamus, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: non quia velle non debemus, & currere; ſed quia ipſe in nobis & velle operatur, & currere, unde & ipſe Dominus Jeſus credentes à non credentibus, id eſt, ab iræ vaſis vaſa miſericordiæ diſcernens*; NEMO, *inquit Joan.* 6. *verſ.* 65. VENIT AD ME, NISI FUERIT EI DATUM A PATRE MEO. *Et utique, ut hoc diceret, in ejus doctrina fuerant ſcandalizati Diſcipuli ejus, qui eum poſtea non ſunt ſequuti.* Et infrà: *Pervenimus autem in ea, quæ ad fidem veram, & Catholicam pertinere firmiſſimè ſcimus, in quibus ita nobis ambulandum eſt, adjuvante illo, atque miſerante, cui dicimus Pſal.*85. *verſ.*11. DEDUC ME DOMINE IN VIA TUA, *& ambulabo in veritate tua, ut ab eis nullo modo deviemus.*

9. Secundum concluſionis argumentum deſumitur ex natura gratiæ formaliter adjuvantis. Nam ſi gratia efficaciter adjuvans non differt realitèr à gratia excitante, ſed quæ ex ſe eſt excitans, redditur efficaciter adjuvans ex conſenſu creaturæ; ergo gratia, quæ priùs erat excitans, manet entitativè eadem, & ſolùm ex conſenſu creaturæ hoc glorioſo adjuvantis inſignitur nomine, quin ulla ex parte gratiæ intrinſeca ſit diverſitas, ſed ſolùm in mutatione intrinſeca liberi arbitrii diſſimiliter idem auxilium excipientis: ergo propriè gratia nequit dici adjuvans, ut arguit *Auguſtinus* Epiſt. 177. dicens: *Nec gratia juvaret, ſi ſat eſſet voluntas.* Et lib. 6. oper. imperf. num. 15. *Nec ipſa poſceretur orando, ſed agendo potius teneretur*: cùm de voluntate noſtra penderet cœleſtis hujus gratiæ opitulatio. Sit namque à Deo data eadem gratia homini, quam ille pro uno inſtanti ſuo diſſenſu caſſam, & inutilem facit; & quam pro alio ſuo aſſenſu reddit efficacem: hæc pro utroque inſtanti non eſt diſtincta, & uberior gratia, ſed eadem; eſt ſolùm entitativè gratia poſſibilitatis, etſi pro ſecundo inſtanti nominetur adjuvans. Supponamus ulteriùs eos eſſe æqualiter affectos ad circumſtantias temporis, loci, & ad bonitatem objecti; certè non eſt hìc congruitas, vel ſi adſit, utrique eſt æqualis. Sed pro ſecundo inſtanti ſolùm datur de novo conſenſus voluntatis: ergo ex tali conſenſu redditur illa adjuvans. Quomodò ergo verificari poteſt, quòd Deus per largitionem potentioris gratiæ efficacitèr adjuvantis dat ipſum ſalutariter operari?

10. Secundò: quia ſi gratia efficacitèr adjuvans non realitèr diſtinguitur ab excitante, nihil de Dei munere in ipſo ſalutari opere prædicatur; nec dignum quid Deo efficere videtur illa. An nè gratia effica-

caciter adjuvans, ſeu hoc grande Dei munus, eſt res de ſolo titulo, imò titulus ſine re? An credet aliquis, quòd illud adjutorium bene agendi, quod *Auguſtinus de grat. Chriſti* cap. 35. vocat. *Inſpirationem flagrantiſſimæ, & luminoſiſſimæ Charitatis*. Et contra duas Epiſtolas Pelagian. lib.4. cap.5. dicit eſſe: *Inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus, quæ propriè gratia eſt*. An, inquam, credet quis uberrimum hoc auxilium, cui debet homo ſuam juſtitiam, ità dependere ab humano arbitrio, ut ex ipſo conſenſu Creaturæ habeat, quòd ſit efficaciter adjuvans? An gratiæ Dei adjuvanti tot fuerunt ab *Auguſtino* erecta trophęa, ut, reluctantibus licèt Sacræ Scripturæ & traditionis Oraculis, ſalutem hominis, non à Deo pro arbitrio miſerente, ſed homine gratiam determinante, dependentem oſtenderet? *Abſit*, hoc inquit S. Doctor lib. de corrept. & grat. *Non ſe itaque fallant, qui dicunt, ut quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle, & operari Deus operatur in nobis? Sed potius intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt agant; & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant; & ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant, ut quando id agunt, ſicut agendum eſt, ideſt, cum dilectione, & delectatione juſtitiæ, ſuavitatem quam dedit Dominus ut terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant. Quando autem non agunt, ſive omninò non faciendo, ſive non ex Charitate faciendo; orent, ut quod nondùm habent accipiant. Quid enim habebunt, quod non accepturi ſunt? Aut quid habent, quod non acceperunt!* Quid aptius, quid apertius, aut invictius dici poteſt, ut cognoſcatur utriuſque auxilii excitantis, & efficaciter adjuvantis diſtinctio? An non illud, *ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant*, expreſsè ſignificat dari veram cauſalitatem effectivam inter ipſum Dei agere, & creaturæ velle? Si talis gratia includeret ipſum velle, ut eſſet efficaciter adjuvans ad ipſum velle, impropria, aut penitùs falſa eſſet talis loquutio. Quis enim dicat actum liberum voluntatis, qui eſt effectus gratiæ Dei adjuvantis, eſſe propriè gratiam auxiliantem, quâ efficitur? Aut quod auxilium activè eſt cauſa conſensûs, per ipſum conſenſum, qui ab ipſo accipit eſſe? Ergo creaturam *agi à Deo*, denotat influxum gratiæ in genere cauſæ efficientis, ſive operantis phyſicè in ipſum velle, diſtinctum ab influxu gratiæ excitantis, adjuvantis in actu primo. Id liquidò conſtat ex poſterioribus S. Doctoris verbis: *Quando autem non agunt, ſive omninò non faciendo, ſive non ex charitate faciendo, orent, ut quòd nondùm habent, accipiant*: quibus ſanè verbis docet *Auguſtinus*, orari pro gratia adjuvante in actu ſecundo, ut ſalutariter operentur, quæ ſanè debet præcedere ipſum conſenſum, cùm gratia adjuvans ad conſenſum ſalutarem ſit donum Dei realiter diſtinctum à gratia excitante, & adjuvante per modum virtutis in actu primo; & quæ conſequenter non conſiſtit in ipſo conſenſu libero voluntatis, prout dependet à Deo, ſimultaneè concurrente cum ipſa voluntate. Etenim influxus actualis Dei

in

in conſenſum ſalutarem, ut aſſerunt AA. Societatis, eſt actio identificata cum ipſo conſenſu indiviſibiliter procedenti à Deo, & à voluntate creata, qui proindè nequit realiter præcedere conſenſum: ergo cùm de ratione gratiæ verè auxiliantis, ut innegabile eſt, ſit realis præcedentia, & cauſalitas reſpectu illius, ad quod auxiliatur, nequit gratia, ut in actu ſecundo juvans, conſiſtere in ipſo conſenſu libero voluntatis, prout dependet à Deo, ſimultaneè influente cum ipſa voluntate. Quarè auxilium per modum actualis concursûs ad conſenſum, cum quo realiter identificatur, improprjiſſimè dici valet. Quis enim non videat auxilium movens voluntatem, ut eliciat conſenſum, non diſtingui realiter à termino, ad quem movet? Aut quòd ipſe conſenſus nequit præbere robur voluntati, ut ipſam moveat ad eliciendum conſenſum præ diſſenſu?

11. Et ſanè, ſi res ita ſe habet, quæ non ſequuntur inconvenientia? Liberum arbitrium potiùs dicendum erit efficaciter adjuvans, quàm gratia; cùm ex illo habeat gratia, quòd ſit efficaciter adjuvans, ut argumentatur *Auguſtinus* Epiſt. 186. dùm dixit: *Sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia.* Quod ſanè conſequens videtur eſſe in principiis Adverſariorum. Etenim gratiam prævideri, ut conjunctam cum ſcientia conditionata conſensûs, provenit à determinatione noſtræ voluntatis; ſed gratia ſic prævifa eſt inſuperabiliter movens voluntatem: ergo à determinatione voluntatis provenit, quòd efficaciter moveat, & non à virtute intrinſeca gratiæ. Igitur propriùs dicitur liberum arbitrium adjuvare gratiam, ut operetur, quàm è converſo. Rurſus, falſum eſſet dicere, quòd gratia efficacitèr adjuvans, quibus datur, miſericordiâ Dei datur, & quibus non datur, juſto judicio Dei non datur, quod tamen aſſerit *D. Auguſtinus* capit. 227. ad *Vitalem* num. 17. dicens: *Scimus eis, quibus datur, miſericordiâ Dei gratuitâ dari. Scimus quibus non datur, juſto judicio Dei non dari.* Et n. 20. *Quomodò ut detur gatia divina, voluntas meretur humana, ſi eis quibus datur, gratuitâ miſericordiâ datur, ut vera ſit gratia? Quomodo in hac re merita penſantur voluntatis humanæ; quandoquidem in illis, quibus gratia iſta non datur, nullo plerumque merito, nullâ voluntate diſtantibus, ſed unam cum eis, quibus datur, habentibus cauſam, juſto tamèn judicio Dei non datur (non enim eſt iniquitas apud Deum) ut intelligant quibus datur, quàm gratis eis detur, quandò juſtè utiquè non daretur, quoniam ſimilem habentibus cauſam juſtè non datur.* Hæc *Auguſtinus*, naturam gratiæ efficaciter adjuvantis explicans. Quomodò ergò verificari poteſt, quibus datur, miſericordiâ Dei dari, & quibus non datur, juſto Dei judicio non dari, ſi, ut gratia ſit formalitèr adjuvans, penſatur voluntatis humanæ conſenſus; & ex voluntate conſiderata ſolummodò ſub poſſibilitate conſtituta per gratiam ſufficientem, omnibus communem, gratia redditur efficaciter adjuvans? Ergo ne falſificetur doctrina iſta, quam dicit *Auguſtinus ad fidem rectam, & Catholicam pertinere*, agnoſcenda eſt alia gratia, ultra ſufficientem, & ab illa diſtincta, quæ det ipſum ſalutariter operari.

12. Hanc apertiſſime ſignificat *Auguſtinus de grat. Chriſti contra Pelagium* cap. 23. dicens: *Ergò ne ut perveniatur ad adjutorium Dei, ad Deum curritur ſine adjutorio Dei; & ut Deo adhærentes adjuventur à Deo, à Deo non adjuti adhæremus Deo? Quid homini majus, quidve tale poterit gratia ipſa præſtare, ſi jam ſine illa unus cum Domino ſpiritus effici potuit, nonniſi de arbitrii libertate?* Idem aſſerit de grat. & liber. arbitr. cap. 16. *Certum eſt enim nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit ut volendo faciamus. Certum eſt, nos velle, cùm volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò ante poſui, præparatur voluntas à Domino. .... de quo dictum eſt Philipp. 2. 23. Deus eſt qui operatur in nobis & velle.* Et tandem lib. de corrept. & grat. egregiè id ipſum illuſtrat cap. 12. his verbis: *Ac per hoc nec de ipsâ perſeverantiâ boni voluit Deus Sanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolùm dat adjutorium quale primo homini dedit,* SINE QUO NON *poſſint perſeverare, ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perſeverabunt niſi & poſſint, & velint, perſeverandi eis & poſſibilitas, & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur.* Hæc ſanè S. Doctoris teſtimonia nullâ diligentiore trutinâ indigent. Apertè conſtat ex illis dari duplex Dei adjutorium adjuvans voluntatem, *ſine quo*, ut poſſit velle; & *quo* ut velit; quo nempe Deus operatur ut velit; ut exprimunt verba iſta: *ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint & velint, perſeverandi eis & poſſibilitas, & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur*: Sed adjutorium quo Deus operatur velle; & quod Deus largitur, non quia voluntas vult, ſed ut velit, eſt realiter diſtinctum ab auxilio ſufficienti, prævenitque ipſum velle: ergo auxilium, quo Deus auxiliatur in actu ſecundo, non dicitur adjuvans in actu ſecundo, à conſenſu Creaturæ, ſed realiter diſtinguitur ab auxilio ſufficienti. Id multò manifeſtiùs apparet loquendo de actuali perſeverantia. Et ſanè, ut modò diſcuſſimus, auxilium dans actualem perſeverantiam, eſt donum diſtinctum ab auxilio ſufficiente dante poſſe perſeverare, & præcedit actualem perſeverantiam; ſed hoc auxilium perſeverantiam actualem præcedens; non conſtituitur adjuvans in actu ſecundo per ipſam perſeverantiam actualem: ergo non dicitur adjuvans in actu ſecundo ab actuali perſeverantia. Major certiſſima eſt: quis enim credat, auxilium *ſine quo* eſſe ipſam actualem perſeverantiam? Quod ſi ita eſſe velint, non jam indiget voluntas illô ſpecialiſſimô donô perſeverantiæ: in manu ſua eſt illud acquirere; cùm juxtà Adverſarios poſſibilitatis gratiâ ornatâ voluntates, penes ipſam ſit unicè determinare exiſtentiam conſensûs, & ſimul facere, quòd auxilium ſit efficax, & quòd Deus in actu ſecundo influat in exiſtentiam perſeverantiæ: ergò ſi hoc dono indiget homo, ut firmant SS. Patres, donum Dei eſt realiter diſtinctum ab auxilio ſufficienti; quod non conſtituitur adjuvans in actu ſecundo accedente conſenſu Creaturæ, ſed eſt nova gratia.

13. Tertiò probatur concluſio; quia gratia efficaciter adjuvans eſt no-

novum auxilium, & beneficium Dei diſtinctum à gratia ſufficienti, quod Deus facit in nobis ſine nobis, ut docet *Tridentinum* ſeſs.6. cap.5. & 6. dicens: *Diſponuntur tamen ad ipſam juſtitiam, dum excitati, & adjuti divinâ gratiâ &c.* Et Can.3. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, & ejus adjutorio &c.* Quod etiam exprimit *Auguſtinus* in Enchir.cap.32. dicens: *Totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Et lib. 2. *De peccator. merit.* cap. 18. *Quòd verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, atque adjuvante non poſſumus.* Et ſerm.13. de verbis Apoſtoli cap. 11. *Agis, & ageris, & tunc benè agis, ſi à bono agaris; ſpiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor eſt, ipſum nomen adjutoris præſcribit tibi, quia tu ipſe aliquid agis. Agnoſce quid poſcas, agnoſce quid confiteris, quando dicis, adjutor meus eſto: adjutorem utique invocas Deum, nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur.* En qualiter *Auguſtinus* gratiam adjuvantem diſtinguit ab excitante; & quod ipſa facit, ut operemur; etenim conſtitutâ poteſtate in actu primo viribus gratiæ, adhuc incertus eſt bonus uſus virium, qui, ut ex Deo ſit, novum requiritur auxilium, cùm à poteſtate ad actum non valeat conſequentia, ut conſtat ex *Auguſtino* de grat. & liber. arbitr. cap. 12., & ſuprà diximus.

14. Hoc perſpicuè oſtenditur, argumento ex dogmate *Pelagii*, & ejus loquendi ratione petito. Totum *Pelagii* dogma, his omninò verbis diligenter expreſſum tradit *Auguſtinus* de grat. Chriſti cap. 2., quod tria curavit ille diſtinguere, unum quòd eſt poſſe, alterum quòd eſt velle, tertium quòd eſt eſſe; & quod nec voluntatem noſtram, nec actionem divino adjuvari credidit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis, atque operis. Verba *Pelagii* refert *Auguſtinus*: *Et ut generaliter univerſa complectar, quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat: quod verò benè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt.* Quarè ſi homo de poſſe gloriari non poterat, benè tamen de ipſo velle, & agere gloriari poterat; cùm hoc agere, & velle, ex nobis eſſe apertiſſimè prædicaret, his verbis: *Confeſſione poſſibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc poſſe largitus eſt, nec eſt ibi ulla laudandi hominis occaſio, ubi ſolius Dei cauſa tractatur.* Et ſuprà: *Duo verò reliqua, hoc eſt, velle, & eſſe ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrii fonte deſcendunt.* Ex his arguebat ille, quòd in voluntate, & bono opere laudem ſibi vindicare poterat homo: *Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis eſt: immò & hominis, & Dei; qui ipſius voluntatis, & operis poſſibilitatem dedit, quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ adjuvat ſemper auxilio.*

15. At ſi quis reponat contra ipſum, ità eſſe, hominem, utique ex bono opere, laudandum; attamen in Domino: cùm tàm poteſtas, quàm ipſum bonum opus, ut à poteſtate diſtinctum, ex Deo ſint; quid ad hoc? Obſcuris ſophiſmatibus, efficaciam argumenti imminuere nititur. Nec unum apertè negat, nec alterum poſitivè affirmat: ſed ſe latebris ob-

ſcuritatis involuens, ex Deo, & ex homine eſſe bonum opus reſpondebat ille; quia poſſibilitatem & Deus dedit, & Divino illam adjuvat auxilio: *immo & hominis, & Dei, qui ipſius voluntatis, & operis poſſibilitatem gratiæ ſuæ adjuvat ſemper auxilio*. Fallax, fucata, & captioſa reſponſio. Interrogatio erat, an ultra poſſibilitatem, quam Deus divinô adjuvabat auxiliô, daret Deus bonum opus, ut diſtinctum à poſſibilitate: at ille interrogationem in eas captiones inducit, quas nunquam explicat, inſiſtens ſemper; quòd ex Deo eſt bonum opus, quia miſericorditer à Deo eſt adjuta poteſtas: ergo evidens eſt, quòd apud ipſum ideò bonum opus eſt à Deo, quia à Deo eſt ipſi data poſſibilitas, quam gratiæ ſuæ ſemper adjuvat auxilio.

16. Futiles iſtas argutias oſtendit, & diſſipat *Auguſtinus* ſingulari zelo pro avita doctrina, & defenſione gratiæ efficaciter adjuvantis, ſcribens lib. de grat. Chriſti cap. 16. & 17. oſtendens, eſſe ſpecioſa diverticula, quibus callidâ, ac ſatis apud ipſum frequenti ſimulatione, argumenti vim eludere volebat, his verbis: *Quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat; quòd verò benè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, & noſtrum eſt, & illius? Non hoc dixit: ſed, niſi fallor, videor mihi videre quid timuit. Cùm enim vellet oſtendere quarè noſtrum ſit: quia hæc, inquit, omnia vertere etiam in malum poſſumus. Illud ergo timuit: ut non diceret, & noſtrum eſt, & Dei, ne ſibi reſponderetur, ſi quid benè agimus, loquimur, cogitamus, ideò eſt, & noſtrum, & Dei; quia ille nobis hoc poſſe donavit: ergo & quod mala agimus, loquimur, cogitamus, & noſtrum eſt, & Dei; quia illud poſſe ad utrumque donavit; atque ita, quod abſit, quemadmodum cùm Deo laudamur in operibus bonis; ſic cum illo culpamur in malis. Poſſibilitas quippè illa, quam dedit, tàm nos facit bona poſſe, quàm mala*. Hæc M. P. *Auguſtinus*.

17. Porrò, ſi ſic eſt, ut *Auguſtini* diſcurſus comprobat, ac planè convincit, ab Adverſariis ſcire velim, ſitne ille uſus gratiæ, ut diſtinctus ab ipſa poſſibilitate, donum Dei; & cùm hoc negare minimè poſſint, rogo iterùm: ex quo habet uſus ille gratiæ, ut diſtinctus à gratia poſſibilitatis, quòd ſit donum Dei? Si reponant nobis eſſe ex ipſa gratia poſſibilitatis à Deo data; en redit & reſponſio *Pelagii*, & argumentum *Auguſtini*: nam cùm apud ipſos nulla alia ſit gratia Dei entitativè diſtincta à gratia poſſibilitatis, veriſſimum erit dicere: ergo bonum opus eſt ex Deo, quia Deus dedit poſſibilitatem operis boni: quam conſequentiam ſicut *Auguſtinus* in *Pelagio* reprehenſibilem agnovit, nullus mirari debet, quòd ab ejus Diſcipulis, ut vitioſa, rejiciatur.

18. Reponent ſanè doctiſſimi noſtri Adverſarii, quòd datur duplex poſſibilitas benè operandi; alia fundata in viribus ſolis naturæ, quam *Auguſtinus* conſtanter oppugnabat; alia eſt poſſibilitas, quæ habetur in natura per gratiam adjuta, & hæc concludit gratiam ſufficientem, quâ natura fit potens ſupernaturaliter operari. En quæ *Pelagii* poſſibilitas gratiæ, & quàm diverſa Catholicis placeat, qui verè confitentur poſſibilitatem benè operandi, poſſibilitatem naturæ ſupervenientem

per

per gratiam, naturam vitiatam, vitioque damnationis captivam, ſanantem, ac liberantem. Liquet ergo, quantâ intercapedine diſtet utraque ſententia. Ita P. *Molina* Concord. quæſt. 12. art. 13. diſp. 1. dicens: *Quarè ſolum liberum arbitrium, abſque alio auxilio gratiæ, arbitrabantur eſſe nobis ad ſalutem neceſſarium*. Et diſp. 15. *Deteſtandum Pelagii errorem, ut ex iis, quæ diſp. 1. & 6. dicta ſunt, conſtat fuiſſe, ſolas vires naturales arbitrii noſtri, abſque alio auxilio, aut dono Dei, eſſe ſatis ad ea omnia, quæ ad ſempiternam beatitudinem promerendam, ac comparandam neceſſaria ſunt*. Cui conſentiunt P. *Suarez* de grat. p. 1. in Præfat. num. 2. *Gratia Dei non eſt principium extrinſecum humanorum actuum, ut exiſtimavit Pelagius ponens gratiam in ſola lege, & doctrina*. P. *Rhodes* tom. 1. tract. 5. diſput. 1. quæſt. 1. ſect. 1. §. 2. *Dico ſecundò, totum illum errorem Pelagii circa Dei gratiam triplici potiſſimum capite contineri. Primò, quòd præter liberum arbitrium nullam gratiam admitteret internam voluntati hominis, ſed externam tantùm; quem modum dicendi communiter ſequuntur Scriptores Societatis*. Hæc illi.

19. At nec ita argumentum feliciter eludi poteſt; cùm non ex eo, quòd Deus det veram gratiam poſſibilitatis, ex hoc ipſo donet bonum velle, ut ſuprà diximus. Et fit evidens primò, quia aliud eſt, gratiam in actu ſecundo excitare ad conſenſum, aliud voluntatem in actu ſecundo conſentire: primum dicit ſanctam cogitationem, & ſubitam affectionem, quibus voluntas in actu ſecundo eſt excitata: ſecundum verò nominat liberum conſenſum voluntatis; qui liber conſenſus eſt realiter ſeparabilis ab illa actuali, & exercita in actu ſecundo excitatione gratiæ excitantis. Tum quia homo voluntariè reſiſtens inſpirationi Divinæ percipit, & experitur in actu ſecundo ſe excitari à Deo. Tum quia ſancta cogitatio, & affectio reddunt hominem excitatum à Deo in genere cauſæ formalis; ſed cauſa formalis exercitè, & in actu ſecundo præſtat ſuum effectum ſubjecto capaci: ergo gratia excitans, cui homo reſiſtit, eſt excitans in actu ſecundo: ergo ſi gratia excitans in actu ſecundo eſt realiter ſeparabilis ab efficaciter adjuvante, & debet eſſe realiter ab illa diſtincta; quarè ex gratuita conceſſione unius ad gratuitam conceſſionem alterius non valet argumentum. Robuſtiùs promovetur id ipſum. Deo non ſolùm in actu primo excitanti, ſed exercitè, & in actu ſecundo ad ſalutarem conſenſum, homo reſiſtere poteſt; dum nempè actu tangit cor hominis, dum actu ſuadet, dum actu per piam affectionem ad amorem inclinat, dum actu vocat, dum homo in actu ſecundo percipit, & experitur, ſe ad liberum conſenſum excitari à Deo: clariùs; dum ſancta cogitatio, & affectio reddunt hominem in actu ſecundo excitatum à Deo: ſi ergo huic gratiæ in actu ſecundo ſic excitanti homo reſiſtere poteſt, & de facto reſiſtit, ut eſt fide certum, non ex gratia iſta poſſibilitatis argui poteſt exiſtentia actûs ſalutaris. Et tandem, quia poteſt præparari, & de facto præparatur à Deo voluntas mediâ gratiâ excitante, quin Deus adjuvet præparatam. Non enim ex hoc ipſo, quòd præparatur voluntas mediâ gratiâ excitante, adjuvat hominem,

ut faciat quod jubet, vel ipſi dat quod jubet; cùm multoties conferatur gratia excitans abſque tali operatione, quæ connectitur cum adjuvante, quæ non datur homini niſi ut velit, & operetur: dicente *Auguſtino* de grat.& liber.arbitr.cap.15. *Cùm Deus adjuvat hominem, ut faciat quod jubet, dat quod jubet.* Et tract. 4. in 1. Epiſt. *Joann. Quomodò juvaris, ſi nihil agis?* Idem firmat lib.2. de peccat. merit. cap. 5. *Nec adjuvari poteſt, niſi qui aliquid conatur.* Et ſerm. 3. de verbis Apoſt. *Spiritus Dei, qui te agit, agentibus adjutor eſt. Ipſum nomen adjutorii præſcribit tibi, quia tu ipſe aliquid agis.* Ergo ex gratia excitante, quâ Deus dat homini poſſe agere, non datur homini velle, & operari: ergo ne hoc inevitabili, ac inſuperabili veritatis telo premantur Adverſarii, quòd non eſt conſequens, ut qui habet gratiam poſſibilitatis, habeat etiam gratiam adjuvantem ut agat, gratiam adjuvantem realiter ab excitante diſtinctam agnoſcere debent, quæ mediet inter excitationem, & conſenſum, huncque infallibiliter inferat, & cauſet; quod & nihil amplius contendunt Thomiſtæ, ut detur vera realis præcedentia, & cauſalitas reſpectu conſensûs ſalutaris, ad quem datur; & quem eleganter his verbis deſcribit *S. Fulgentius* lib. de Incarnat. Semipelagianorum doctrinam rejiciens: *Non dicat* (voluntas noſtra) *meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adjuvare: ſed dicat, gratiæ Dei eſt adjuvare, ut ſit meum velle credere; tunc enim, verè, rectèque erit ejus hoc velle, cùm eum gratia præveniens cœperit adjuvare.* En præcedentia, & cauſalitas gratiæ efficaciter adjuvantis: quid enim maximè diverſum eſt, motus indeliberatos excitare voluntatem ad conſenſum, ac trahere voluntatem ad conſenſum; & ad conſenſum non trahitur voluntas per ipſum conſenſum, ſed per aliud auxilium realiter diſtinctum à gratia excitante, in ſancta cogitatione, & affectione conſiſtente, quâ tàm in actu primo, quàm in actu ſecundo excitatur ad conſenſum.

20. Tandem probatur concluſio: quia, ut toto Dubio 1.& 2. vidimus, gratiam excitantem formaliter ut diſtinctam ab adjuvante Adverſarii conſtituunt adæquatè in ſanctis cogitationibus, & ſubitis motibus voluntatis, quibus anima allicitur, movetur, & trahitur ad conſenſum; & de quibus docent, moveri ſolùm voluntatem motione morali, non tamen verè, & propriè effectivâ; ut conſtat ex Dubio 3., cùm tamen gratia adjuvans, ut diſtincta ab excitante, phyſicè influat in conſenſum ſalutarem, ut probatum dedimus Dubio præcedenti: ſed repugnat quòd una, & eadem entitas ſecundùm diverſas ſolùm expreſſiones ſit cauſa moralis, & phyſica efficiens eundem actum: ergo gratia excitans, & efficaciter adjuvans, eâdem reali diſtinctione debent diſtingui, quâ inter ſe diſtinguuntur cauſa phyſica, & cauſa moralis.

§. III.

§. III.

Momentum aliud ab inconvenienti petitum proponitur.

21. AD inconveniens deducimus ſententiam oppoſitam, citra tamen omnem cenſuram, & eodem ſpiritu, quo SS. *Proſper*, & *Hilarius* ad S. *Auguſtinum* retulêre ea, quæ in Maſſilienſibus, doctrinâ, auctoritate, & virtute alioqui florentibus, difficilia adnotarunt, ut illorum mentem penitùs perſpicerent, à S. Doctore docti, & inſtituti. Ejus lumen, & nunc offerimus. Sic ergo pro veritate diligenter perquirenda, & inveſtiganda, argumentor: conſtantiſſimum eſt apud Theologos, *Pelagium* interiorem gratiam agnoviſſe, quæ ſit ſapientiæ revelatio intellectum illuſtrans, & ſuſcitans voluntatem, ut faciat bonum, & declinet à malo, quòd cùm communiori Theologorum ſententia defendit *Illuſtriſſimus Caſtell* de Concord. libert. diſput. 3. p. 4. ſect. 7. n. 1172. Et invictiſſimè convincitur tàm ex ipſis *Pelagii* ſcriptis, quàm ex intelligentia M. P. *Auguſtini*. Et primò *Pelagius* ad cap. 1. Epiſt. ad *Philipp.* num. 11. *Cœpit Deus*, inquit, *in vobis opus bonum, doctrinam, ſive gratiam ſcientiæ largiendo*. Et in cap. 8. ad *Rom.* num. 45.: *Infirma eſt noſtra poſſibilitas, niſi doctrina ſpiritûs adjuvetur*. Et in 1. ad *Timotheum*: *Gratias ago Deo meo, qui nos talem in æternum docuit charitatem*. Quibus & ſimilibus ſententiis docet internam gratiam, dummodò ſit tantùm notio, atque doctrina. Quæ gratia in nullo erat repugnans ipſius ſyſtemati, cùm ipſe ſolùm gratiam negaret, quæ liberum tollere videbatur arbitrium. Et quia, ut acutiſſimè advertit *Auguſtinus*, qui horum hæreticorum verſutias adeò feliciter internovit, ac profligavit, cum hujuſmodi gratia ſtabat, quod intendebat ipſe, homines nimirùm ex viribus liberi arbitrii naturalibus juſtitiam adipiſci, & operari; cùm enim hæc gratia, quæ cognitionem agendorum, & excitationem, ſive, ut ipſe loquitur, *ſtupentis voluntatis ſuſcitationem* importat, voluntatem in eodem ſtatu relinquat, quoad vires reales, & phyſicas, in quo priùs erat, ſequitur planè, nihil ipſi virium ab hac gratia tribui; atque adeò voluntatem viribus naturalibus, quod gratia ipſi demonſtravit, exequi. Aliud namque eſt gratia interior, aliud verò gratia dans voluntati poſſe, & ſuperinduens eam virtute ex alto ad ſalutariter operandum. Hæc eſt gratia illa, quæ propriiſſimè dicitur gratia ſufficiens; nempè quæ dat poſſe completum in ordine ſupernaturali; non tamen quælibet illuminatio, ſed ea, quæ eſt ſubjectivum auxilium virtutis Chriſti, vires voluntati præſtat. Nihil enim certiùs, quàm gratiam ſufficientem non ſiſtere in lege, & doctrina; ſed gratia interior objectiva ſuccendens intellectum, ſuadens bonum, & ſuſcitans voluntatem in affectu deſiderii Dei, coincidebat cum lege, & doctrina: ergo quamvis intrinſeca, non erat gratia verè ſufficiens, ſive auxilium illud ſubjectivum dans poſſe completum in ordine ſupernaturali. Ergo cùm Pelagiani, etiam admiſsâ gratiâ intrinſecâ, quæ tantùm eſſet notio, atque doctrina; do-

doctrinæ ſuæ caput in tuto ponerent, non eſt cur illos adeò obfirmato animo fuiſſe credamus, ut ad hanc conceſſionem gratiæ venire pertinaciter detrectaſſent.

22. Hæc conſtabunt magis legenti D. *Auguſtinum* lib. de Grat. Chriſti cap. 7. ubi explicans *Pelagii* ſententiam, & quam Hæreticus admitteret gratiam, ſic dicit, magnus gratiæ defenſor: *Et tanquam explicaturus, quam dicat gratiam, ſecurus adjunxit, dicens; quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur. Quis non hic deſideret, ut oſtendat, quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maximè de illo expectare debemus, ut dicat hoc, quod dicit, non in lege tantummodo ſe gratiam confiteri. Sed nobis hâc expectatione ſuſpenſis, quid addiderit, intuemini. Adjuvat enim nos, inquit, Deus per doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat. Deinde ſententiam ſuam quadam velut abſolutione concludens, qui hoc dicit, inquit, gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur?* Hæc S. *Auguſtinus*: quibus poſitis: Rogo quid minùs, magiſvè de gratia Dei, ejuſque Divino adjutorio dixit *Pelagius*? Admiſit certè cogitationes ſanctas, quibus alliciamur ad bonum, & retrahamur à malo, in quibus gratiam adjuvantem conſtituit, indiſtinctamque à præveniente, & excitante, quam ſignificavit, dum dixit, *dum cordis noſtri oculos aperit, dum futura demonſtrat*: en illuminatio interna: futurorum namque demonſtratio, non ad ſenſum, ſed intrà intellectum e xercetur, ſicut & multiformis, & ineffabilis gratiæ illuminatio interiùs fit in cordibus hominum; quæ enim fit per verba Concionator is, ineffabilis non eſt, cum fando ab illo conficiatur. Etiam & internam voluntatis affectionem novit *Pelagius*, ut infrà dicemus num. 31.

23. Quin etiam, ubi rem totam penitus obſervemus, gratiam interiorem admiſiſſe *Julianum* planum fiet. Ejus verba reddo ex *Auguſtino* Oper. imperf. lib. 3. cap. 106. *Quod enim ais, ad colendum rectè Deum ſine ipſius adjutorio, dici à nobis, ſufficere unicuique libertatem arbitrii, omninò mentiris; cùm enim cultus Dei multis intelligatur modis, & in cuſtodia mandatorum, & in exſecratione vitiorum, & in ſimplicitate converſationis, & in ordine myſteriorum, & in profunditate dogmatum, quæ vel de Trinitate, vel de Reſurrectione, multiſque aliis ſimilibus fides Chriſtiana conſequitur: quì fieri poteſt, ut nos in confuſo dicamus, ſine adjutorio Dei liberum arbitrium ſufficiens ad ejus eſſe culturam, cùm legamus in Evangelio dicentem Dominum, confiteor tibi Pater Domine Cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis ...... non ergo hoc quod fingis, aut nos, aut quiſquam dicit prudentium: ſed affirmamus à Deo fieri hominem liberi arbitrii, eumque innumeris Divinæ gratiæ ſpeciebus juvari, cui poſſibile ſit, vel ſervare Dei mandata, vel tranſgredi. Et hoc eſt, ubi liberum arbitrium eſſe defendimus, ut cùm Deus tàm multis*

multis modis benignitatem ſuam afferat, id eſt, præcipiendo, benedicendo, ſanctificando, coercendo, provocando, illuminando, unuſquiſque eorum, qui jam ratione utitur, liberum habeat voluntatem Dei vel ſervare, vel ſpernere. En qualiter tria tanquam certiſſima apud ſe ipſum ſtatuit. Primò gratias exteriores agnoſcit his verbis, *præcipiendo, coercendo, benedicendo*. Secundò interiorem gratiam habitualem ſanctificantem confitetur; dum dixit *ſanctificando*. Tertiò gratias actuales, nempè illuſtrationem intellectûs, & motum voluntatis explicat his verbis *provocando, illuminando*. Quarè infrà num. 114. inquit ille, teſte eodem *Auguſtino*. *Verumtamen nec virtutum eſt ærumnoſa poſſeſſio, quæ extra rem quoddam bonæ conſcientiæ promiſſa æternæ beatitudinis ſublimitate fruitur. Adſunt tamen adjutoria gratiæ Dei, quæ in parte virtutis nunquam deſtituunt voluntatem: cujus licèt innumeræ ſpecies, tali ſemper moderatione adhibentur, ut nunquam liberum arbitrium loco pellant, ſed præbeant adminicula, quandiù eis voluerit inniti; cùm tamen non opprimant reluctantem animum*.

24. In eundem planè ſenſum locutus eſt *Julianus* Oper. imperf. lib. 3. cap. 114. Verba illius ſunt: *Nos porrò quid dicimus? Sine dubio quod utrique veſtrum repugnet, id eſt, nec à bono Deo malam, nec à Principe tenebrarum aliam vel factam, vel commixtam eſſe naturam; ſed unum Deum auctorem rerum omnium, bonam hominum non ſolùm feciſſe primum, ſed etiam facere in unoquoque naſcente naturam: cui tamen Creatoris ſui opitulationem, ut multis modis utilem, ita etiam neceſſariam profitemur*. Quam Dei opitulationem infrà cap. 163. explicat, dicens: *Probabilitate itaque, & ea mediocritate laudum, quæ naturis debetur, etiam in naſcentibus quibuſque ſervata augmenta beneficiorum Divinorum utilia eſſe, & neceſſaria omnibus in commune ætatibus dicimus: ita tamen ut nec virtus, nec peccatum, ſine propria cuique voluntate tribuatur*. Quod tandem apertiſſimè confitetur in libello Fidei ab ipſo ſcripto, & ad Apoſtolicam Sedem miſſo nomine Epiſcoporum, qui Pelagii, ac Cæleſtii damnationi ſubſcribere detrectantes, provocarunt ad plenariam Synodum. Aſſerit ergo: *Divinæ legis mandata, ob Dei juſtitiam, poſſibilia dicimus; & fatemur univerſa poſſe compleri per gratiam Chriſti, quæ omnibus bonis actibus* ADJUTRIX *ſemper, &* COMES *eſt, & per liberum arbitrium hominis, quod & ipſum donum Dei eſt*. Et infrà: *Sed etſi quis dicit homines ſine Dei gratia, vel adjutorio poſſe peccare, graviter deteſtamur*. En doctrina *Juliani* ab ipſo explicata, & defenſa, quâ nempè gratiam interiorem apertiſſimè confitetur, quæ nec minimum præcipuum ſuæ doctrinæ caput evertit, cùm determinationem ſuam accipiat à libero arbitrio, nec magis eâ Deo ſubditum hominem reddat. Et ex hoc inſurgit argumentum. Si juxtà Adverſarios ſufficit gratia moraliter dumtaxat præveniens, hoc eſt illuſtrans intellectum, illuminans, docens, dans cognitionem, & excitans affectum voluntatis; cùm ex cognitione, ut fatetur *P. Molina*, ſequatur in voluntate naturaliter, ac neceſſariò excitatio, motuſque indeliberatus, quem Pelagius, *ſtupentis voluntatis ſuſcitationem*, apud

Auguſtinum nuncupat; ſanè hæc gratia, moraliter tantùm præveniens, ſufficiens erit apud ipſos adjutorium, poſſe ad bonum exhibens, & non ſolùm adjutorium *ſine quo* perſeverantes eſſe non poſſumus, verùm etiam *quo*, ſeu per quod perſeverantes ſimus: ergo non alia propugnari ab ipſis videtur gratia, dum tale Auctores iſti gratiæ adjuvantis conſtitutivum aſſignant, niſi gratia interna, revelatio ſapientiæ, & ſtupentis voluntatis ſuſcitatio: quid enim ampliùs ipſorum doctrina, vel gratia continet? Vel ſi continet, quarè non explicant? Utinam explicaſſent, abſit enim, ut occaſionem quæramus injuriæ, qui charitate Chriſtianâ ſuffragium ab omnibus præſtolamur veritati. Gratiam autem illam, ſivè eo modo explicatam rejicit Auguſtinus, ſtatim verbis citatis adjungens: *In his omnibus non receſſit à commendatione legis, atque doctrinæ, hanc eſſe adjuvantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exequens, quod propoſuerat, cùm diceret, ſed in Dei eſſe adjutorio confitemur. Denique Dei adjutorium multipliciter inſinuandum putavit commemorando doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis apertionem, & demonſtrationem futurorum, & apertionem diabolicarum inſidiarum, & multiformem, & ineffabilem dono gratiæ cœleſtis illuminationem, ad hoc utique, ut divina præcepta, & promiſſa diſcamus. Hoc eſt ergo gratiam Dei ponere in lege, atque doctrina.* Si ergo *Auguſtinus* objicit Pèlagio, quòd eſt Dei gratiam ponere in lege, atque doctrina, ne Adverſariis idem objiciatur argumentum, clarè, & diſtinctè reſpondeant, in quo ſtat utriuſque opinionis diſcrimen: cùm P. *Molina* expreſsè conſtituat gratiam prævenientem, in illuſtratione intellectûs, & affectione voluntatis, dicens in Conc. quæſt. 14. art. 13. diſp. 8. *Gratia præveniens non eſt donum habituale, ſed illuſtratio intellectûs, & motio, atque affectio voluntatis.* Neque enim præſumimus nos aſſerere, nec ſuſpicari audemus, diſcrimen non eſſe, ſed petimus de ejus ratione, & veritate edoceri.

25. Dices forſan, jure, meritoque reprehendere *Auguſtinum Pelagium*; primò, quia illam cognitionem, in qua gratiam adjuvantem conſtituit, ſpeculativam purè videtur ponere, cùm debeat eſſe practica, & talis, quæ voluntatem alliciat, ſollicitetque conſenſum. Secundò, quia omiſit pium, ſubitumque voluntatis motum ex illa cogitatione exortum, in quo gratia iſta completur ita, ut non expectet aliud, quàm determinationem voluntatis. Tertiò, quia non meminit concurſus Dei ſimultanei, ſine quo non exiſtit conſenſus, qui eſt id, quod addit gratia adjuvans in actu ſecundo ſupra gratiam excitantem. Neſcio, an hæc ab aliquibus reſpondenda ſint; ſed mihi non aliud occurrit: unde oportet ſpeciem reſponſionis, quam præſeferunt, refellere.

26. Et quidem hæc reſponſio ex omni capite falſa deprehenditur. Ex primò quidem; nam omnia Pelagii verba, quæ ex S. *Auguſtino* audivimus, ſine dubio præſeferunt cognitionem non ſpeculativam, ſed practicam. Enimverò cordis noſtri oculos aperire, futura nobis demonſtrare, ne præſentibus occupemur, Diaboli pandere inſidias, minimè referunt cogitationes purè ſpeculativas, ſed practicas, quæ alliciant ad

bonum,

bonum, & invitent, atque à malo retrahant, & deterreant. Nec aliter ipſi vim ſanctæ cogitationis explicant, ut conſtat ex P. *Molina* loco citato dicente; *Ex cognitione verò, & penetratione earum rerum, quæ ad fidem ſpectant, nempè cùm expenditur, quàm dignæ ſint, quibus aſſenſus adhibeatur, quantùm id expediat, oritur naturaliter in voluntate motus affectionis ad res ita cognitas, quo allicitur, & quaſi invitatur ad imperandum intellectui aſſenſum, quo eis aſſentiatur.* Cui conſonat P. *Suarez* loco citato dicens: *Denique tota hæc cauſalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica eſt; nam per hanc gratiam excitantem fit ut objectum, quod amandum proponitur, boneſtiùs, & amore digniùs appareat, & quod timendum, horribilius, quod odio habendum, turpius.* Et prætereà: nam cognitio practica idem valet, quòd cognitio aliquo modo efficax ad inferendum conſenſum: vel ergo aſſerunt, cognitionem illam, quam requirunt practicam ex ſe inferre ſuâ efficaciâ conſenſum, & ſic tollet libertatem; vel illam ex ſe non infert, & cognitionem hoc modo practicam, non eſt, cur exiſtimemus fuiſſe à *Pelagio* negatam, qui ſolùm negavit auxilia, cum quibus exiſtimavit libertatem non poſſe componi. Immo *Pelagium* poſitivè ejuſmodi cognitionem practicam admiſiſſe, evidentiùs eſt, quàm quod probari indigeat; ſi enim ex cognitione, & illuminatione, quam ponebat, exiſtimabat procedere Sanctorum opera, quomodò hæc procederent, niſi illa practica eſſet?

27. Secundò, quòd *Pelagius* non omiſerit pium illum motum voluntatis, & quòd S. *Auguſtinus* in illius verbis motum iſtum à *Pelagio* agnitum, & conceſſum viderit, conſtat, quia illum motum ſubitum diſertis verbis lib. de Grat. Chriſti cap. 11. *Pelagius* apud S. *Auguſtinum* fatetur. Ibi enim S. Doctor referens ſententiam Pelagii, ita dicit: *Et alio quippè loco cum diù aſſeruiſſet, non adjutorio Dei, ſed ex nobis ipſis in nobis effici voluntatem bonam, oppoſuit ſibi ex Apoſtoli Epiſtola quæſtionem, atque ait,* ET QUOMODO, *inquit,* STABIT ILLUD APOSTOLI, DEUS EST ENIM, QUI OPERATUR IN NOBIS, ET VELLE, ET PERFICERE? Deindè, ut hanc oppoſitionem veluti ſolveret, quam videbat dogmati ſuo vehementer eſſe contrariam, adjunxit: *Operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos mutorum more animalium tantummodò præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne quod bonum eſt.* Ita *Pelagius*, *Auguſtino* referente, ubi manifeſtiſſimè confitetur, non ſolùm ſanctas cogitationes, verùm & motus ſubitos voluntatis; Deumque per illam ſanctam cogitationem, & pium affectum operari in nobis velle, & perficere opinabatur.

28. Sed num, quæſo, receſſit per confeſſionem iſtam *Pelagius* à ſuo dogmate? Minimè, reſpondet S. *Auguſtinus* nullo interjecto verbo ſubjiciens: *Quid manifeſtiùs, nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle, quod bonum eſt, quam legem, atque doctrinam?*

In lege namque, & doctrina Sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod ſapientia revelatur, ad doctrinam pertinet, cùm ſuadetur omne, quod bonum eſt. Et ſi inter docere, & ſuadere, vel potiùs exhortari diſtàre aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuſcumque ſermonibus, vel litteris continetur. Nam & Sanctæ Scripturæ & docent, & exhortantur; & poteſt eſſe in docendo, & exhortando etiam hominis operatio. Hæc ibi; quæ ſi attentè inſpiciantur, evidenter concludunt, gratiam conſiſtentem in ſanctis cogitationibus, & illis ſubitis voluntatis motibus concludi ſub gratia legis, atque doctrinæ, pro eo ſcilicèt, quòd motus ille voluntatis, ut dixit Molina, conſequitur naturaliter ex cogitationibus indeliberatis, ac proindè cum illis, ut quid diſtinctum, non connumeratur. Et ſecundò, quia ſanctis cogitationibus indeliberatis, & ſubitis voluntatis motibus, nec intellectus, nec voluntas conſtituuntur intrinſecè potentes in ordine ſupernaturali: nec ex ipſis exiſtit bonum velle & operari; ergo meritò comprehenduntur ſub generali idea doctrinæ. Sed notanda eſt valdè, atque præ omnium oculis habenda ſententia *Auguſtini*, qui poſtquàm Pelagii gratiam & retulit, & explicuit per verba relata, ſubdit ipſe gratiam iſtam rejiciens: *Sed nos eam gratiam volumus iſte aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm & amatur; nec ſolùm ſuadetur omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur..... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus:* ergo per gratiam iſtam fidei non ſatisfit, juxtà S. *Auguſtinum*.

29. Nec ex tertio capite magis fulcitur ſolutio, etſi ex negatione hujus concurſûs ſimultanei voluêre aliquando Auctores Societatis in Congregatione de auxiliis *Pelagium* fuiſſe damnatum, ut videre eſt apud M. *Serry* Hiſtor. de auxil. lib. 2. cap. 13. *Cùmque ad S. Hieronymi locum in cenſura laudatum ventum eſſet, quo Pelagium divinum auxilium ad ſingula opera negantem erroris accuſaverat ſanctiſſimus Doctor, reſponderunt PP. Societatis, Pelagium erroris inſimulatum ab Hieronymo juſtà de cauſa, quòd nempè concurſum etiam concomitantem pernegaſſet, quem è contra Molina libenter admiſerat:* quibus conſentit & P. *Daniel* Epiſt. 9. ad M. *Alexandrum Natalem*. Sed concurſum ſimultaneum nullatenus *Pelagium* negaſſe, ſed ipſum conceſſiſſe apertiſſimè demonſtrant D. *Auguſtinus*, & D. *Hieronymus*: nam quid aliud ſignificavit *Auguſtinus* in Enchir. cap. 32. illis verbis? *Si proptereà dictum eſt, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia voluntas hominis ſola non implet, cur non è contrario rectè dicitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis?* Quippè eodem modo aſſerebat *Pelagius*, ſibi mutuò Deum, & hominem cooperari, & utrumque ſimul ad bonum opus concurrere, alioquin S. *Auguſtini* ratio, ad inconveniens *Pelagium* trahens, nihil evinceret, ut tantiſper meditanti erit perſpicuum; nam ex eo, quòd Deus, & homo modo concurrerent

eo-

eodem, infert, modo eodem, eodemque jure poſſe opus bonum tribui homini, quo *Paulus* illud tribuit Deo. Idipſum monſtrant verba Sancti *Hieronymi* lib. contra *Pelagium* in princ. ubi refert, dixiſſe *Pelagium*: *Quidquid in me boni habeo, illo ſuggerente, & adjuvante completur.* Et interroganti *Hieronymo*: *Quod agis bonum, tuum eſt, an Dei?* Reſpondebat ille: *Meum eſt, & Dei; ut ego operer, ille adjuvat. Auguſtinus* de Nuptiis, & concupiſcentia lib. 2. cap. 2. hoc planè convincit, dum ipſum loquentem inducit: *Deus igitur maris Creator, & fœminæ convenientia generationibus membra formavit, & gigni corpora de corporibus ordinavit; quorum tamen efficientiæ potentiâ operationis intervenit.* En concurſus immediatus Dei in actum liberum, cujus diſertiſſimam rationem ex operatione Dei, quâ omnia conſervat, & gubernat, accipit *Julianus*, dum dixit: *omne quod eſt, eâ adminiſtrans virtute quâ condidit.* Quid ad hæc reſpondet *Auguſtinus*? Rejicitne hanc *Juliani* doctrinam? Minimè; ſed potiùs illam approbat, dicens: *Etiam hoc eſſe Catholicum confitemur.* Ex quibus, ni fallor, manifeſtè convincitur, admiſiſſe Pelagium concurſum ſimultaneum. Quòd ſi id expreſſioribus verbis in aliis locis non conſtat, cauſa eſt, quia de concurſu ſimultaneo non erat diſputatio, ſed de præveniente dumtaxat: & quia gratia, ſi quæ eſt, conſiſtens in hoc ſimultaneo concurſu, nec apparenter pugnat cum libertate; cùm non pugnet cum dominio voluntatis in actum. Quomodò namque poteſt, vel apparenter pugnare cum hoc dominio, quod ex ipſis terminis ſubjectum conſtat eſſe dominio? Ergo cùm *Pelagius* in, & ex læſione libertatis ſua dogmata fundaret, non eſt credibile, illam negaſſe gratiam, quæ nec apparenter pugnat cum libertate. Quod evidentius apparet, quia nuſquam *Auguſtinus* hunc à *Pelagio* efflagitavit concurſum: undè in lib. illo adversùs *Pelagium* c. 11. ſolùm intendit adversùs ipſum, quòd Deus non adjuvet tantummodò, ut velle, & agere valeamus, ſed etiam, quòd adjuvet, ut velimus, & agamus. *Quâ gratia agit, non ſolùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; non ſolùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus.* Quod probat ibi, quia *Deus operatur in nobis non ſolùm poſſe, ſed etiam velle, & perficere, ſeu operari; operatur enim omnia in omnibus.* Hincque increpat ibi cap. 16. *Pelagium* aſſerentem, *quòd loqui poſſumus Dei eſt, quòd benè loquimur noſtrum eſt*; ex eo, *quòd hoc non docet, qui loquitur benè, ſed potiùs inquit: non vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*: quæ omnia intelligi non poſſunt de concurſu ſimultaneo, cùm talis concurſus non adjuvet, ut velimus, & agamus; ſed ſit quo, cùm volumus, quòd volumus, agimus; nec ipſo agitur homo, ut cognita faciat, & ut credita diligat; cùm ſimul ſit, & non præveniat velle, facere, & diligere; nec per id Deus operatur in nobis velle, ſed nobiſcum; nec in nobis loquitur, ſed nobiſcum; immo potiùs dicendum, nos facere, ſecundùm iſtum concurſum, in Adverſariorum ſenſu, ut Deus nobiſcum operetur, & nobiſcum loquatur. Et ratio omnium eſt, quia concurſus ſimultaneus Dei in actu ſecundo, non eſt influxus in cauſam creatam, ſed in effectum;

ctum; nec eſt ratio ut producat ſuam operationem, ſed quia producit: ergo D. *Auguſtinus* ſolùm veram gratiam voluntatem ad liberè conſentiendum adjuvantem, verèque influentem in conſenſum ſalutarem, quæ ſit vera ratio, ut voluntas activè conſenſum producat, exigebat à *Pelagio*, minimè tamen concurſum ſimultaneum, quem nuſquàm negavit ipſe, & qui ſolùm impropriè vocari poteſt gratia auxilians.

30. Et ſanè mirum, quod addit ſolutio, & docet *P. Suarez* lib. 3. de auxiliis cap. 16. quòd id, quod gratia adjuvans ſuperaddit ſupra excitantem, eſt aliquid realiter diſtinctum ab illa, nempe influxus in conſenſum deliberatum voluntatis: ac ſi actualis influxus in conſenſum liberum, prout à Deo, poſſet eſſe gratia verè auxilians liberum arbitrium ad ſalutariter operandum, vel illud magnum donum Dei, & ſpeciale adjutorium, ut illud vocat *Auguſtinus* lib. de Don. perſever. cap. 21. præſtans vires applicativas voluntati, & efficientiam exercens reſpectu illius, ad quod auxiliatur. Quomodò namque talis influxus in conſenſum liberum, prout à Deo, præcedere valet ipſum conſenſum, cùm in principiis Adverſariorum influxus ille actualis Dei identificetur cum ipſo conſenſu indiviſibiliter procedente à Deo, & voluntate creata? Si ergo non poteſt ſe ipſum præcedere, à fortiori nec ſe ipſum realiter efficiet; & multò minus præſtabit ſibi vires ad ſui primam exiſtentiam. Secundò, quid magis repugnans, quàm hoc objectum, *auxilium per modum actualis concurſus ad conſenſum, cum quo realiter identificatur*? Quod ſub aliis terminis exprimit motionem moventis, non præcedentem prioritate naturæ, & cauſalitatis motum mobilis. Niſi ergo per gratiam adjuvantem ita adjuvatur voluntas, ut illam moveat & faciat, quòd voluntas operetur ſalutarem conſenſum, quomodò ipſe actus poteſt eſſe vera motio, aut applicatio ad ſui productionem? Ita ſanè eſt, quòd ſicut nemo adjuvatur, niſi aliquid agat, ita homo non adjuvatur à Deo, niſi aliquid operetur; ſed hoc ſolùm provenit ex infallibili connexione adjutorii Dei cum operatione, non tamen ex identitate adjutorii Dei cum iſta. Sicut nullus intendit efficaciter finem, niſi efficaciter eligat media, quin ex hoc deduci poſſit, quòd intentio finis eſt ipſa mediorum electio. Nullus coronabitur, quin legitimè certaverit, ex quo nequit argui identitas coronæ, & certaminis. Intellectus non aſſentitur concluſioni, ut deductæ ex præmiſſis, niſi aſſentiendo præmiſſis, quin aſſenſus præmiſſarum ſit ipſe aſſenſus concluſionis. Ergo etſi homo non adjuvetur à Deo, niſi operetur, minimè infertur, operationem identificari cum actuali influxu Dei, quæ ſi identificatur cum ipſo, verificaretur, quòd adjuvatur, dum agit, non tamen ideo agit, quia adjuvatur. Cùm ergo *M. P. Auguſtinus* urgeret *Pelagium*, ut confiteretur gratiam Dei facientem nos facere, & gratiam adjuvantem, non ſolùm cùm voluntas vult, ſed ut velit; adſtruere debent Adverſarii aliquid diſtinctum ab actu pro conſtitutivo hujus gratiæ auxiliantis; quod ſi concedere nolint, argumenti facti magna vis erit, quòd, quantùm capere poſſumus, pro conſtitutivo gratiæ adjuvantis, nihil nobis aſſignent, quod non aſſignaverit, & confeſſus fuerit ipſe *Pelagius*.

31. Si

31. Si iterùm reponant, quòd, quàm maxima poteſt eſſe, eſt utriuſque modi dicendi diſtantia, cùm *Pelagius* nunquam admiſerit gratiam intrinſecam entitativè ſupernaturalem: certè hæc reſponſio falſo nititur principio. Etenim gratia, quam admiſit *Pelagius*, erat intrinſeca, moraliter excitans voluntatem ad conſenſum ſalutarem, & inſuper entitativè ſupernaturalis: erat intrinſeca, & moraliter movens, ut diximus ex *S. Auguſtino* cap. 7. *Deus*, inquit, *adjuvat nos per doctrinam, & revelationem ſuam, cùm cordis noſtri oculos aperit; dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ* COELESTIS *illuminat*. Undè cùm gratiam iſtam internæ cogitationis moventis moraliter voluntatem Deus cauſet intra intellectum illius, eique inhæreat, ut actio vitalis ab intellectu elicita, gratia, quæ ſic eſt intrinſeca intellectui, reſpectu voluntatis externa eſt; cùm ratione illius voluntas non immutetur, nec veram effectricem vim agendi reponat in voluntate, nec faciat, ut ipſa faciat. Quâ ratione vocat ipſam *D. Auguſtinus*, *doctrinam inſonantem forinſecùs*, ut dicit cap. 24. contra *Pelagium*, atque *Cæleſtium*: *Legant ergo, & intelligant, intueantur, & fateantur, non lege, atque doctrina inſonante forinſecùs*: quia nimirùm eſtò ſit intra intellectum, remanet foris reſpectu voluntatis: ultra enim motionem moralem, per quam Deus mediâ propoſitione movet voluntatem creatam, datur & alia motio phyſica, ut ſuperiùs oſtendimus, quâ voluntas quoad exercitium movetur, & phyſicè immutatur.

32. Eſt etiam gratia illa internæ cogitationis movens moraliter voluntatem à *Pelagio* admiſſa intrinſecè ſupernaturalis, ut cum *M. Lemos* tom. 1. tract. 1. cap. 17. docent eruditiſſimi Theologi, innixi auctoritati *S. Auguſtini* de grat. Chriſti lib. 1. cap. 3. *Nam cum tria conſtituat, atque diſtinguat, quibus Divina mandata dicit impleri, poſſibilitatem, voluntatem, & actionem: poſſibilitatem ſcilicet, quâ poteſt homo eſſe juſtus: voluntatem, quâ vult eſſe juſtus: actionem, quâ juſtus eſt; horum trium primum, ideſt poſſibilitatem datam confitetur à Creatore naturæ, nec eſſe in noſtra poteſtate, ſed eam nos habere, etiamſi nolimus; duo verò reliqua, ideſt voluntatem, & actionem, noſtra eſſe aſſerit, atque ita nobis tribuit, ut, non niſi à nobis eſſe, contendat. Denique gratia Dei non iſta duo, quæ noſtra omninò vult eſſe, id eſt, voluntatem, & actionem, ſed illam, quæ in poteſtate noſtra non eſt, & nobis ex Deo eſt, id eſt, poſſibilitatem, perhibet adjuvari: tamquam illa, quæ noſtra ſunt, hoc eſt, voluntas, & actio, tàm ſint valentia ad declinandum à malo, & faciendum bonum, ut Divino adjutorio non indigeant; illud verò, quod nobis ex Deo eſt, hoc eſt poſſibilitas, tàm ſit invalidum, ut ſemper gratiæ adjuvetur auxilio*. Quæ verba apertiſſimè includunt gratiam entitativè ſupernaturalem conſtitutivam poteſtatis ad actus ſalutares.

33. Hoc robur ſatis firmum accipit ex eodem *Auguſtino* cap. 5. ſequenti, ubi referens errorem *Pelagii*, ait: *Ecce eſt totum dogma Pelagii in libro ejus 3. pro libero arbitrio, his omninò verbis diligenter ex-*

expreſſum, quo tria iſta, unum, quod eſt poſſe, alterum, quod eſt velle, tertium, quod eſt eſſe, id eſt poſſibilitatem, voluntatem, actionem tantà ſubtilitate curavit diſtinguere, ut quandocumque legimus, vel audimus Divinæ gratiæ adjutorium confiteri, ut à malo declinemus, bonumque faciamus, ſivè in lege, atque doctrina, ſivè ubilibet conſtituat, ſciamus, quod loquitur, nec erremus, alitèr eum intelligendo, quàm ſentit. Scire quippe debemus, quòd nec voluntatem noſtram, nec actionem Divino adjuvari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis, atque operis, quam ſolam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquam hoc ſit infirmum, quod ipſe Deus poſuit in natura, cætera verò duo, quæ noſtra eſſe voluit, ita ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio: & ideò non adjuvet, ut velimus; non adjuvet, ut agamus; ſed tantummodò adjuvet, ut velle, & agere valeamus. Contra quod ſic arguit *Auguſtinus* cap. 14. ſeq. *Si tantùm poſſe noſtrum hâc gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus: omnis, qui audivit à Patre, & didicit, poteſt venire ad me: non autem ſic dixit, ſed: omnis, qui audivit, & didicit, venit ad me. Venire poſſe in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modò dicere cœpit, in gratiâ, qualemlibet eam ſentiat, quâ ipſa, ut dicit, poſſibilitas adjuvatur: venire autem jam in voluntate, & opere eſt; non eſt autem conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit, atque fecerit. Sed omnis, qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed venit: ubi tam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.* Sentit ergo *Auguſtinus* contra *Pelagium*, ultra poſſe, Deum adjuvare, ut velimus, noſque indigere ulteriori auxilio, & gratia ad volendum, & agendum; & hoc colligit ex Scriptura; nam ex gratia, quæ eſt audire, & diſcere à Patre, intulit Chriſtus Dominus de facto venire ad ipſum: ex gratia autem dante poſſe non infertur venire, ſed ſolùm poſſe venire, ut argumentatur *Auguſtinus*: ergo ultra gratiam dantem poſſe, alia concedenda eſt, ex qua infertur actus. Quod magis fulciri poteſt ex cap. 27. ſequenti, in quo ſupponit *Auguſtinus*, *Pelagium* tandem admiſiſſe gratiam dantem poſſe ad actus ſupernaturales, ſolùmque reſtare, ut concedat ulteriorem gratiam neceſſariam ad velle. Verba autem *Auguſtini* hæc ſunt: *Si conſenſerit nobis, non ſolùm poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem, & actionem divinitùs adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus, vel agamus, & nihil de adjutorio, quantùm arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur*: ſentit ergo *Auguſtinus*, *Pelagium* illis temporibus jam ſolùm deficere in eo, quòd ultra poſſe, ulterius auxilium, seù adjutorium negaret ad operationem ſalutarem: adjutorium cum effectu connexum, à quo ſit, ut voluntatis affectus, & actionis effectus.

34. Inſuper probari poteſt eadem aſſertio, quia licèt *Pelagius* conceſſerit gratiam cogitationis ortam ex viribus naturæ, non tamen in tertio ſtatu ſuæ hæreſis id de omni cogitatione affirmavit. Hanc enim, referente *Divo Auguſtino*, eſſe donum ex revelatione Divina, fatetur, dum

dum de grat. Chriſti cap. 7. aſſerit, *quòd nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat*. Et cap. 10. *quòd revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis, quod alibi negare non metuit, ſuadet omne, quod bonum eſt*. Et dicto cap. 24. *quòd Deus internâ, atque occultâ, mirabili, atque ineffabili poteſtate operatur in cordibus hominum veras revelationes*. Et cap. 26. hanc bonam cogitationem, & ſcientiam ex Deo eſſe, ſequentibus verbis: *Cogitationem, & electionem, ſicut ſunt diſcernenda, diſcernat, quia ſcientia inflat, charitas ædificat. Et cùm ſit utrumque donum Dei, ſed unum minus, alterum majus; non hìc juſtitiam noſtram ſuper laudem juſtificatoris noſtri extollat, ut horum duorum, quod minus eſt, Divino tribuat adjutorio, quod autem majus eſt, humano uſurpet arbitrio*. Et tandem cap. 41. affirmat, *Orationes ad nihil aliud adhibendas, niſi ut nobis doctrina, etiam Divina revelatione aperiatur*. Quæ apertiſſimè oſtendunt, *Pelagium* internam iſtam revelationem, veluti donum procedens ex revelatione Spiritûs Sancti, & ut donum gratiæ cœleſtis agnoviſſe, ac per conſequens ipſam eſſe ſupernaturalem; cùm cogitatio, quæ eſt donum gratiæ cœleſtis, & quæ procedit ex revelatione Spiritûs Sancti, ſupernaturalis ſit.

35. Sed apertiùs D. *Auguſtinus* ipſum admiſiſſe veram tandem gratiam in Synodo Epiſcopali expreſsè docet, lib. de geſtis *Pelagii* cap. 13. num. 31. his verbis: *Dicam etiam aliquid lætius. Superiùs metuebam, cùm diceret Pelagius, adjuvante gratiâ Dei poſſe eſſe hominem ſine peccato, ne fortè eamdem gratiam poſſibilitatem diceret eſſe naturæ à Deo conditæ cum libero arbitrio, ſicut in libro illo eſt, quem tamquam ejus accepi, cui reſpondi, & eo modo neſcientes judices falleret: nunc verò cùm anathematizat eos, qui gratiam Dei, & adjutorium non ad ſingulos actus dicunt dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrina; ſatis evidentèr apparet eam illum dicere gratiam, quæ in Chriſti Eccleſia prædicatur, quæ ſubminiſtratione Sancti Spiritûs datur, ut ad noſtros actus ſingulos adjuvemur: unde & oramus ſemper adjutorium opportunum, ne inferamur in tentationem. Nec illud jam metuo, ne fortè ubi dixit, non poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui ſcientiam legis habuerit; atque id ita expoſuit, ut ad non peccandum in legis ſcientia poneret adjutorium, eamdem legis ſcientiam Dei gratiam velit intelligi. Ecce anathematizat qui hoc ſentiunt: ecce nec naturam liberi arbitrii, nec legem, atque doctrinam vult intelligi gratiam, quâ per actus ſingulos adjuvamur. Quid ergo reſtat, niſi ut eam intelligat, quam dicit Apoſtolus, ſubminiſtratione Spiritûs Sancti dari? De qua dicit Dominus, nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Quod iterum dicit *Auguſtinus* lib. 2. contra duas Epiſtolas *Pelagii* num. 18. ubi mentem *Pelagii* his verbis expreſſit: *Et Spiritum Sanctum fatendum eſt, inquit, etiam antiquis temporibus non ſolùm mentes adjuviſſe, quod & iſti volunt; verùm etiam bonas feciſſe, quod nolunt*. Non vo-

luntate redditur bona voluntas, ſed Dei gratiâ: ergo dum agnoſcit *Pelagius* Spiritum Sanctum adjuvantem bonam voluntatem, & gratiam Spiritûs Sancti confeſſus eſt; licèt non illam, quam deſiderabat *Auguſtinus*, nempe efficacem, quæ voluntates faceret bonas, *verùm etiam bonas eas feciſſe, quod nolunt*.

36. Hoc efficaciter confirmari poteſt ex *Concilio Milevitano* contra *Pelagium*. In 4. namque can. ſic dicitur: *Item Quiſquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit*. Ubi de gratia interiori revelante, quid facere debeamus, non autem præſtante, ut faciamus, ſermo fit, & illa ſententia, quâ adſtruitur interior illa gratia tantùm revelans, ut ſciamus, non autem tribuens, ut faciamus, damnatur: ergo poſuit *Pelagius*, contra quem celebratur Concilium, illam interiorem tantùm revelationem, aperientem intelligentiam mandatorum, quæ tamen ſupernaturalis erat; primò, quia per ipſam gratiam Dei nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut expreſsè affirmat Concilium. Et ſecundò, quia gratiam illam moraliter excitantem, admiſſam à *Pelagio* non impugnat Concilium titulo naturalitatis; nempè quia gratia, quæ eſt ex viribus naturæ nequit eſſe id, vi cujus Deus propriè operatur in nobis, & adjuvat voluntatem ad actus ſupernaturales; ſed quia per ipſam Deus nequit operari in nobis velle, & facere, ut diligamus, quod faciendum cognoverimus, quomodò certè rejiceretur à Concilio, ſi ipſam crediſſet entitativè naturalem: ſicut & *M. P. Auguſtinus*, qui non arguit *Pelagium* ex eo, quòd gratia illa illuminationis eſſet ex naturalibus, ſed ex eo, quòd *operari* non efficeret in nobis.

37. Sed ut efficaciùs argumentum concludatur, obſervandum maximè, admiſiſſe *Pelagium* gratiam illam ſub illa media præſcientia, per quam congrua fieret, quæ nunc inſtanter defenditur. Teſtis hujus veritatis ſit *P. Suarez* lib. 2. de cauſa prædeſt. cap. 16. num. 10. §. 1. dicens: *Quòd ſi quis dicat, illam cogitationem non habere rationem gratiæ, niſi quatenus congrua eſt, certè Pelagius non negaret, quin ſimilis congruitas poſſit inveniri in propoſitione legis, vel prædicatione fidei: quia Pelagius non ignoravit, Deum præſcire, ſi hìc prædicetur Evangelium, cum his ſignis &c. qui ſunt credituri, necne*. Et poſt pauca: *Fatebatur ergo Pelagius*, inquit, *quibus ſit, vel non ſit futura prædicatio congrua*.

38. Hoc teſtimonium P. *Suarez* rectè perpenſum ſuadet, *Pelagium* gratiam illam agnoviſſe regulatam per ſcientiam mediam, quâ Deus cognoſceret effectum, quem ſortitura eſſet ex determinatione, & libera voluntatis cooperatione. Non enim negavit illam *Pelagius*; cùm nec *Pelagius*, teſtimonio *Auguſtini*, acutiſſimi ingeniii, nec ſtultiſſimus aliquis neget Deo præſcientiam futurorum eventuum, quorum ipſe

con-

conditiones purificare decrevit: ergo negare non potuit *Pelagius*, Deum conferentem illam cogitationem ſanctam præſcire, qualem ipſa ſortitura eſſet effectum, ſive ex determinatione Dei, ſive ex determinatione voluntatis. Maximè, cùm hæc ſententia, prout volunt Adverſarii, ſubjecta ſit dominio voluntatis, quæ in ſtatu abſoluto operans, illam pro ſuo libito acquirit, vel impedit; nec apparenter pugnat cum libertate, ac ſubindè nec apparenter eſt incompoſſibilis cum poſitione *Pelagii*. Hoc ſanè prolixiorem, & accurationem diſſertationem exigebat: unum, vel alterum tantùm teſtimonium ſubjungam, ut videatur, quòd tàm à *Pelagio*, quàm à Semipelagianis uſurpata fuerit, cùm tàm exſertè loquantur de ſcientia conditionata, ut vix de alia intelligi poſſint.

39. Et quidem ipſe *Pelagius* ità rem hanc totam conficit, ut ambages omninò tollat. Aſſerit namque cap. 1. Epiſt. ad Rom. ad illa verba Apoſtoli: *Sed prohibitus ſum uſque adhuc*, ſequentia: *Prohibitum ſe dicit uſque ad tempus datæ Epiſtolæ, à Deo utique, qui ſciens adhuc imparatos illos, ad alias urbes direxerit Apoſtolum, quæ jam ad recipiendam veritatem erant capaces*. Et inferiùs: *Volentes aliquando in Bithyniam ire prohibiti ſunt à Spiritu Sancto Paulus, & Silas. Cur? Niſi ſciret adhuc affectum deeſſe*, quibus locis agnovit *Pelagius* ſcientiam, quâ Deus cognoſcebat, quòd ſi *Paulus* Romam perrexiſſet tali tempore, atque apud Romanos Evangelium prædicaſſet; illi, utpotè imparati, non credidiſſent. Similiter quoad Bithynios, in quibus Deus præſciebat affectum credendi Evangelium defuturum, ſi *Paulus*, & *Silas* apud eos prædicaſſent. Sed *Pelagius* hanc præſcientiam non admittebat nixam prædefinitionibus efficacibus Dei: illam ergo ſumebat ex futuro uſu liberi arbitrii. Etiam *Pelagiani*, ut refert *Auguſt.* Epiſt. 105. ad *Sixtum*, nunc 194. cap.9. num. 92. dicebant loquentes de parvulis, *Quòd Deus in eis, quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus eſſet quiſque, ſi viveret: & ideo, quem nequiter novit fuiſſe victurum, ſine Baptiſmo facit emori*, ſic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, ſed quæ facturus eſſet. Hoc ipſum dixiſſe *Pelagianos*, refert *D. Proſper* Epiſt. ad *Auguſt.* num.5. his verbis: *Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique, excepto originali peccato, ſub quo omnes homines ſimiliter in primi hominis damnatione naſcuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non ſine Dei judicio ſecernuntur, ut ante diſcretionem boni ac mali, de uſu vitæ iſtius auferendi, alii per regenerationem inter cæleſtis Regni aſſumantur hæredes, alii ſine Baptiſmo inter mortis perpetuæ tranſeant debitores: tales, ajunt, perdi, taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, Scientia Divina præviderit*. Et ibi *D. Proſper* loquens de Semipelagianis: *Præviſos, inquiunt, à Domino credituros, & ad unamquamque gentem ita diſpenſata tempora, ac miniſteria Magiſtrorum, ſicut exortura erat bonarum credulitas voluntatum*. Eodem modo *Hilarius* de iſtis Epiſt. ad *Auguſt.* num. 3. loquens: *Cùm autem dicitur*

eis, quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur, quòd aliquando penè omnibus, ſicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum ſit, dicunt Semipelagiani, id præſcientiæ eſſe Divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur quando, & ubi prænoſcebatur, eſſe credenda. Ex quibus clariſſimè conſtat *Pelagianos*, & *Semipelagianos*, dum de electione ad gloriam ex præſcientia meritorum loquerentur, de conditionata prænotione maximè idem dixiſſe, cùm parvulorum ante uſum rationis decedentium opera non abſolutè, ſed tantùm conditionatè futura erant, & præviderì poterant.

40. Prætereà, & maximè advertendum pro intelligentia hujus diſcursûs, quòd non dixit *M. P. Auguſtinus*, illuſtrationem ſuaſivam boni admiſſam à *Pelagio* eſſe verè, & propriè legem, & doctrinam, ſed non recedere à lege, & doctrina, ut obſervat *M. Lemos* tom. 1. cap. 17. rem ſic explicans: *Ut ergo hoc Theologus non obſcurè comprehendat, illud imprimis advertat, quod jam diximus ſupra, S. P. Auguſtinum propriè, & formaliter loqui, dicendo, Pelagium per illas internas revelationes non recedere à lege, & doctrina, quæ litteris formatur. Non enim affirmat, revelationes illas eſſe verè, & propriè legem, & doctrinam exteriorem, ſed quòd non recedunt à lege, & doctrina exteriori: & ſi aliquando dicit, Pelagium ſolùm admiſiſſe legem, & doctrinam, non dicit, illam eſſe purè exteriorem, ſed non recedere à lege, & doctrina exteriori, ut alibi expreſsè declaravit. Quod, quomodò ſit intelligendum, ita S. Doctor exponit: Officium legis, atque doctrinæ exterioris eſt docere, oſtendere, illuminare quid faciendum ſit, ad id ſuadere, & exhortari. Non autem dare veras vires, ut faciamus; cùm ergo illa interior revelatio ſupernaturalis ſolùm à Pelagio conſtituatur, ut doceat, oſtendat, illuminet, quid faciendum ſit, & illud ſolùm ſuadeat, ad idque exhortetur, non autem det veras vires voluntati, ut agat, proculdubiò non recedit officio, & munere à lege, atque doctrina exteriori. Illud enim, quod per exteriorem doctrinam, vel litteræ, vel prædicationis fieri poteſt, neceſſe eſt, quòd tandem ad legem, & doctrinam exteriorem reducatur, cùm ſolùm id exerceat, quod littera, vel prædicatio exercere poteſt, parique ratione ſi lex & doctrina purè exterior poteſt facere totum id, quod illa interior revelatio facit, convincitur, quòd ſola lex, & exterior doctrina ſit neceſſaria. Quamvis ergo callidè Pelagius procuraret evadere oppoſitionem, quòd gratiam diceret legem, atque doctrinam, cùm hoc jam anathematizaſſet, & ad invidiam frangendam legis, atque doctrinæ in ultimo ſuæ perfidiæ ſtatu, ut diximus, admiſerit interiores illas ſupernaturales revelationes, oſtendentes tantùm, & exhortantes, ejus tamen latebras S. Auguſtinus detegens, convincit, nec ipſum per hoc receſſiſſe à commendatione legis, atque doctrinæ exterioris, cùm tamen illud interiùs admittat, quod nihil aliud faciet, quàm lex, & doctrina exterior facere poteſt.*

41. Ex quibus duobus præſuppoſitis firmum, & ſolidum aſſequi poſſumus contra Adverſarios argumentum. Gratia illa illuſtrationis admiſ-

admiſſa à *Pelagio*, etſi intrinſeca, ſupernaturalis, & regulata per ſcientiam mediam, quâ cognoſceret Deus effectum, quem ſortitura eſſet ex determinatione, & libera voluntatis cooperatione, eſt gratia juxta *M. Patrem Auguſtinum* in movendo voluntatem ad bonum habens modum legis, atque doctrinæ, quia eſt ſolùm moraliter practicè movens ad conſenſum, oſtendens, illuminans, & ſuadens, quid faciendum ſit, non tamen dat vires eo ſenſu, quo vires prædicabat *Auguſtinus*, voluntati, ut agat, nec activè facit ut illa faciat; ſed gratia adjuvans propugnata ab Adverſariis, eſt gratia tantùm practicè moraliter influens in conſenſum ſalutarem influendo, illuminando, & ſuadendo voluntati elicientiam conſenſûs ſalutaris; ergo, ut videtur, eſt gratia non recedens à munere legis, & doctrinæ: ſed gratiam non recedentem à munere legis, & doctrinæ rejicit *Auguſtinus* dicens: *Nos hanc gratiam volumus* &c.: ergo & rejicienda venit gratia adjuvans, qualis ſtatuitur, & propugnatur ab Adverſariis. Debent namque aſſignare gratiam internam in cordibus noſtris infuſam propriè facientem nos facere; de hac enim procedit quæſtio; quidquid ſit, an aliud ſit principium, quo conſtituatur Deus propriè operans, & faciens nos operari; nempè omnipotentia nobis aſſiſtens: cùm enim hæc non ſit propriè gratia actualis interna, dum ad iſtam fit recurſus, ut Deus faciat nos agere, ſolùm gratiæ actuali internæ concurſum moralem concedunt, quæ non videtur in munere recedere à lege, & doctrina: nec enim concurſus Omnipotentiæ, utpotè extrinſecus gratiæ excitanti, variat modum illum influendi, & tendentiam intrinſecam illuminationis ſuadendo voluntati elicientiam actûs ſalutaris. Licèt ergo omnipotentia phyſicè aſſiſtens voluntati differat à gratia legis, & doctrinæ, non tamen aſſignant aliquam gratiam recedentem in munere à gratia legis, & doctrinæ, dum non aſſignant aliud auxilium, quo Deus faciat, nos agere.

42. Hæc omnia ſemper citra omnem cenſuram objiciendo referimus. Abſit ut Scholæ contrariæ defenſoribus Semipelagianiſmum tribuamus; cùm Apoſtolica Sedes ſui dumtaxat juris eſſe voluit, ſuper hoc pronuntiare judicium, quod in ſuſpenſo poſitum expectare neceſſe eſt. Quare hæc eo ſolo animo ſcribimus, nè falſum pro vero diſputationis confuſione defendatur. Si enim *P. Molina* in conc. q. 14. art. 13. diſp. 38. §. *Multa ſanè* q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. Memb. 6. §. *Certè*, relatâ *Dominici Soto*, & *Andreæ Vega* ſententiâ, gratiam ſe ipſam efficacem, & præmotionem phyſicam adminus tamquam errorem in fide proſcribere non dubitat, dicens: *Non video qua ratione, ſalva Fide Catholica, ea ſententia poſſit defendi.... Certè non dubitarem, ſententiam hanc hoc ultimo modo explicatam errorem in fide appellare*; quod & dixit *P. Suarez* opuſc. de concurſ. cap. 1., & *Bellarminus* lib. 4. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. credentes, ſententiam iſtam de gratia per ſe ipſam efficaci tollere arbitrii libertatem; cur & nos, abſque eo quòd ex, reciproco aliquid reponatur injuriæ, ipſorum doctrinam obſervare - fundamenta diſcutere non poterimus; non ut ad odium doctrinæ provocemus, ſed ut in ſpiritu charitatis, quæ vera, & fraterna eſt dilectio, om-

omnem doctrinæ veritatem perficiens, patens fiat veritas, cunctis benevola, amabilis, & jucunda? Hoc igitur pacto hucuſque argumentati ſumus, & in poſterum ratiocinabimur, Theologorum more, expenſis omnibus, rationes deducentes, ut ex ipſo opinionum ſenſu, veritas per ratiocinationem deducta, concludatur. Quo arguendi modo utuntur contra Thomiſtas Pater *Vincentius Ramirez* de prædeſt. diſp.6. cap.3. num.77. dicens: *Non nego, nec negare poſſum, Sapientiſſimos Thomiſtas catholicè ſuam ſententiam protegere; ceterùm hoc non vetat, quod ex definitione Tridentini, & ex apparente conſenſione cum Hæreticis, ex explicatione propoſitionum, & terminorum uſu, grave, & Theologicum argumentum formetur contra ipſos.* Et *P. Marin* de peccat. tract. 11. diſp. 5. ſect. 5. num. 65. *Fateor, Thomiſtas adeò benemeritos de Catholica Eccleſia in multis differre ab Hæreticis, ſed arguendi cauſa intendo in re idem concedere, ac Hæretici quoad influxum in peccato:* Quos nuſquam credam ſic argumentantes, malignè & ad invidiam ſententiam, quam tuemur, traducere. De quo audiendus *P. Levinus Meyer* S. I. diſſert. 2. de mente Concilii Tridentini in fine Prologi dicens: *Si quis dicat: hæc ſententia eſt Pelagiana, vel Calviniſtica, cenſura eſt, quam privatis Theologis interdixit Sedes Apoſtolica. Si verò argumentando quis inferat: ergo hæc ſententia non videtur differre à Pelagii & Calvini opinione, non eſt cenſura, ſed argumentum Theologicum.* Abſit ergo, quòd Adverſariorum ſententiam & ego in ſuſpicionem vocem. Quare cum PP. Salmantic. tom.2. de grat. tract.14. diſp.7. dub.1. §.1. *Hìc notatum volumus, nos minimè acquieſcere prædictorum Doctorum judicio, quatenus aliquam notam Molinæ opinioni videntur inurere, ſed obſequentes Pontificum decretis ab omni prorsùs cenſura abſtinentes, & Molinæ ſententiam in eodem ſtatu (ſivè probabilis, ſivè improbabilis ſit) in quo eam invenimus, relinquimus. Sufficit enim,* inquit *Divus Hieronymus Auguſtino* Epiſt. 13. *probare mea, & aliena non carpere.* Maximè dum hæc omnia ſolius veritatis ſtudio ſcribimus.

DISPUTATIO V.

De Gratia ſufficiente.

DUBIUM I.

In quo conſiſtat gratia ſufficiens ab efficaci diſtincta.

§. I.

Qualis eſt propria hujus nominis notio proponitur.

1 PRo ea igitur explicanda quæſtione illud ſtaſtim ponendum eſt, nomine gratiæ ſufficientis intelligi gratiam actualem interiorem, quæ dat poſſe proximum ad bonum, illudque expeditum ad eliciendos actus ſupernaturales; ac ſalutares, quatenus & mentem illuminat, & movet ſeu excitat voluntatem ad ea, quæ ſalutem ſpectant. De hac ſufficiente gratiâ loquens *D. Paulus* dixit: *Omnia p ſſum in eo, qui me confortat*: Ubi gratiam explicat, quæ præbet poteſtatem completam, & expeditam, perfectam, & abſolutam ad eliciendos ſupernaturales actus: nec ſiletur nomen, *ſufficit tibi gratia mea*. Eandem ſufficientem gratiam prædicat Concilium *Arauſicanum* 2. can. 19. ita definiens: *Natura humana .... Cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodò ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* Rurſus can. 25. *Hoc enim ſecundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertineant, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quæ enim eſt gratia illa, ſine qua homines non poſſunt, & cum qua poſſunt, niſi gratia ſufficiens verè ſupernaturalis, ac intrinſeca, quæ poſſit conſenſum volun-

luntatis ad bonum ſalutis elicere? Inſigne etiam eſt Concilii *Tridentini* teſtimonium ſeſs.6. cap.11. aſſerentis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adjuvat, ut poſſis*: Quibus verbis Concilium triplicem agnoſcit gratiam. Sufficientem quidem remotam his verbis: *Jubendo monet, & facere quod poſſis*; ſufficientem proximam, dum ait: *Et petere, quod non poſſis*. Denique efficacem, iſtis ulteriorbus verbis: *Et adjuvat, ut poſſis*, ubi loquitur de potentia conjuncta cum actu.

2. Hanc eamdem gratiam ſufficientem agnoſcit *S. Auguſtinus* lib.3. de liber. arbitr. cap. 19. dicens: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis*. Quæ enim eſt gratia illa, quâ Deus vult ſanare, niſi gratia ſufficiens, quâ quidem pulſat ad oſtium cordis, ut intret, juxta illud *Apocal.* 3. *Sto ad oſtium, & pulſo; ſiquis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum*. Idem dixerat *Auguſtinus* cap.16. anteced. *Ex eo igitur, quod non recepit, nullus reus eſt. Ex eo verò quod non facit, quod debet, juſtus reus eſt. Debet autem, ſi accepit, & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam voluntatem*: quibus verbis agnoſcit S. Doctor adjutorium largiens ſufficientiſſimam facultatem, ideſt, valde ſufficientem, ut debeat; & ideo reus non eſt, niſi hanc liberam & ſufficientem voluntatem acceperit. Idem diſertiùs tractat S. Doctor ibi cap.15. dicens: *Meminerimus ipſum dicere. Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum: qui dicit: Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in vobis. Quomodò ergo qui dicit: Facite vobis, hoc dicit; Dabo vobis? Quare jubet, ſi ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo facturus eſt, niſi quia dat, quod jubet, cùm adjuvat, ut faciat, cui jubet? Semper eſt autem in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona. Aut enim à juſtitia libera eſt, quando ſervit peccato, & tunc eſt mala: aut à peccato libera eſt, quando ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bona. Gratia vero Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cæpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere Divina mandata, quæ voluerit, cùm valde, perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet, quòd ſcriptum eſt: ſi volueris, conſervabis mandata; ut homo, qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plene velle cognoſcat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippè adjuvatur, ut faciat, quod jubetur. Tunc enim utile eſt velle, cùm poſſumus: & tunc utile eſt poſſe, cùm volumus. Nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus, volumus, aut quod poſſumus, nolumus?* Quibus verbis duo clariſſimè oſtendit, primò ſufficientiam noſtram eſſe à Deo, qui ſua nobis reddit mandata poſſibilia, & quod talis ſufficientia datur per gratiam prævenientem, quâ voluntas incipit eſſe bona, quæ quidem gratia vocatur ſufficiens. Secundò quod adjuvatur voluntas per gratiam ut faciat, quod jubetur, quæ ſanè gratia eſt efficax, quæ jun-

git

git potentiam cum actu, quòd *Auguſtinus* vocat poſſe, quod jubetur, ideſt, facere.

3. Eamdem profert ſententiam lib. de corrept. & grat. cap. 11. n. 31. & cap. 12. num. 34. dicens: *Primò itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero Sanctis in Regnum Dei prædeſtinatis non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint*. Ubi S. Doct. duo diſtinguit adjutoria: unum, *ſine quo non* poteſt operari bonum;& hoc eſt ſufficiens auxilium. Aliud, *quo* actu bonum operatur, & hoc eſt efficax. Primum dat poſſe perſeverare, ſi velit: ſecundum verò ut actu perſeveret. Id ipſum etiam evidenter convincitur ex lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 8. ubi S. Doctor apprimè delineat ſufficientem gratiam, quâ præparatur voluntas à Domino ad opus mediâ bonâ cogitatione, quæ quidem nonnumquam eſt abſque boni deſiderio; & eſt effectus, non gratiæ efficacis, ſed ſufficientis.

4. *S. Auguſtini* locutionem, & mentem ſecutus eſt Divus *Thomas* 1. 2. quæſt. 106. art. 2. ad 2. ubi gratiam ſufficientem, & quoad rem, immò & quoad ipſum nomen docet his verbis: *Si quis, poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti, peccaverit, majori pœnâ eſt dignus tamquàm majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens: nec tamen propter hoc dicitur, quòd lex nova iram operatur, quia quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*. Quod quidem auxilium ſufficiens ad benè agendum ſupernaturaliter, gratiæ ſufficientis nomine appellatur. Idem docet cap. 3. ad Epheſ. lect. 2. ubi ait: *Auxilium Dei duplex eſt. Unum quidem ipſa facultas exequendi; aliud ipſa operatio, ſeu actualitas. Facultatem dat Deus, infundendo virtutem, & gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum* (ecce gratia ſufficiens) *ſed ipſam operationem confert, in quantum operatur in nobis interiùs movendo, & inſtigando ad bonum... In quantum virtus ejus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. En gratia efficax, quâ Deus operatur in nobis velle, & perficere. Sic namque S. Doct. gratiam ſufficientem firmat, docens ulteriùs neceſſitatem efficacis.

5. Separabilis eſt, ut ſuprà diximus, gratia ſufficiens ab efficaci. Illa dat vires, & ſufficientiam voluntati, ut ſalutariter operetur; non tamen conſenſum ſalutarem efficit: quare nec in *Juda* operata eſt gratia ſufficiens pœnitentiam, nec in ſtatu innocentiæ perſeverantiam. At licèt ſit inefficax reſpectu conſenſûs ſalutaris, ipſa tamen non remanet abſque effectu; dat quidem poſſe proximum per illuminationes, & motiones interiores, quæ ſunt in nobis ſine nobis: quæque vocantur actus primus de ſe tendens ad actum perfectum, & deliberatum; & cùm non excitet voluntatem, quin voluntas excitata maneat, auxilium, quod com-

paratione unius actûs eſt ſufficiens,ſemper eſt efficax in ordine ad alium actum, ad quem efficiendum per abſolutum Divinæ providentiæ Decretum ordinatur. Id communiter docent noſtri Thomiſtæ *M. Lemos* lib.4. p.2. tract.3. cap.7. *Alvarez* de auxiliis diſp. 80. num.2. *Nazarius* 1. p. q. 23. art. 3. concluſ. 2. *Medina* 1. 2. quæſt.109. *Dico quòd hoc donum ſufficiens, efficax eſt ad id, quod Deus mittit illud. Mag. Joannes à S. Thoma* 1. 2. q. 111. art. 1. dub.24. *Si collatio auxilii ſufficientis nullum relinqueret effectum, non eſſet collatio auxilii, ſed ſuſpenſio agendi*, vel ut illud explicat *M. Gonzalez* controv.5.art.7. *Auxilium ſufficiens eſt idem, quòd Gratia excitans .... Impoſſibile eſt, quòd Deus excitet, & moveat animam activè per gratiam excitantem, & quòd ipſa formaliter in ſe ipſa non moveatur: Ergo per aliquem vitalem actum à ſe ipſa elicitum movetur, ſeu excitatur; anima enim nunquam movetur, vel excitatur actualiter, niſi eliciendo aliquem actum. Eſtius* in 2. ſent. diſt. 26. §. 11. *Neceſſe eſt, ut excitans gratia aliquid in ipſis cordibus, ſeu voluntatibus operetur*. Et verbis Concilii relatis addit: *Unde manifeſtum apparet ex ſententia Concilii Tridentini, gratiam excitantem non conſiſtere ſine motione aliqua liberi arbitrii ad bonum. M. Franciſcus Davila* in tract. *de auxiliis divinæ gratiæ, ac eorum efficacia* Romæ typis edito anno 1599. ſic cap.7. *Auxilium ſufficiens eſt quædam divina motio, quâ homo juvatur, ac diſponitur ad gratiam juſtificantem ... Si de internis auxiliis loquamur, videlicet illuminatione, ſeu interiori vocatione, ſine cooperatione noſtra fieri eſt inintelligibile. Illuminari igitur Dei, nihil aliud eſt, quàm intellectum noſtrum in aliquam bonam cogitationem excitare; & inſpirare voluntati, ſuggerere bonum motum .... Ex conſequenti, cùm Deus illuminat intellectum, ipſe intellectus lumen ſuſcipit: Et dum inſpirat voluntati, voluntas per illam inſpirationem movetur*. Silvius 1. 2. q. 111. art. 8. *Reverà omnis gratia eſt efficax alicujus effectûs, ejus nimirum, ad quem proximè ordinatur, & quem Deus abſolutâ voluntate intendit, juxta illud. Pſal.* 113. *Deus noſter in Cœlo, omnia quæcumque voluit, fecit .... quamvis non ſit efficax alterius effectus, illius ſcilicet ad quem ulteriùs, tum ex ſe, tùm ex voluntate Dei antecedente ordinatur. M. Contenſon* tom. 1. lib. 8. diſſert. 2. cap. 2. *Gratia ſufficiens reſpectu imperfectorum ſemivolentis hominis deſideriorum efficax meritò dici poteſt. Maſſoulie* tom. 2. pag. 19. *Nullum eſt ſufficiens auxilium, quod ex aliqua parte efficaciam non habeat. M.Gonet* tom.1.diſp.4.num.147. *Communitèr docent Thomiſtæ, auxilium omne, quod reſpectu unius actûs eſt ſufficiens, eſſe ſimul etiam efficax in ordine ad alium, ad quem efficiendum per abſolutum divinæ providentiæ decretum ordinatur*. Facultas Theologiæ Colonienſis Summa Theol. 1. 2. tract. 5. diſp. 8. *Auxilium ſufficiens idem eſt cum excitante, quatenus hoc .... nos abſolutè potentes ſufficientèr reddit ad eliciendam, non quamcumque, ſed eam operationem tantùm, ad quam abſolutò decretò divina voluntas eliciendam auxilium deſtinavit: & quamvis ſub ſufficiente auxilio nondum completè potentes ſumus, ut de facto ejuſmodi operationem eliciamus*

abſque

abſque efficace auxilio, nihilominùs ſemper cum auxilio ſufficiente aliquos actus producimus, qui ad ultimatò intentum ordinantur v. 9. *Cùm auxilio ſufficiente ad actum fidei, efficacitèr producimus pias cogitationes de notitia credendorum, bona deſideria habendi fidem, alioſque hujuſmodi imperfectos actus, qui regularitèr antecedunt aſſenſum fidei.* *Bellarminus* lib.6. de grat. & liber. arbitr. cap. 15. *Cogitare, & deſiderare ſunt actus mentis, & voluntatis; quare fieri non poteſt, ut quis ſine actu ſuo ad cogitandum, & deſiderandum excitetur.* Sed ad hujus veritatis perſuaſionem abundè ſit teſtimonium *D. Thomæ* 1.2. q. 10. art. 1. *Cùm diligere ſit velle alteri bonum, Deique voluntas ſit cauſa, certum eſt, gratiam, ſeu dilectionem Dei ſemper aliquid, nempe id, quod ei vult, in anima ejus, quem diligit, efficere.* Etenim gratia illa actualis eſt verus actualis motus, veraque actualis voluntatis excitatio, quæ dari nequit, quin & ipſa voluntas ſit mota, & excitata; ſed nullatenus fieri poteſt, quòd Deus mentem alicujus moveat ad cognoſcendum, vel volendum, & non ſint in ipſo hi motus cognitionis, & volitionis: ergo & voluntas ſub gratia ſufficiente activè operatur hujuſmodi pias cogitationes, & bona deſideria: ipſa namque eſt quæ deſiderat, & diligit. Inſuper, quia ſi ſupernaturalis vocatio nihil penitus efficeret, ſe haberet ſicut habitus, qui in voluntate permanenter exiſtens nihil efficit: ſed auxilium ſufficiens eſt auxilium actuale fluens ſicut operatio: ergo ſemper habet conjunctam operationem, cum qua tranſit.

6. Illud etiam ſecundò ponendum eſt, quòd virtus, & ſufficientia cauſæ eodem modo eſt dividenda, eiſdemque diviſionibus, quibus cauſæ, & agentia dividuntur. Cujus ratio eſt, quia cauſa conſtituitur in actu primo, ſive potens proximè cauſare, ſicut & agens proximè potens agere, per virtutem, & ſufficientiam ad agendum, & cauſandum. Ex quo fit, quòd ſicut alia eſt cauſa prima, & infinita, ſive agens primum, & omnibus modis infinitum, habens virtutem infinitam & illimitatam; ita quoque aliud eſt agens ſecundum, & limitatum, cujus virtus eſt finita, & limitata. Illudque inter utramque ſufficientiam videtur intereſſe diſcrimen, quòd virtus, & ſufficientia infinita nullo egère poteſt, quod in ſua non ſit poſitum voluntatis facultate: è contra verò virtus, & ſufficientia finita pluribus eget, quæ præſtò non ſunt ſibi pro nutu voluntatis. Diſcrimen hoc, quod ex ipſis terminorum apprehenſionibus patentiſſimum eſſe videtur, demonſtratur ex effectibus formalibus, quos prædictæ virtutes, & ſufficientia ſuis præſtant propriis, & connaturalibus ſubjectis. Virtus namque infinita ex ſua propria ratione formali conſtituit, & conſtituere habet proprium, & connaturale ſubjectum potens cauſare, ac producere quiquid non implicat contradictionem; ſive quod ex terminis produci non repugnat: quarè non poteſt aliquo egère ad productionem non implicantis, quod in ſua non ſit poſitum poteſtate. Illud enim requiſitum non poteſt eſſe impoſſibile: nam ad productionem alicujus poſſibilis nullum requiritur impoſſibile: ergo cùm hoc poſſibile ſit, virtus illa, & ſufficientia infinita, quæ ſubjectum ſuum conſtituit potens omne poſſibile, etiam in manu, &

poteſtate proprii ſubjecti ponit id, quod requiritur ad productionem cujuſcumque poſſibilis. Id ipſum eodem diſcurſu oſtenditur reſpectu virtutis, & ſufficientiæ finitæ. Debet enim ut certiſſimum præſupponi, quòd in cauſis ſecundis datur vera ſufficientia, finita tamen, & limitata cùm indigentia, & carentia alicujus prærequiſiti neceſſariò ad operationem. Sic calor in igne eſt virtùs verè ſufficiens ad calefaciendum, cùm ſit virtus, quæ per omnia aſſimilat effectum ſuo principio, nimirum ignem genitum igni generanti: & quidquid ſit de calore ad productionem formæ ſubſtantialis ignis, calorem eſſe virtutem ſufficientem ad producendum alium calorem ſibi per omnia ſimilem, conſtantiſſimum eſt apud Philoſophos, quia calor productus eſt ejuſdem ſpeciei, & ejuſdem, vèl forte minoris intenſionis, & perfectionis; ſed ad effectum non excedentem virtutem cauſæ, dummodò effectus ſit intra ſphæram, & activitatem cauſæ, eſt in cauſa vera ſufficientia, & talis effectûs vera continentia: ergò dubitabile non eſt apud Philoſophos, quòd calor ut ſex ſit virtus verè ſufficiens ad producendum calorem ut quatuor; & tamen ad illum producendum eget concurſu Dei, quem pro ſuo nutu non habet cauſa ſecunda, licèt ſit vera cauſa, ſed pro ordinatione voluntatis divinæ: ergo ſtat vera virtus, veraque ſufficientia ſubjectum conſtituens proximè, & expeditè, integrè, & formaliter potens ad propriam operationem eliciendam, cum indigentia alterius requiſiti.

7. Hoc, quod certiſſimum eſt in cauſis ſecundis neceſſariis, probat etiam in cauſis liberis. Etenim ſufficientia creata, quantumvis completa, & perfecta agentis liberi, ſubordinari Deo debet in operando. Quid enim magis repugnans, quàm quòd agens creatum non ſit Deo in agendo ſubordinatum, & quòd contra voluntatem efficacem Dei, à quo eſt collata omnis ſufficientia, velle, & operari aliquid poſſit? Vel quòd Deus ab operando cohibere non poſſit voluntatem, niſi per hoc quòd auferat ſufficientiam? Quæ ſi minimè auferatur, creatura facere poterit contra id, quod Deus efficaciter decrevit; de quo aliàs egimus: ergo cùm ratione concurſùs Dei in ipſo agendi exercitio ſubordinetur Deo agentis creati liberi ſufficientia; vel neganda eſt hæc ſubordinatio, & dependentia à Deo, & conſequenter ratio primę cauſę, vel exiſtentia concurſûs extrahenda eſt à poteſtate agentis creati. Secundò: quia in hoc differt ſufficientia conſtitutiva primi, & infiniti agentis, à ſufficientia finiti & ſecundi agentis liberi conſtitutiva, quòd virtus illius ad omnia poſſibilia potens, nullo poteſt egere; omnia namque ſunt poſſibilia primo, & infinito agenti ex natura ipſa virtutis, ac ſufficientiæ, quâ conſtituitur Omnipotens: agentis verò liberi creati, vel ſecundi ſufficientia pluribus ad operandum eget, quæ in ſui poteſtate nec habet, nec habere poteſt ex ſe ipſo.

8. Ex quibus inferes falſitatem illius aſſerti: *Impoſſibile eſt me habere in mea poteſtate effectum, niſi habeam actum, vel in mea poteſtate quidquid eſt neceſſarium, ut effectus fiat.* Falſitas enim pluribus oſtenditur exemplis. Et primò, quia ſicut non poteſt eſſe actus ſine auxilio,

ita

ita nec ſine voluntate Dei; ſed juxta ipſos ſtat poteſtas, & ſufficientia ad actum,quin in manu voluntatis creatæ ſit exiſtentia voluntatis Divinæ:cur ergo non poterit eſſe ſufficientia completa,& proxima ad actum ſine poteſtate, ut exiſtat, quidquid eſt neceſſarium, ut effectus fiat? Secundò, in decreto efficaci conſenſûs noſtri liberi, quod licèt ut exiſtat, ſit à ſcientia media independens, eſt tamen ab illa dependens in operando: quippe licèt talis ſcientia non ſit neceſſaria, ut Deus concipiat illud decretum, exigitur tamen, ut Deus cognoſcat, quæ auxilia ſunt efficacia, quæ inefficacia. Cujus decreti poſſibilitatem propugnant Recentiores Societatis, ut videre eſt apud P. *Avendaño* diſp.22.cap.1. & P. *Ribadeneira* de prædeſt.diſp.22. cap.3. num.23. Quo decreto ſuppoſito falſitas illius principii maniſeſtè convincitur. Carentia decreti efficacis conſenſûs requiritur, ut non exiſtat conſenſus, ut enim detur ejus omiſſio, neceſſariò deficere debet ſuppoſitio eſſentialiter connexa cum conſenſu; & tamen hoc decreto efficaci conſenſûs ſuppoſito, datur in voluntate poſſe proximum ad carentiam conſenſûs; aliàs non eſſet libera: quin ſit in ejus poteſtate carentia illius decreti; cùm non poſſit impedire decretum, vel libertatem divinam, quæ in ſuis decretis à nulla libertate creata dependet: ergò ſtat vera ſufficientia creata, quin voluntas poſſit ſibi comparare omnia requiſita ad exiſtentiam actûs. Tertiò idem oſtenditur in prædefinitione efficaci conſenſûs liberi,quam communiter defendunt Auctores Societatis. Hæc enim prædefinitio efficax intentiva conſenſûs, non ſolùm eſt connexa cum conſenſu, ſed ex ipſa eſt, quòd auxilium A. ita ſit connexum cum exiſtentia conſenſûs: quare eſſentialiter præcedit in Deo ſcientia conſenſûs ſub tali auxilio; implicat enim contradictionem, quòd intendat efficaciter conſenſum ſub tali auxilio, niſi ſciat, conſenſum extiturum eſſe ſub illo; & tamen datur ſufficientia completè, & abſolutè expedita ad conſenſum; aliàs liberè non diſſentiret, quin acquirere poſſit prædefinitionem efficacem conſenſûs, cùm ſit exercitium immediatè Deo liberum: ergò ſtat vera ſufficientia actûs, licèt voluntas non habeat in ſua poteſtate quidquid ad ejus exiſtentiam requiritur. Et tandem hoc ipſum videre eſt in ſcientia media conſenſûs ſub auxilio; hæc enim requiritur in Deo, ut voluntas conſentiat ſub auxilio, cùm non poſſit dari conſenſus ſub tali auxilio, quin priùs ſit à Deo cognoſcibilis; & tamen hæc ſcientia eſt inimpedibilis à voluntate, ut affirmant plurimi Auctores Societatis: ergò & poterit dari vera ſufficientia proxima, & expedita poteſtas ad actum, licèt auxilium efficax non ſit in poteſtate voluntatis.

9. His reponit *Caducifer* pag.311.n.104. dicens: *Falſum eſt creaturam ſub auxilio non poſſe indirectè ſive prædefinitionem, ſive ſcientiam mediam, diſtinctam ab eá, quæ modò datur acquirere.* Sed contra eſt: primò,quòd oppoſitum eſt probabiliſſima, ut ſuprâ vidimus, Auctorum ejuſdem Scholæ opinio. Secundò,ut poſſet creatura aliam ſcientiam mediam acquirere, diſtinctam ab ea, quæ actu datur,neceſſe foret,ut poſſet nunc facere, quòd Deus aliud ſciret de facto, quàm ſciverit ab æterno; quod non videtur dicendum. Nam P. *Molina* 1. p. q.14. art.13.diſp.17. §. *Sciſcitabitur edit.* Lugd. 1622. pag.209. col.1. verſus finem: *Sciſcitabi-*

tabitur fortè aliquis, inquit ille, *an hujuſmodi ſcientia media appellanda ſit libera, an naturalis? Ad quod in primis reſpondendum eſt, eam nullâ ratione eſſe dicendam liberam: tum quia antecedit omnem liberum actum voluntatis Divinæ: tum etiam, quia in poteſtate Dei non fuit ſcire per eam ſcientiam aliud, quam re ipſa ſciverit: ac proindè cum naturali, ut diſtinguitur contra liberam, erit annumeranda.* Ecce fatente *Molina*, qualiter non fuit in poteſtate Dei ſcire aliud, quàm de facto ſcit, & videt per ſcientiam mediam: ergo nec creatura id poteſt: niſi velimus dicere, quòd creatura plus poſſit, quàm Creator, homo quàm Deus. Devorat hoc inconveniens P. *Molina*, ſtatim addens: *Deinde dicendum, neque etiam in eo ſenſu eſſe naturalem, quaſi ita innata ſit Deo, ut non potuerit ſcire oppoſitum ejus, quòd per eam cognoſcit. Si namque liberum arbitrium creatum acturum eſſet oppoſitum, ut revera poteſt, id ipſum ſciviſſet per eandem ſcientiam, non autem quod re ipſa ſcit.* Tertiò licèt intelligi poſſit, quòd creatura potuerit acquirere aliam ſcientiam mediam diſtinctam ab ea, quam de facto habet; in eorum tamen principiis nequit intelligi, quòd de facto acquirat aliam. Ad hoc enim neceſſe foret, quòd homo de facto faceret, Deum neſceviſſe, quod de facto ſcivit: fatente *Molina* in Indice cit. operis verbo, *ſcientia*: *Scientia, quâ Deus ſcit quodcumque contingens, futurum, tam neceſſaria jam nunc eſt, ut implicet contradictionem Deum efficere ſe id neſciviſſe*: ergo nec poteſt creatura aliud facere, quàm Deus eam novit facturam; nam ad contradictoria non datur potentia: ergo nec acquirere etiam indirectè aliam ſcientiam mediam; ad quod neceſſe foret, ut poſſet facere aliud, quàm Deus de facto prævidit.

10. Æquiſſimo ergo jure auxilium conſtituens voluntatem proximè, integrè, abſolutè, & completè potentem in ordine ſupernaturali operari, ſufficiens dicetur, cùm nihil potentiæ in ſuo ordine deficiat, ut ſemel inſtructa auxiliis ſufficientibus poſſit agere. Hoc eſt, quod *D. Thomas* nomine ſufficientis intelligit 2. 2. q. 88. art. 8. dum dixit: *Quòd ſufficiens eſt, cui nihil deeſt.* Et q. 3. de potent. art. 2. ubi ſibi primò objicit: *Natura nec deficit in neceſſariis, nec abundat in ſuperfluis: ſed ad actionem naturalem ſufficit virtus activa ex parte agentis, & paſſiva ex parte recipientis: ergo non requiritur virtus divina in rebus operans.* Ac ſi diceret virtus ſufficiens, & completa non poteſt egere ad productionem ſui effectûs operatione, ſivè concurſu Dei; ſed virtus cauſæ ſecundæ eſt ſufficiens, & completa ad productionem ſui effectûs, & ad propriam operationem eliciendam: ergo non eget ad illam concurſu divinæ virtutis. Cui argumento ſic reſpondet: *Ad primum dicendum, quòd virtus activa, & paſſiva rei naturalis ſufficiunt ad agendum in ordine ſuo, requiritur tamen virtus divina ratione jam dicta.* Ubi nec minorem negat ſui argumenti, nec majorem noſtri, ſed diligenter aſſerit, virtutem cauſæ ſecundæ eſse quidem ſufficientem, at non in omni linea, ſed in linea cauſæ ſecundæ, quæ non excludit indigentiam alterius, ſeu concurſûs divini. Hoc eodem titulo dicitur homo voluntate ſufficiens ad amandum, quamvis indigeat cognitione, cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum. Intellectus actuatus ſpecie in-

intelligibili alicujus objecti dicitur potens proximè, & cum virtute ſufficienti ad intelligendum tale objectum; & tamen indiget applicatione voluntatis, ut illud intelligat. Homo pariter eſt potens ad deambulandum; & tamen ultra veram ſufficientiam, requiritur determinatio & imperium voluntatis. Sic & lapis gravitate ſufficiens conſtituitur ad deſcenſum, quamvis indigeat motione, & impulſu. Et 3. p. quæſt.61. art. 1. paſſionem *Chriſti* ſufficientem cauſam noſtræ ſalutis affirmat *D.Thomas*, quamvis & neceſſaria ſint Sacramenta, dicens: *Paſſio Chriſti eſt ſufficiens cauſa ſalutis humanæ, nec propter hoc ſequitur, quòd Sacramenta non ſint neceſſaria ad humanam ſalutem; quia paſſio Chriſti quodammodo applicatur hominibus per Sacramenta.* Ergo & ſufficiens erit illud auxilium, cui nihil deeſt, ut re ipſa poſſit, & in ratione principii proximi completi, integri, & abſoluti conſtituatur voluntas in ordine ſupernaturali, quamvis requiratur aliud auxilium, ut poſſe illud internum applicetur ad actum.

11. Contra quod non obſtat Grammaticalis ſignificatio hujus termini *cauſa ſufficiens*, cui maximè fidunt Adverſarii, & quæ nominat poteſtatem plenam, perfectam, & proximam, ut actu operetur, quin ad actualiter operari, juxtà ipſos, indigeat ulteriori gratiâ realiter diſtinctâ; ut expreſsè teſtatur P. *Lucherini* S. I. de Hæreſi Janſenia cap.1.pag.23. *Fruſtrà dicitur ſufficiens gratia illa, quæ nihil poteſt, ſine aliâ gratiâ diverſæ ſpeciei, videlicet, ſine gratiæ ex ſua natura efficaci.* Quod & repetit cap.2. pag.66. *Nonniſi per ſummam abuſionem vocabuli, appellari poteſt ſufficiens gratia illa, quæ ſe ſolâ non conſtituit adæquatam potentiam producendi actum*; ut de judicio ejus dubitari minimè poſſit, quin hanc habuerit firmam, perpetuamque ſententiam. Non, inquam, obſtat, cùm gratia ſufficiens non accipiatur, ut nomen Grammaticaliter ſonat, ſed dicatur Theologicè, ut notant noſtri Thomiſtæ. M. *Lemos* lib. 4. part. 2. tract. 3. cap. 2. *Aliqui ex Diſcipulis S. Thomæ in iſta materia ſatis periti arbitrantur, minùs congruè auxilium illud, quòd dividitur contra efficax, vocari ſufficiens..... Cùm potiſſimè S.Thomas auxilium ſufficiens accipiat pro efficaci..... At poſtquàm tot antiquiores Scholaſtici, inter quos ſunt Cajetanus, Ferrarienſis, & complures alii, illâ voce, auxilium ſufficiens, utuntur, videtur loquendum eſſe cum pluribus, & ita illam vocem explicandam, fundandam, & defendendam, ut congruè rem ſignificatam importat: poteſt enim hoc ſine violentia fieri..... Nec enim in hac parte attendendum eſt ad puram grammaticalem vocabuli ſignificationem, ſed ad Theologorum, & Catholicorum uſum: purus enim Grammaticus illud dicit ſufficiens, ultrà quod aliud non requiritur.* Et M. *Zumel* tom.3.diſp.15.ſect.1.concl.4. *Quod auxilium ſanè non dicitur ſufficiens, ut nomen grammaticaliter ſonat, quaſi ſe ipſo, & omni alio repulſo, non ſolùm habeat vim agendi, & operandi, ſed eam exerceat; nam id videtur terminus ille ſufficiens importare grammaticaliter: ſed ſolùm ſufficiens theologicè, quia dat homini ut poſſit agere, tribuitque ei vim ad volendum, ſed non completè omninò, quia eſt neceſſaria gratia efficax.* Ipſemet Angelicus Magîſter

ſuffi-

ſufficientem gratiam probat, atque confirmat 1. 2. qu. 106. art. 2. ad 2. *Dicendum, quòd gratia novi teſtamenti, etſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non poſſit: hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ, & ideò ſi quis poſt acceptam gratiam novi teſtamenti peccaverit, majori pœnâ eſt dignus, tanquàm majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens, Nec propter hoc dicitur, quòd lex nova iram operatur, quia quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*. Quod ſufficiens auxilium eſt ab efficaci diſtinctum, cui liberum arbitrium minimè refragatur. Et qu. 109. art. 10. ad tertium. *Dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de Natur. & Grat., homo in primo ſtatu accepit donum: per quod perſeverare poſſet, non autem accepit ut perſeveraret: nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perſeverare poſſunt, & ulteriùs eis datur, quòd perſeverent: & ſic donum Chriſti eſt majus, quàm delictum Adæ*. En ubi contradiſtinguit auxilium, quo perſeverare homo poteſt, ab auxilio, quo homo de facto perſeverat, quod apud omnes eſt efficax.

12. Sed contra doctrinam iſtam reponit iterùm *Caducifer* pag. 311. num. 105. dicens: *Deinde vis contraria non inſiſtit in ſola voce ſufficientiæ; ſed talis quæ conſtituat veram potentiam proximam completam, & expeditam undique, ut voluntas gaudens pleniſſimâ libertate poſſit pro ſolo ſuo nutu in ſigno ſequenti in actum prorumpere: quod nullis exemplis, nulliſque foliis ab his Auctoribus poteſt umquam evinci; ſed ſolùm dictitant, motionem primi motoris excipiendam eſſe, quia eſt perfectiva ipſiuſmet exercitii; cùm tamen hæc motio primi motoris in ſolo concurſu ſimultaneo ſalvetur*. Luditnè, ac jocatur Auctor iſte? Cùm tot invictis argumentis, & exemplis res jam probata maneat. At quis non videat hoc eſſe palàm, apertèque ludere, vertereque ludibrio doctrinam, quam ipſe impugnare nequit? Annè exemplum concursûs ſimultanei totam hanc difficultatem evacuat? Indiget ſaltem voluntas concurſu ſimultaneo Divinæ Omnipotentiæ, quam tamen non habet ſibi ſubjectam, velut librum, vel agrum, quò utitur quando vult: nec Deus præmotor eſt minùs intimè præſens, quàm Deus ſimultaneè concurrens: nec minùs miraculoſum eſſet, ſi Deus denegaret præmotionem ſuam creaturæ exigenti agere, quàm ſi negaret ei concurſum ſimultaneum. Deindè falſum eſt, *quòd motio primi motoris in ſolo concurſu ſimultaneo ſalvetur*. Sicut enim ſe habent cauſæ ad invicem, ità ſe habent earum virtutes, & influxus: ſi ergo ex terminis implicat, cauſam eſſe primam ſine prioritate, ità implicat virtutem, & influxum cauſæ primæ eſſe ſine prioritate; ac per conſequens motio primi moventis non ſalvatur in ſolo concurſu ſimultaneo. Tandem: Nonnè Deus eſt cauſa libera completiſſima, habens in ſe virtutem completiſſimam ad producendum nobiſcum quamcumque operationem? Et tamen in ſyſtemate oppoſitæ ſententiæ expectat cooperationem noſtram; quippè concurſus Dei generalis non ponitur à parte rei niſi determinatus per cauſam creatam, ſive neceſſariam, ſive liberam ad hanc actionem: igitur

ut

ut Deus concurrat nobiſcum ad quamcumque actionem liberam, indiget influxu liberi arbitrii; nam *hi duo influxus mutuò ad invicem pendent*, ait P. *Molina* in 1. part. quæſt. 14. art. 13. diſp. 6. §. *Simili præterea modò*. Igitur ad cauſam ſufficientem completam non hoc exigitur, ut nullo alio extrinſeco indigeat ad actu in rerum natura effectum ſuum ponendum. Si enim hoc non exigitur, ut Deus dicatur cauſa prima ſufficiens completa; multò minùs exigitur ad conſtituendam cauſam ſecundam ſufficientem completam: cujus intrinſeco conceptui ratio dependentiæ à cauſa prima ita immixtus, & commixtus eſt, ut ab eo nuſquam poſſit ſeparari, quin deſtruatur. Hinc rectè dicimus, quòd cauſa ſecunda completa & ſufficiens, idem dic de virtute, vel gratia, ita ſit ſufficiens, ut ex eſſentia ſua, & non ex accidente, repugnet ſe ſola ponere effectum. Quòd etſi rideat Caducifer pag. 312. num. 107., ſuo quodam Caducæi jure utens, eſt nihilominus veriſſimum.

13. Igitur, ut gratiæ ſufficientis notionem certis terminis pro humano captu concludamus, dicimus, eam eſſe ſupernaturalem agendi virtutem, erigentem potentias animæ, conſtituentemque potentiam proximè, completè, & formaliter potentem implendi præcepta Dei, operandique ſupernaturaliter, licèt, ut actu operetur, requiratur Dei auxilium efficaciter adjuvans; quod adjutorium non deficiet, niſi voluntas ab excitationibus Dei ſufficienter vocantis ſe avertat. Undè definitum eſt in *Tridentino* ſeſs. 6. cap. 13. *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent; Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defecerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*. Ecce cœpit opus bonum per gratiam ſufficientem; perficiet autem per efficacem, nempè, *operans velle, & perficere*; niſi homines excitanti Deo, & ſufficienter moventi deſint. Hæc potentia proxima, & expedita, abſoluta, & integra in ratione potentiæ per ſufficientem gratiam conſtituta, non eſt æqualis in omnibus ad omnia, ſed ſecundùm quòd magis, aut minùs eſt expedita voluntatis diſpoſitio, renitentis magis, aut minùs, aut nullo modo excitationibus Dei; aut ſecundùm quòd major, aut minor eſt reſpectivè arduitas operis. Semper autem eſt proxima, formalis, & completa poteſtas faciendi, quod poſſumus, aut orandi quod non poſſumus; orantes autem, omnia poſſumus, juxtà promiſſum Domini: *Amen dico vobis: quidquid orantes petitis, fiet vobis*. Itaque ſecuriores ſumus; quia neceſſaria ad actum adjutoria ſunt in manu Dei promittentis, quàm ſi eſſent in noſtra. Undè ſemper nobis adeſt ex Dei miſericordia poteſtas proxima, plena, ultimòque expedita in ratione potentiæ ad aſſequendam ſalutem, licèt novum Dei requiratur efficax auxilium realiter à ſufficienti diſtinctum ad benè operandum, & erga ejus executionem; quia ſemper eſt ejuſmodi poteſtas, aut faciendi, aut orandi. Nam hoc excitante Deo per primas motiones, à quibus incipit juſtificatio, poteſt: & qui cœpit opus, ipſe perficiet; eſt enim promptum gratiæ ſuæ beneficium, ſi per nos non ſteterit; Solem enim oriri facit ſuper bonos, & malos, quo exemplo ſæpiſſimè utitur D. *Thomas*.

14. Nec putet aliquis, nos inconſequentiæ arguere, quia modò dicimus, eſſe per gratiam ſufficientem completam, & expeditam poteſtatem; cùm tamen pleniſſimam reddi, actuique proximam per gratiam efficacem, agnoſcamus. Hæc enim contraria non ſunt; quia alia eſt completio potentiæ in eſſe potentiæ ad agendum; alia completio potentiæ agentis, ſeu in actu. Completio prior habetur per ſufficientiam proximam, & expeditam conſtitutam per gratiam ſufficientem; quam potentiam proximam, & expeditam dicimus habere omnes; quia quantumvis remotiores ſint à ſummo illo virium vigore, quo actu vincitur concupiſcentia carnis; habent ſufficientiam proximæ poteſtatis ad Deum orandum, & ſe diſponendum ad victoriam, quam talibus dabit Deus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Quarè adjutorium hoc non conſtituit potentiam, nec ipſam integrat, perficit, aut expedit, ut potentia eſt; ſed reducendo potentiam ad actum, compeſcit rebellem concupiſcentiam, vincit difficultates, roborat, & perficit potentiam, ut eſt potentia in actu, unde intranſitivè pro eodem inſtanti auxilium applicans, & reducens potentiam ad actum ipſam perficit, roborat, expedit in ratione potentiæ actualis, ſeu ut eſt potentia in actu, quæ tamen applicatio ad actum eſt perfectio potentiæ realiter diſtincta à perfectione illa, quæ conſtituit poſſe proximum, expeditum, completum de linea actûs primi. Libuit his immorari ad aperiendam intelligentiam eorum, quibus hanc impugnandi ſententiam, major quàm intelligendi, ſolet eſſe facilitas.

15. At demus Adverſariis, quòd accipiatur terminus iſte ſecundùm Ethymologiam grammaticalem, & ordinariam ſignificationem, ut dicatur ſufficiens auxilium illud, cujus exercitium ita ponendum eſt ex voluntatis arbitrio, ut ſine alterius ope, operetur voluntas. Et quis non videt, maximè Adverſariis officere hujus grammaticalis ſignificationis argumentum? Rogo enim de homine in actu primo proximè, & expeditè potente elicere conſenſum, vel medio auxilio indifferenti, aut gratiâ congruâ, congruitate deſumptâ ex habitudine ad diſpoſitionem ſubjecti, ſeu ad alias circumſtantias loci, & temporis, vel indiget ulteriori gratia ad obtinendum conſenſum, vel non? Si primum: ergo auxilium illud indifferens non eſt auxilium ſufficiens ad conſenſum; cùm præequiratur aliud auxilium, quod deſtruit, (ut argumentantur ipſi contra nos) naturam auxilii ſufficientis. Si ſecundum; hìc Adverſarios appello; quid enim ab exploratiſſima SS.PP. *Hieronymi*, & *Auguſtini* doctrina remotius? Qui diſputantes contra Pelagium aliam exigebant gratiam, tantopere pro illa decertantes, minimè percipientes naturam humanam ſibi ad juſtitiam ſuam ſufficientem, & non ex illo, qui operatur in cordibus fidelium & velle, & perficere pro bona voluntate. Egregium *Auguſtini* teſtimonium deſumitur ex lib. de grat. & lib. arbitrio cap. 18. *Undè eſt in hominibus charitas Dei, & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos judex Apoſtolus Joannes ..... Cur dictum eſt, diligamus invicem: quia dilectio*

ctio ex Deo eſt, niſi quia præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur; niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, undè quod jubebatur, impleret: ergo credebat *Auguſtinus*, ſalvari poteſtatem voluntatis, & ſufficientiam ad operationem liberam cum indigentia ulterioris auxilii, quòd non eſt in noſtra poteſtate. Si namque hæc non eſſet mens *Auguſtini*, arguere debuiſſet Pelagium, eò, quòd poneret, nos habere poteſtatem à Deo, ſine illo auxilio, à quo noſtra pendet poteſtas; vel ex eo, quòd noſtram poneret non acceptam à Deo poteſtatem, quo argumento minimè uſus eſt, ut ex ſuperiùs dictis conſtat, ex cap. 47. de grat. Chriſti, & ex cap. 41.

16. At cùm gratiam ſufficientem, quæ ſuum ſemper non obtineat effectum, velut novum figmentum rejiciant Janſeniſtæ, ipſam mendacem, & ridiculam exhibentes, contra ipſos meritò hìc obſervandum credimus, quòd gratia ſufficiens eſt gratia divina interior à Deo nobis per merita *Chriſti* collata, ſemper proficua, benefica, & utilis, nuſquàm noxia, pernicioſa, & obfutura. Eſt vera Dei gratia, etſi non donet ipſum ſalutariter velle, ut acutè M. P. *Auguſtinus* argumentatur de Corrept. & Grat. cap. 12. *Numquid quia erunt bona noviſſima potiora, atque meliora, ideò fuerunt illa prima vel nulla, vel parva?* ac ſi diceret, numquid erit parvum, vel nullum adjutorium, quòd datur libero arbitrio, ut benè velle poſſit; quia bonum potiùs, atque melius eſt adjutorium, quo fit eum velle quòd poteſt? Abſit; non enim per hoc, quòd relatè ad efficacem minor ſit, deſinit eſſe vera gratia. *Numquid argentum non erit argentum, ſi aurum pretioſiùs eſt? Aut arboris, & ſegetis contumelia eſt, ſi radici, & foliis, culmo, & ariſtis poma præferantur, & fructus?* Dicit Divus *Hieronymus* Apolog. ad *Pammachium* Ep.56. Magna ſunt duo luminaria illa, quæ fecit Deus, licèt unum majus, & alterum minus, ut illuminarent Orbem, & dividerent lucem, & tenebras, ut dicitur Geneſ. 1. *Magna utique ſunt*, exponit D. *Thomas*, *ambo in ſe conſiderata, licèt unum ad aliud relatum ſit minus illo, ut Luna quàm Sol. Sicut mons aliquis dicitur magnus abſolutè, & minor reſpectu majoris montis*: ergo & hæc duo Dei adjutoria, quibus homo divinitùs adjuvatur, in ſe conſiderata, magna ſunt, licèt gratia efficax à ſufficienti adæquatè diſtincta ſit perfectius Dei donum. Eſt gratia ſufficiens à Deo nobis per merita Chriſti collata, cùm hæc poteſtas, & ſufficientia ordinis ſupernaturalis non ſit in nobis per arbitrium, & legis doctrinam, ſed per divinam per Jeſum Chriſtum gratiam, ut definit *Concilium Tridentinum* ſeſs. 6. de juſtific. Can 1. dicens: *Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ, vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, abſque divina per Chriſtum Jeſum gratia poſſe juſtificari coram Deo, anathema ſit*. Quarè *Auguſtinus* gratiam ſufficientem verum munus redemptionis noſtræ vocat ſerm. 67. de temp. *Cur, ingrate, redemptionis tuæ munera renuiſti?* Ergo cùm omnis gratia, quæ eſt in nobis, ſit per merita *Chriſti* collata, dicente Apoſtolo ad *Epheſ.* 4. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto*, hæc gratia ſuf-

ficiens eſt verum Dei donum nobis ex meritis Chriſti collatum. Eſt inſuper gratia ſufficiens ſemper proficua, benefica, & utilis, cùm conſtituat ſufficientiam, & poteſtatem ad ſalutariter velle. Quid enim magis proficuum, & beneficum, quàm habere libertatem, & ſufficientiam ſalutariter operandi, & vitam æternam promerendi? Quid felicius gratiâ ſufficiente? Etenim dum adeſt hæc divina gratia, etſi minima, non eſt moralis peccandi neceſſitas; nam *cum minima gratia poteſt homo reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ* (nempè diviſivè) ut dixit D. *Thomas* 3. part. quæſt. 62. art. 6. ad 3. Et D. *Auguſtinus* lib. de natura,& grat. cap.66. *In hujuſmodi oratione certamen eſt adverſus tentatorem de ipſa contra vos neceſſitate pugnantem; ac per hoc opitulante gratia per Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum, & mala neceſſitas removebitur, & libertas plena tribuetur*. At non solùm deficit moralis neceſſitas peccandi, ſed mediâ ipsâ redditur homo ordinatus, vel ordinabilis ad vitam æternam; ut expreſsè affirmat D. *Thomas* 1. part. qu. 24. art. 3. *Eſt enim liber vitæ conſcriptio ordinatorum in vitam æternam,ad quam ordinatur aliquis ex duobus,ſcilicet, ex prædeſtinatione Divina, & hæc ordinatio nunquam deficit: & ex gratia; quicumque enim gratiam habet, ex hoc ipſo eſt dignus vita æterna: & hæc ordinatio deficit interdum, quia aliqui ordinati ſunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam, à qua tamen deficiunt per peccatum mortale. Illi igitur, qui ſunt ordinati ad habendum vitam æternam ex prædeſtinatione Divina, ſunt ſimpliciter ſcripti in libro vitæ, quia ſunt ibi ſcripti ut habituri vitam æternam in ſe ipſa: & iſti nunquam delentur de libro vitæ. Sed illi, qui ſunt ordinati ad habendum vitam æternam, non ex prædeſtinatione Divina, ſed ſolùm ex gratia, dicuntur eſſe ſcripti in libro vitæ: non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid: quia ſunt ibi ſcripti ut habituri vitam æternam non in ſe ipſa, ſed in ſua cauſa*. Quanta ergo illorum arrogantia, quanta temeritas, qui ſic gratiam ſufficientem arguunt, irrident, dilacerant, ac ſi eſſet pernicioſa, noxia, & obfutura?

17. Erravit turpiter *David Paræus*, dum lib. 1. de grat. & libero arbitr. cap. 2. dixit: *Gratia ſufficiens eſt callidum Pelagianiſmi operculum*. Erravit *Robertus Sarisburienſis*,dum lib.de grat.Chriſti pag.81. ſcripſit: *Illud gratiæ adjutorium, quod dat poſſe, eſt Pelagianum*. Erravit *Petrus Moulin* Enucleat. pag.320. & 337. dum dixit: *An poteſt gratia ſufficiens vocari, quæ nunquam producit effectum, ad quem data eſt .... Nemo poteſt dari in toto Orbe, qui per gratiam illam ſervatus ſit*. Erravit & *Janſenius* lib. 3. de grat. Chriſti cap. 3. ſcribens: *Jam verò quid monſtruoſiùs proferri poteſt, quàm quoddam diſtinctum à cæteris adjutoriis genus, quòd numquam ab initio lapſus humani uſque ad judicii diem, ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum eſt. Defendit quippè aliquando S. Auguſtinus illud adjutorium partim in Angelis, & hominibus primis ante peccatum .... Sed numquam eo abſurditatis, ut illud, vel ſemper effectu ſuo careret, propter quem datur, vel id auxilium, quod re ipſa influeret cum voluntate, ab eo, quòd non influeret, ita ſeparandum eſſe decerneret, ut illud efficax,*

hoc

hoc ſufficiens vocaretur . . . . . Itaque à Recentioribus prolatum gratiæ ſufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum, aut fiet unquam, ſi eſt verum, diſtinctumque à gratia efficaci membrum, videtur monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, ſolummodò peccatis faciendis, majorique damnationi accerſendæ ſerviens; ideòque lapſis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitatum.

18. Erravit *Janſenius* denuò gratiam ſufficientem increpans, objurgans, & accuſans: *Non tantùm hominibus inutilis eſt*, ait dicto lib. 3. de grat. Chriſti cap. 2. *ſed & pernicioſa. Et verò, quid homini miſero pernicioſius, quàm illâ gratiâ abundare, quâ nemo unquam, fatentibus etiam Scholaſticis, niſi majorem damnationem aſſecutus eſt?* Et ſuprà cap. 1. dicens: *Gratia ſufficiens non eſt formaliter, ſeu in eſſe gratiæ diſtincta a gratia legis, & doctrinæ, neque eam verè in ſenſu Theologico excedit.*

19. Sic gratiam ſufficientem erroneam, inutilem, pernicioſam, monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, non differentem à lege, & doctrina pronuntiat: cùm tamen gratia ſufficiens catholicè inter duos extremos errores *Calvini*, & *Pelagii* incedat. Legem obligare ad impoſſibilia, eſt *Calvini* hæreſis: per legem fieri nobis poſſibilia opera ſalutaria, eſt hæreſis *Pelagii*. Orthodoxa veritas docet cum *Concilio Tridentino* ſeſs. 6. cap. 11. *Deum impoſſibilia non jubere*; & quòd *jubendo monet, & facere quòd poſſumus, & petere quòd non poſſumus, & adjuvat, ut poſſimus*; non per legem jubendo monentem, ſed per gratiam *Chriſti*, ſine qua nihil facere poſſumus, ut oportet. At è contra hanc gratiam ſufficientem conſtantiſſimè propugnant, palàm docent, clamant, & ſcribunt omnes Thomiſtæ. Eminentiſſimus *Cajetanus* 1. ad *Cor.* cap. 10. exponens verba *Apoſtoli. Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*, ſic habet: *Dixit Apoſtolus, ut poſſitis ſufferre; & non dixit, ut ſufferatis: ſatis enim eſt fidelitati divinæ, ut tribuat poſſe ſufferre. Velle autem ſufferre, & ipſum ſufferre, alterius gratiæ eſt, quæ electis confertur, & non omnibus communis.* Quod ſanè conſonat doctrinæ Angelici Præceptoris loco citato dicentis: *Non videretur fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem filii Dei, & nobis denegaret, quantùm in ipſo eſt, ea per quæ ad eum pervenire poſſumus.* Mag. *Bañez* 1. part. quæſt. 23. art. 3. *Nemo*, inquit, *peccat propterea quòd non facit, quod facere non poteſt. Homo, cui nihil aliud datum eſt, quàm quòd ad naturam humanam pertinet, non habet undè poſſit cognoſcere, vel operari ſupra naturam: ergo non peccat non operando aliquid ſupernaturale . . . . . Neceſſe eſt, ut de facto recipiat aliquam divinam inſpirationem illuminantis Dei, aut vocantis. Cabrera* 3. p. q. 18. art. 4. dub. 3. *Divinum auxilium actuale convenienter dividitur in auxilium ſufficiens tantùm, quo ſcilicet poſſit operari homo, & in auxilium efficax, quo de facto operetur. Medina* 1. 2. quæſt. 109. art. 10. *Homo viator poteſt ad Deum converti, ex quo evidenter ſequitur, quod in hac vita habet auxilium gratiæ neceſſarium, & ſufficiens ad ſalutem conſequendam. Cabezudo* 3. part. ad quæſt. 86. *Omnis homo, dum eſt in via,*

poteſt

poteſt ſimpliciter loquendo pœnitentiam agere de peccatis, atque adeò omnibus dantur auxilia ſufficientia. Laudari poterant & alii Scholæ Thomiſticæ Theologi. *Alvarez* lib. 8. de auxiliis diſp. 71. n. 12. *Zumel* 1. 2. quæſt. 109. art. 8. & latiſſimè tom. 3. variar. diſputat. ad 1. & 1. 2. tota diſp. 4. *Ledeſma* tract. de auxiliis quæſt. unic. art. 5. & 16. *Ferre* 1. part. tom. 2. de volunt. Dei quæſt. 6. Illuſtriſs. *Godoy* 1. part. diſp. 52. & diſp. 50. M. *Bolivar.* tom. 2. de grat. Chriſti cap. 8. Et ſexcenti alii, qui in propriis locis videri poſſunt. Quarè ut rectè obſervat M. *Gonet* tom. 4. de grat. diſp. 3. art. 3. num. 31. *Vtramque ſemper Schola Thomiſtica conſtanter docuit, & prædicavit, ac indefeſſo labore ab ortu ſuo per quatuor ſæcula non minùs fortiter, ac generosè pro ſufficienti, quàm pro efficaci gratia decertavit. Hæc eſt doctrina, quam ſuxit in ſuis cunabulis ab uberibus Angelici Doctoris, cum qua adolevit, & crevit: & cum qua ſemper gloriosè vivet, & vincet, palmæque inſtar altiùs inclinata reſurget, nec portæ inferi prævalebunt adversùs eam.* Etenim quò magis Hæretici erroris ſui machinas contra ipſam admovent, fortior, & conſtans erit Thomiſtica Schola in ipſa confitenda, cùm contemptu, ac riſu ſit dignior illorum contradictio, quàm longiori refutatione.

§. II.

Quædam Caduciferi *cogitatio refellitur.*

20. AD majorem gratiæ ſufficientis diſcuſſionem faciendam, etſi ex modò dictis jam ſatis abundè concluſa videatur præſens diſſertatio, me compellit, quod *Caducifer* ſcripſit part. 2. punct. 6. num. 96. Hìc enim, poſtquàm ſtatuit, quòd de hac gratia ſufficienti ritè admittenda, & explicanda mille lites exſurrexerint; quòd *Lutherus*, *Calvinus*, *Janſenius* omnem omninò gratiam ſufficientem, quæ effectum non ſortiatur, exploſerint, ac extermináriat; & tandèm quòd contra omnes iſtos Hæreticos ſententiam damnationis edixit Eccleſia; & acriter pugnat agmen Jeſuitarum, & Thomiſtarum, licèt diverſo genere armorum: diverſum hoc armorum genus, ſequentibus verbis exponit: *Siquidèm Jeſuitæ dant gratiam purè ſufficientem, quæ ita conſtituat veram, & proximam potentiam operis ſalutaris faciendi, ut re ipſa faceret accedente dumtaxat conſenſu libero voluntatis. Thomiſtæ verò in ſua gratia ſufficienti, quæ det verum poſſe ad actum plùs collaborant, eo quòd in eorum ſententia repugnat, quòd talis gratia ſufficiens, ſine ulteriori gratia prædeterminante actum ponat. Itaque notio legitima illius gratiæ purè ſufficientis, quam uſurpant Thomiſtæ, in eo ſtat, & explicatur ab ipſis, quòd ſit gratia poſſibilitatis, & non actionis, & cum qua poteſt homo benè operari; ſed numquàm tamen benè operabitur, niſi alia ex parte Dei accedat gratia per ſe efficax, ac phyſicè prædeterminans voluntatem hominis ad actu agendum. Indè inferunt Thomiſtæ gratiam ſufficientem naturâ, & entitate ita diſtingui à gra-*

tia

tia per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ut numquàm ſe ſola poſſit evadere efficax, atque licèt conferat poſſe operari; numquàm tamen in tanta hominum multitudine, qui hactenùs vixerunt, vel deinceps victuri ſunt, ullus fuerit, nec in tota ſucceſſione temporum erit unquam, qui cum ſola gratia ſufficienti bonam, ac perfectam operationem ediderit, aut ſit editurus. Adduntque perfectam, quia tali gratiæ duplicem effectum aſſignant, ſcilicèt primarium, quem ex voluntate Dei conſequenti, quæ ſemper impletur, ſemper producit, conſiſtentem, in quadam debili, & imperfecta volitione, aut inclinatione. Et effectum ſecundarium, qui eſt conſenſus ſalutaris, ad quem talis gratia data eſt, & quem ponere numquàm poterit ſine alia ulteriori gratia, quæ ſit phyſicè prædeterminans.

21. Neſcio, an excuſſabili mentis hallucinatione deceptus hæc Caducifer ſcripſerit, tàm porrò diſſita à ſenſu, veraque intelligentia Thomiſtarum aſſerentium, quòd gratia poſſibilitatis datur à Deo homini ex ſincera intentione dandi etiam gratiam ulteriorem efficacem *ex ſe*, ſicque perficiendi in nobis boni, per gratiam ſufficientem inchoati, ut inquit S. *Auguſtinus* in Enchirid. cap. 32. *Reſtat ergo, ut totum detur Deo, qui bonam hominis voluntatem præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*; nempè niſi homo huic gratiæ, ſicut poteſt, deſit, & reſiſtat: ut inquit Auctor lib. 2. de vocat. omnium gentium cap. 26. *Generalis illa opitulatio per innumeros modos, ſive occultos, ſive manifeſtos, omnibus adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quòd autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt Divinæ, & voluntatis humanæ.* Eſt namquè gratia iſta ſufficiens vera gratia ſalutis; quâ fit, ut ſalutariter operari poſſimus; quâ Deus ſtat ante animæ oſtium, & pulſat, dicens: *Si quis aperuerit mihi oſtium, ingrediar ad eum.* Sicut enim Solis ſplendor clauſis feneſtræ valvis introire prohibetur, patentibus verò totus immittitur, ſic Sol Divinus ſemper ut illuminet, promptus eſt; ſed lumen ſibi domus ipſa animæ noſtræ obſeratis aditibus excludit. Hinc fit, ut ea gratia in multis effectum ſuum etiam ultimum, & perfectum habeat, in illis ſcilicèt, qui à ſufficiente non deficiunt; in pluribus verò hunc effectum non habet, quia plures ei gratiæ ſufficienti, ſuâ culpâ deſunt, eique reſiſtunt.

22. Quid ergo gratia ſufficiens Thomiſtica ſic explicata habet duritiei, & rigoris? Immò longè præcellit, & præſtantior, ac æſtimabilior eſt, quàm gratia incongrua, ſeu inefficax Jeſuitarum: quòd non difficulter probari valet. Sed priùs notandum, quantùm Caducifer illudat ſuis Lectoribus pag. 305. in fine num. 95. his verbis: *Sed hæc eadem gratia potens viribus pleniſſimis ad effectum, (& quæ ſufficiens dicitur ſolùm relatè ad illam ab intrinſeco efficacem) juxta Jeſuitas eſt gratia, quæ ſi accedat conſenſus liberi arbitrii, dicitur gratia congrua, & efficax; ſi verò reſpuatur ab illo, dicitur incongrua, & inefficax: invaluit autem iſte loquendi modus, ut illa gratia, quæ non obtinet conſenſum, apud Jeſuitas plerumque dici gratia inefficax ſoleat, apud Thomiſtas*

verò

verò merè ſufficiens. En quàm fidenter aſſerit, quòd gratia incongrua Jeſuitarum dici ſoleat apud Thomiſtas merè ſufficiens: ac ſi una & eadem entitas in diverſis Scholis diverſa ſolùm habeat nomina: quod falſiſſimum eſt; quia Thomiſtæ averſantur, nedùm nomen, ſed entitatem ipſam gratiæ incongruæ, quæ talis eſt, ut nequidèm poſſit habere effectum ſuum: quâ ratione gratia ſufficiens Thomiſtica longè præſtat incongruæ Jeſuiticæ. Etenim gratia ſufficiens Thomiſtica datur à Deo ex ſincera intentione efficiendi in nobis boni incepti: cùm ſit effectus voluntatis Dei antecedentis, vel conſequentis, ſinceræ ſemper, & beneplaciti, ut diximus ex D. *Thoma*: niſi ſpontè deficiamus ab hac gratia, eique, ut poſſumus, reſiſtamus. Et hoc modo immensùm disjungunt ſe Thomiſtæ, nedùm à *Janſenii* parvis, & imperfectis gratiis, verùm à gratia Jeſuitica incongrua, quæ ex hac intentione non datur; cùm hoc ſit caractheriſticum eorum gratiæ congruæ: aſſerunt quippè quòd poſitâ ſcientiâ conditionalium, Deus, ex ſincero propoſito, atque intentione efficiendi nobiſcum in nobis boni, de induſtria ipſe ea media ſeligit, atque eo modo, & tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura: atque hæc eſt gratia Jeſuitarum congrua.

23. Rursùs gratia ſufficiens Thomiſticè & poteſt habere effectum, immò ſæpiſſimè habuit, habet, & ſæpiſſimè habitura eſt, etiam ultimum, & perfectum effectum, dùm ei ſupervenit efficax: quod totiès fit, quotiès homo ab illa gratia non deficit, aut non reſiſtit, quod ſæpiſſimè fit. Econtrà gratia incongrua Jeſuitarum nec habet umquàm ſuum effectum, ſaltèm ultimum & perfectum, nec habuit umquàm, nec habitura eſt, immò nec habere poteſt. Quis enim cum gratia incongrua umquàm operatus eſt, aut operatur, aut operabitur? Immò quis poteſt cum illa operari, quæ incongrua eſt ad operandum? Et ratio eſt evidens; quia nullus operabitur umquàm, nec poteſt operari, qui habet impedimentum ex parte potentiæ operativæ; atqui tale impedimentum habet homo, cui Deus ab æterno decrevit ſolùm dare gratiam incongruam: ergò cum tali gratia eſt impotens ad operandum. Minor ex doctrina ipſius Caduceatoris probatur; aſſerit enim, quòd decretum Dei, quo ſtatuitur unum, eſt impedimentum ex parte potentiæ. Sic expreſsè pag. 296. num. 84. *Quandò potentiæ liberæ ſubjecti adjungitur prædeſtinatio, tunc non datur poteſtas ad moriendum in peccato mortali in ſenſu compoſito talis prædeſtinationis: quæ ex parte potentiæ ſe habet inſtar impedimenti*, id eſt, quòd ſtante prædeſtinatione non ſit in prædeſtinato potentia ad moriendum in peccato, qualitercumquè mors conſideretur, ſive ut actu conjungenda cum prædeſtinatione, ſive ut abſolutè conſiderata: licèt ipſe hunc ſenſum per teterrimam calumniam affingat *S. Thomæ*. Ratio, quòd ſic debeat Auctor ille intelligi, eſt, quòd primò poſuerit reſpectu libertatis radicalis diſtinctionem ſenſûs compoſiti, & diviſi ſenſu Thomiſtarum: poſteà verò agens de exercitio libertatis, dicit in illo primum ſenſum locum non habere, ſed alium ſecundum anteà dictum, qui ipſe Calviniſticus ſenſus eſt: ergò cui Deus ab æterno decrevit ſolùm dare gratiam incon-

congruam, impotens eſt ad operandum, cùm habeat impedimentum ex parte potentiæ.

24. Et tandem, quia Deus conferens auxilium inefficax, in ſenſu Scholæ Jeſuitarum, confert aliquid indifferens ad peccatum, ut aſſerit *P. Marin* tract. 15. de ſpe diſp. 4. ſect. 6. num. 83. his verbis: *Deindè Deus non eſt cauſa per ſe peccati, eo quòd ponat aliquid indifferens ad peccatum ex juſta cauſa, ut patet in collatione auxilii inefficacis*; at gratia ſufficiens Thomiſticè non datur à Deo, ut indifferentes ſimus ad peccandum; quòd enim peccare poſſimus ex nobis eſt; ut ſuprà diximus: ſed ut reſiſtere poſſimus peccato ex gratia Dei: & ita contra peccatum largitur nobis vis gratiæ, quâ uti in peccando non poſſumus: ergo gratia ſufficiens Thomiſticè longè præſtat gratiæ incongruæ Jeſuiticæ Scholæ. Quarè ad alterum reſolutionis noſtræ caput deveniamus.

DUBIUM II.

An ex voluntate antecedente, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri, detur omnibus gratia ſufficiens ad ſalutem?

§. I.

1. UT ad propoſitum applicemus, illud conſtantiſſimum apud omnes eſt, quòd in Deo alia dicitur voluntas efficax, alia inefficax. Voluntas efficax eſt actus, quo Deus vult exiſtere creaturam, ex vi cujus manet omninò determinatus ad illius exiſtentiam, ad quam proindè infallibiliter effectus ſequitur, ut conſtat ex Sacra Scriptura dicente *Iſaiæ* 46. *Conſilium meum ſtabit, & mnis voluntas mea fiet*. Et 14. *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Eſther*. 13. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati*. Et Pſal. 113. *Omnia, quæcumque voluit, fecit*. *Eccleſiaſtic*. 8. *Omne, quod voluerit, faciet*. *Daniel*. 14. *Juxta voluntatem ſuam facit, tàm in virtutibus Cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non eſt, qui reſiſtat manui ejus, & dicat ei, quarè feciſti? Rom*. 9. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Alia dicitur voluntas inefficax, quâ Deus vult exiſtentiam creaturæ, ex vi cujus licèt aliqualiter determinetur ad illius productionem, poteſt tamen conjungi cum non exiſtentia cteaturæ; undè non ſemper impletur, ut dicitur *Ezech*. 24. *Volui te mundare, & non es mundata*. Quæ diviſio voluntatis divinæ coincidit cum aliâ ex *Chryſoſtomo* Homil. in Epiſt. ad *Epheſ*. Et ex *Damaſceno* in lib. 2. de fide cap. 29. nempè in voluntatem antecedentem, & conſequentem; quæ tamen diſtinctio, ut inquit *D. Thomas* 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. non accipitur ex parte ipſius voluntatis divinæ, in qua nihil eſt prius, vel poſterius,

rius, ſed ex parte volitorum, quæ conſiderari poſſunt ſecundùm ſe abſolutè, vel conſideratis circumſtantiis, ut ibi explicat *D. Thomas*, dicens: *Ad cujus intellectum conſiderandum eſt, quòd unumquodque ſecundùm quòd bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo. Aliquid autem poteſt eſſe in prima ſui conſideratione, ſecundùm quòd abſolutè conſideratur, bonum, vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto conſideratur, quæ eſt conſequens conſideratio ejus, è contrario ſe habet: & quia hæc conſideratio rei eſt prior ipſa, ideò appetitus rei illo modo conſideratæ, dicitur voluntas prima, ſeù antecedens; & dum conſideratur ſub omnibus circumſtantiis, appetitus illius dicitur voluntas conſequens, quæ voluntas conſequens ſemper impletur*, ut docet idem *D. Thomas* in 1. diſt.47. art.1. & 2. *Quidquid Deus vult voluntate conſequente, totum fit*. Et cap. ultimo Compend. Theolog. *Divinum beneplacitum eſt efficax ad implendum omne, quod diſponit*. Quòd & docet *D. Hieronymus* lib.5. & 6. ſuper illud cap. 14. Iſaiæ: *Hoc conſilium, quod cogitavi*, &c. *Sola perfecta virtus in nullo impeditur, quominus quod velit, & faciat* dicit Hilarius in Pſal. 134. Et *D. Auguſtinus* in Enchir. cap.96. *Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt, neque voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus*.

2. Secundò, ut certum de fide debet ſupponi, dari in Deo voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines, ut conſtat ex Sacris Scripturis, *Ezech.* 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* Et verſ.32. *Quarè moriemini Domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite*. Et *Iſaiæ* 5. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Et *Matth.* 11. verſ.28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Et cap.18. *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis*. Et 2. *Petri* 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Et 2. ad *Theſſal.* 2. verſ. 11. *quòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris*. Eſt tandem celebris locus *Pauli* 1. ad *Timoth.*2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc negari non poteſt*, inquit Auctor libri vocat. gentium lib.1. cap.1. *nec non eſſe dogma ad Fidem, Catholicamque veritatem ſpectans*. Cap.25. dum dixit, quod eſt, *pars Fidei*. Ex quo lib.2. cap.2. concludit; *& quantò hoc ipſum difficile intellectu capitur, tantò fide laudabiliter credatur*.

3. Hoc apertè pronuntiat *D. Auguſtinus*, quidquid in oppoſitum reclamet *Janſenius* lib. 3. de grat. Chriſti Salv. cap.20. dicens: *Auguſtinus in ſcriptis ſuis univerſis, talem voluntatem, quâ velit Deus omnes homines ſalvos fieri, nunquam ab initio converſionis uſque ad vitæ terminum agnovit, ſed ſemper conſtanter impugnavit*. Et iterum ibi: *Hinc etiam fluit..: Quod nunquam* (Auguſtinus) *locum illum Apoſtolicum, Deus vult omnes ſalvos fieri, extendi paſſus fuerit; ſed ſemper.*

per.

per ..... ita intelligendum eſſe contenderit, ut in ſolis prædeſtinatis effectum ſuum voluntas illa ſortiretur. Sed expreſſiùs eodem cap. 21. *Nullo modo principiis ejus* (Auguſtini) *conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium, æternâ ſalute mortuum eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur.* Et ulteriùs ibidem: *Sicut ergo*, ait Janſenius, *non voluit* (Auguſtinus) *voluntatem Dei ad ſalutem omnium omninò hominum extendi, ſed illorum dumtaxat qui ex omni gente, & linguâ, & omni hominum genere prædeſtinati ſunt; ita nec voluit, effectus illius voluntatis, hoc eſt, mortem, ſanguinem, redemptionem, propitiationem, orationem Chriſti ad omnes homines dilatari, ſed ad illos ſolos, qui prædeſtinati ſunt, quatenus pro æterna, & totali ipſorum ſalute offeruntur.* Hæc *Janſenius*. Sed *Janſenio* non ſolùm opponimus *Auguſtinum*, ſed D. *Proſperum*, quem ipſe ut fideliſſimum *Auguſtini* Diſcipulum veneratur, & colit lib. de grat. Chriſti cap. 13. dum affirmat; *Proſperum eſſe acerrimum, & accuratiſſimum doctrinæ Auguſtini defenſorem, nec ab ejus tramite, quantùm ad gratiam, vel liberum arbitrium attinet, vel latum unguem diſceſſiſſe.* Et quidem primò *Auguſtinus* lib. de Catechiz. Rudib. num. 52. dicit: *A quo interitu, hoc eſt, pœnis æternis, Deus miſericors volens homines liberari, ſi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Unigenitum filium.* Et clariùs lib. de Spirit., & litt. cap. 33. *Vult autem Deus, omnes homines ſalvos fieri, & in cognitionem veritatis venire: non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur; quod cum ſit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelium non credunt, nec ideò tamen eam vincunt, verùm ſe ipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* En ubi clariſſimè elucet voluntas antecedens, fatente ipſo *Janſenio*, qui hoc teſtimonio convictus lib. 2. de grat. Chriſti cap. 3. affirmat: *Quod ita manifeſtum eſt, ut mihi prodigii loco ſit, quomodò in mentem alicui erudito venire poſſit, verba illa Auguſtini ſenſum continere.* Sed à luce teſtimonii oculos avertens reponit, non ibi *Auguſtinum* ex propria mente, ſed ex aliorum loquutum fuiſſe, ſequentibus verbis: *Non tradere doctrinam ſuam, ſed adverſariam; non docere, ſed diſputare; non aſſerere, ſed refellere: adeoque mirabili hallucinatione Recentiores noſtros objectionem pro ſolutione, Pelagianam reſponſionem pro Auguſtini doctrina, errorem pro veritate accepiſſe.* Quis hìc non miretur egregiam *Janſenii* deceptionem *Auguſtino* injuriam, & contumeliam iſtam imponentis? Et unde adeò conſpicuam ſibi excuſationem hauſit *Janſenius*? Cur *Pelagii*, non *Auguſtini* vult verba eſſe, aut quâ auctoritate illa ad proprium errorem detorquet? Immo nulla cauſa eſt, ut ab *Auguſtino* ſententia illa removeatur; cùm clariſſimâ luce demonſtrari poſſit, antecedentem voluntatem expreſsè propugnari à S. Doctore, & Deum non ſolos illos

velle ſalvos fieri, qui re vera ſalvantur; cùm ſimili ratione, & ſenſu penitus eodem id toties repetat *Auguſtinus*. Audiendus S. Doctor lib.1. retract. cap. 20. *Quod dixi illud lumen .... paſcis pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt, ſi velint; non exiſtiment novi Hæretici Pelagiani, ſecundùm eos eſſe dictum. Verum eſt enim, omnes homines hoc poſſe, ſi velint; ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis*. Et lib.1. ad Simplicianum q.2. *Noluit Eſau, & non cucurrit; ſed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi, vocatione contemptâ, reprobus fieret*. Et Enchiridii cap.93. Super illud *Matth.* 11. *Væ tibi Corozaim*, ſic ſcribit *Auguſtinus*: *Deus non injuſtè voluit ſalvos fieri, cum poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent*. En in productis teſtimoniis expreſſa voluntas ſalvandi omnes homines innixa conditioni, *ſi & ipſi velint*. Licet quòd *ipſi velint*, ex Deo ſit. Quod maximè in his SS. Patrum teſtimoniis notandum, nec non in veteribus Theologis, qui hâc intèrdum locutione utuntur; ſicut & *D. Thomas*, qui tamen in Summa hunc loquendi modum omiſit, ut obſervat *Eſtius* in cap.2. *Epiſt.* 1. *ad Timot. Notandum*, inquit ille, *quòd voluntatem antecedentem exprimunt interdum Doctores per illam phraſim, quantum eſt in ſe, paratus eſt omnibus dare gratiam, quia vult omnes homines ſalvos fieri. Nam quòd loquatur de voluntate antecedente ſeu præveniente peccatum quo gratiæ Dei ponitur impedimentum, patet .... Significat ergo quòd ſi peccatum non interveniſſet, omnes habuiſſent gratiam, & perveniſſent ad ſalutem. Verum quoniam illud quod dicitur, Deum quantum eſt in ſe velle omnes homines ſalvos fieri, & paratum eſſe ad dandam omnibus gratiam, vulgo accipi ſolet, (modo ipſi velint) idcirco idem S. Doctor in Summa, ubi exactiùs loqui ſolet; abſtinuit ab eâ phraſi, nolens cuiquam occaſionem errandi præbere*. Hujus etiam voluntatis antecedentis meminit in Enchir. cap.100., & 12. de Civit. Dei cap.13., & lib. contra *Adimantum*, & ſerm. 26. de diver. Quid ergo certius in littera *D. Auguſtini*, quàm dari voluntatem antecedentem?

4. Sed ne id in dubium revocetur, hoc efficaciſſimè conſtituitur, cùm tam evidenter aſſerat *Auguſtinus*, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, & quòd velit omnes homines ſalvos fieri; quod non obſcurè exprimunt verba illius ſuper Pſal. 95. *Judicabit Orbem terrarum in æquitate: non partem, quia non partem emit, totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit*. Et dum lib. 2. de Symbolo ad Catechum. cap.8. Chriſtum loquentem Judæis, & Crucifixoribus introducit: *Videtis vulnera, quæ inflixiſtis, agnoſcitis hoc latus, quod pupugiſtis, quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis*. Et iterum ſerm. 4. de Sanct. nunc 382. Chriſtum orantem pro inimicis nòbis proponit, dicens: *Quando Chriſtus in Cruce pendens orabat, & prævidebat omnes inimicos; ſed multos ex illis amicos futuros prævidebat, & ideo omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant, & ille ora-*

orabat. Illi dicebant Pilato: Crucifige, ille clamabat: Pater ignoſce illis. Et Pſal.56. *ille* (Chriſtus) *ſic voluit mori, ut ſanguine ſuo effuſores ejuſdem ſanguinis redimeret.* Sed magis firmatur, & mihi ineluctabiliter, dum exponens illud Apoſtoli; *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt*, ſic habet: *Ex hoc probavit* (Apoſtolus) *omnes mortuos eſſe; quia pro omnibus mortuus eſt unus. Inculco, infercio recuſanti, accipe, ſalubre eſt, nolo moriaris; unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Vide, quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt.* Quæ omnia apertiſſimè includunt voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines; quam ampliùs negare, eſſe de mente *Auguſtini*, maximæ cæcitatis argumentum erit.

5. Scio quòd magnus iſte gratiæ defenſor teſtimonium *Apoſtoli* aliquando intellexit de voluntate conſequente, tres exhibens explicationes. Prima eſt, quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quia nempè nullus ſalvabitur, niſi quem Deus voluerit. Ita de *Prædeſt.SS.cap.*8. *num.*14. dicens: *Et tamen ſecundùm quemdam modum, omnes Pater docet venire ad ſuum Filium. Non enim fruſtrà ſcriptum eſt in Prophetis*, ET ERUNT OMNES DOCIBILES DEI. *Quod teſtimonium cùm præmiſiſſet, tunc ſubdidit.* OMNIS, QUI AUDIVIT A PATRE, ET DIDICIT, VENIT AD ME. *Sicut ergo integrè loquimur, cùm de aliquo litterarum Magiſtro, qui in Civitate ſolus eſt, dicimus: omnes iſte hic litteras docet; non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab illo diſcit, quicumque ibi litteras diſcit: ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Chriſtum; non quia omnes veniunt, ſed quia nemo alitèr venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apoſtolus, quantum aperiendum judicavit:* QUIA VOLENS OSTENDERE IRAM, ET DEMONSTRARE POTENTIAM SUAM, TULIT IN MULTA PATIENTIA VASA IRÆ, QUÆ PERFECTA SUNT IN PERDITIONEM, ET UT NOTAS FACIAT DIVITIAS GLORIÆ SUÆ IN VASA MISERICORDIÆ, QUÆ PRÆPARAVIT IN GLORIAM. *Hìnc eſt, quòd verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt: his autem, qui ſalvi fiunt, virtus Dei eſt. Hos omnes docet venire ad Chriſtum Deus; hoenim omnes vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et lib.4. *cont. Jul.* id ipſum docet cap.8. num.44. *Quod Apoſtolicum teſtimonium, ſi eo modo intelligendum putas, ut dicas, omnes poſitos eſſe pro multis, qui juſtificantur in Chriſto* (*multi quippe alii non vivificantur in Chriſto:*) *reſpondebitur tibi, ſic etiam illic, ubi dictum eſt*, OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI, ET IN AGNITIONEM VERITATIS VENIRE; *omnes poſitos eſſe pro multis, quos ad iſtam vult venire. Quòd multò convenientiùs propter hoc intelligitur dictum, quia nemo venit, niſi quem venire ipſe voluerit.* NEMO POTEST VENIRE AD ME, *inquit Filius*, NISI PATER, QUI MISIT ME, TRAXERIT EUM. *Et*, NEMO POTEST VENIRE AD ME, NISI FUERIT EI DATUM A PATRE MEO. *Omnes ergo qui ſalvi fiunt, & in agnitionem veniunt veritatis, eo volente ſalvi fiunt, eo volente veniunt. Quia, & qui nondùm ſicut parvuli utuntur voluntatis arbitrio, eo volente, regenerantur, quo creante generantur, & qui*

& qui jam utuntur voluntatis arbitrio, niſi eo volente ac ſubveniente, à quo præparatur voluntas, velle non poſſunt. Eodem ſenſu loquitur Epiſt. 217. cap. 6. n. 19. *Sed ſicut illud, quod dictum eſt* 1. *ad Cor.* 15. 22. OMNES IN CHRISTO VIVIFICABUNTUR, *cum tàm multi æternâ morte puniantur, ideo dictum eſt, quia omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt niſi in Chriſto: ita quod dictum eſt*, OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI, *cùm tàm multos nolit ſalvos fieri, ideò dictum eſt, quia omnes, qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt; etſi quo alio modo illa verba Apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen huic apertiſſimæ veritati, in quâ videmus tàm multos, volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſalvos non fieri, contraria eſſe non poſſunt.*

6. Secunda *Auguſtini* interpretatio, ſumit *ly omnes* per diſtributionem, & univerſitalitatem incompletam pro generibus ſingulorum, non completam pro ſingulis generum. Ita ut Deus non velit ſalvare omnes, & ſingulos ex omni genere, nullo dempto, ſed ex omni genere Nationum, conditionum, ſtatuum velit ſalvare aliquos. Eodem clarè ſenſu, quo dicitur: *Omne animal fuit in arca Noe*; *omnis Hieroſolyma exiit ad Joannem*; eâdem planè ſignificatione, quâ eôdem locô vult *Apoſtolus* nos ORARE IN OMNI LOCO; non certè in omnibus, ac ſingulis, in quibus adeſſe non poſſunt, ſed in quibuslibet indiſcriminatim, nullâ exceptâ conditione locorum. Hanc interpretationem, tradit *S. Auguſt.* in Enchirid. cap. 103. *Cùm audimus*, inquit, *& in Sacris Litteris legimus, quòd velit omnes homines ſalvos fieri, quàmvis certum ſit nobis, non omnes homines ſalvos fieri, non tamen ideò debemus Omnipotentiſſimæ Dei voluntati aliquid derogare, ſed ita intelligere, quod ſcriptum eſt: qui omnes homines vult ſalvos fieri, tanquàm diceretur: nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem fieri ipſe voluerit: non quòd nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit: ſed quòd nullus fiat, niſi quem velit, & ideò ſit rogandus ut velit: quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit &c.* Et paulo poſt: *Aut certè*, inquit, *ſic dictum eſt qui* OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI; *non quòd nullus hominum eſſet, quem ſalvum fieri nollet.... ſed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus, per quaſcumque differentias diſtributum, Reges, Privatos, Nobiles, Ignobiles.... in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus... Iſto locutionis modo & Dominus uſus eſt in Evangelio, ubi ait Phariſæis* (*Lucæ* 11. *v.* 42.) DECIMATIS MENTHAM, ET RUTAM, ET OMNE OLUS. *Neque enim Phariſæi, & quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hìc, omne olus, omne olerum genus: ita & illic omnes homines, omne hominum genus intelligere poſſumus* &c. Ita *S. Auguſt.*

7. Tertiam interpretationem loci *Apoſtoli* tradit *Sanct. Auguſt.* lib. *de corrept. & grat.* cap. 15. num. 47. his verbis: *Quia ergo nos, qui ſalvi futuri ſint, neſcientes, omnes, quibus prædicamus hanc pacem ſalvos fieri velle Deus jubet, & ipſe in nobis hoc operatur, diffundendo iſtam charitatem in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui da-*

tus eſt nobis: poſſit etiam, ſic intelligi, quòd omnes homines Deus vult ſalvos fieri; quoniam nos facit velle, ſicut MISIT SPIRITUM FILII SUI CLAMANTEM, ABBA, PATER: *id eſt, nos clamare facientem. De ipſo quippè Spiritu alio loco dicit:* ACCEPIMUS SPIRITUM ADOPTIONIS FILIORUM, IN QUO CLAMAMUS, ABBA, PATER. *Nos ergo clamamus, ſed ille clamare dictus eſt, qui efficit, ut clamemus. Si ergo clamantem Spiritum rectè dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus; rectè etiam volentem Deum, à quo efficitur, ut velimus. Ac per hoc, quia & corripiendo nihil aliud debemus agere, niſi ut ab ipſa pace, quæ eſt ad Deum non recedatur, aut ad eam, qui receſſerat revertatur, nos agamus ſine deſperatione, quod agimus.* Quâ eâdem interpretatione utitur *Sanct. Doct.* lib. 22. de *Civit. Dei* cap. 2. num. 2. dicens: *Multa volunt fieri Sancti ejus ab illo inſpirata ſanctâ voluntate, nec fiunt, ſicut orant... ac per hoc quandò ſecundùm Deum volunt, & orant Sancti, ut quiſque ſit ſalvus, poſſumus illo modò locutionis dicere, vult Deus, & non facit, ut ipſum dicamus velle, qui, ut velint iſti, facit.*

8. Interpretationes iſtas infenſas ſibi maximè habuêre Semipelagiani, quibus voluntas hæc antecedens ſalvandi omnes homines refugium erat, pro qua tuenda ad Textum *Apoſtoli* confugiebant, ut ſic relegarent à Deo voluntatem diſcretivam, ac prædeſtinativam, & ſolùm voluntatem generalem, ac indifferentem, quæ ex prævisione conſenſûs eſſet effectum habitura, in Deo admitterent; redarguentes *Auguſtinum* ex ſumma bonitate, & miſericordia Dei. Hujus fidem facit Sanc. *Proſper* Epiſt. 225. petens ab *Auguſtino*, ut lucidioribus expoſitionibus aperiat, quæ ſcripſerat de hominum diſcretione, de vocatione ſecundùm propoſitum, ac prædeſtinatione electorum, referens *Pelagianorum* querelas num. 4. *Propoſitum autem vocantis gratiæ in hoc omninò definiunt, quòd Deus conſtituerit nullum in Regnum ſuum, niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere, & ad hoc ſalutis donum omnes homines univerſaliter, ſive per naturalem, ſive per ſcriptam Legem, ſive per Evangelicam prædicationem vocari. Et qui voluerint, fiant filii Dei, & inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint, quia juſtitia Dei in eo ſit, ut qui non crediderint pereant; bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter univerſos velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et num. 6. *Pro univerſo autem humano genere mortuum eſſe Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, & neminem prorsùs à redemptione Sanguinis ejus exceptum, etiamſi omnem hanc vitam alieniſſimâ ab eo mente pertranſeat; quia ad omnes homines pertineat Divinæ miſericordiæ Sacramentum, quòd ideò plurimi non renoventur, quia quod nec renovari velle habeant, prænoſcantur. Itaquè quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantùm autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſpontè crediderint, & auxilium gratiæ meritò credulitatis acceperint.* Et Sanctus *Hilarius* de eodem argumento *Auguſtino* ſcribit Epiſt. 226. *Indè eſt*, inquit, *quòd & illud pariter non accipiunt ut eligendorum, rejiciendorumque eſſe definitum numerum nolint, atque illius ſententiæ*

expo-

expoſitionem, non eam, quæ à te eſt deprompta, ſuſcipiant: id eſt, ut nonniſi omnes homines ſalvos fieri velit, & non eos tantùm, qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, ſed omnes omninò, ut nullus habeatur exceptus.

9. Longè etiam ab his *Auguſtini* expoſitionibus ſunt plurimi ex Doctoribus Societatis; *Cornelius à Lapide* in Epiſt. 1. ad *Timoth.* cap. 2. *P. Vazquez* 1. p. q. 19. art. 6. *P. Petavius* tom. 1. Dogm. Theolog. lib. 10. cap. 3. At præſertim *P. Molina* qui hanc *S. Auguſtini* doctrinam, quantùm ad explicationem loci prædicti ad *Timoth.* in quæſt. ex Concord. poſt comm. in 1. par. edit. Lugd. 1593. pag. 856. anni 1622. pag. 800. ſcandali, & periculi ſequentibus verbis inſimulat: *Credens autem Auguſtinus*, inquit, *cum iis quæ de gratia adverſus hæreſim Pelagianam ex ſcripturis rectiſſimè docuerat, conjunctum eſſe, prædeſtinationem Dei æternam non fuiſſe ſecundùm merita, qualitatemque uſus liberi arbitrii, à Deo prævisi, ſed ſolùm ſecundùm Dei electionem & beneplacitum .... juxta eam ſententiam Paulum ad Rom. 9..... interpretatus eſt, reſtrinxitque illud 1. ad Timot. 2. Vult omnes homines ſalvos fieri. ut non de omnibus univerſim hominibus, ſed de ſolis prædeſtinatis intelligeretur* (ecce modò ubi ſcandalum huic explicationi impingit) *quæ doctrina plurimos ex fidelibus, præſertim ex iis, qui in Gallia morabantur, non ſolùm indoctos, ſed etiam doctiſſimos viros, atque in Epiſcopali dignitate conſtitutos, mirum in modum turbavit.* (En quomodò eidem doctrinæ periculum attribuit) *ne dicam illius occaſione ſalutem eorum fuiſſe periclitatam.* Et quam ille doctrinam taxat tanquam periculoſam, fatetur ad finem illius §. *Credens* fuiſſe traditam à *S. Thoma*, & poſt eum à pleriſque Scholaſticis. Quis æquo animo pati, & diſſimulare hoc poterit? Non ſanè mentem *Auguſtini P. Molina*, pace ipſius dixerim, intellexit: quam ſanè egregiè aſſecutus eſt *M. Bolivar* tract. 4. de voluntate Dei dub. 5. §. 2. dicens: *Ibi ſupponebat Auguſtinus, Apoſtolum loqui de voluntate ſimpliciter tali, qualibus eſt illa, quam habet Deus erga prædeſtinatos, quam volebant extendere Hæretici ex Pelagio ad cunctos homines, etiam reprobos, ut diſcretio in ordine ad ſalutem, non ex omnipotentiſſima voluntate Dei, ut volebat Auguſtinus, ſed ex libero arbitrio eſſet, ut ipſi contendebant: quibus ſe opponens, & cum ipſis ſupponens, ſermonem eſſe de voluntate ſimpliciter tali, optimè interpretatus eſt locum Pauli de voluntate Prædeſtinatorum propria, ut in illam contra Hæreticos diſtinctionem Prædeſtinatorum à reprobis reduceret; quod non tollit, quominus locus Pauli univerſaliter acceptus de voluntate inefficaci intelligatur, dummodo alia ſpecialior, & quæ ſimpliciter ſit talis, & omninò invincibilis erga prædeſtinatos non negetur.* Quod firmat ex *Auguſtino* lib. ad articulos ſibi falsò impoſitos, art. 2. ibi: *Remotâ tamen hâc diſcretione, quam divina ſcientia intra ſecretum juſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſimè credendum eſt, atque profitendum, Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant, ſiquidem Apoſtolus, cujus iſta eſt ſententia ſollicitè præcepit, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur. Ex quibus, quòd multi pereunt, pereun-*

reuntium eſt meritum; quòd multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum; ut enim reus damnetur, inculpabilis eſt Dei juſtitia, ut autem reus juſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt. En cur *S. Auguſtinus* contra *Pelagianos* agens, minimè diſtinguentes inter voluntatem antecedentem, & conſequentem; quia nempè aſſerebant, Deum abſolutè velle omnes homines ſalvos fieri, id eſt non magis hos quàm illos, prædeſtinatos, quàm reprobos; prædeſtinationem negantes, & totum negotium ſalutis voluntati dimittentes, profundè inſignem hunc *Pauli* locum exponit de voluntate conſequente; non quòd negaverit ipſe voluntatem antecedentem.

10. At Thomiſtis expoſitiones iſtæ non peregrinæ, & extortæ, non præter mentem *Apoſtoli*, non ad eludendum excogitatæ videntur; nec erga eas diverſus eſt *Auguſtino* Thomiſtarum animus. Videantur *Mag. Lemos* Panopl.grat. tract.11.cap.14. *Gonzalez de Albelda* 1.p.Diſp.56. ſect.1. Sed quid hos commemoro? Id ipſum planè ſentiunt omnes, cum ſuo *Angelico Magiſtro*, cui mirum quantæ fuerint venerationi, quàmque eas reverenter admiſerit & approbaverit. Audiendus *Sanctus Doctor* 1. part. q.19. art. 6. *Ad primum ergo dicendum quòd illud verbum Apoſt. Quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri, poteſt tripliciter intelligi: uno modo, ut ſit accommoda diſtributio, ſecundùm hunc ſenſum, Deus vult ſalvos fieri omnes homines, qui ſalvantur: non quia nullus homo ſit, quem ſalvum fieri non velit, ſed quia nullus ſalvus ſit, quem non velit ſalvum fieri, ut dicit Auguſt. Secundò poteſt intelligi, ut fiat diſtributio pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum; ſecundùm hunc ſenſum, Deus vult de quolibet ſtatu hominum ſalvos fieri, mares, & fœminas, Judæos, & Gentiles, parvos, & magnos: non tamen omnes de ſingulis ſtatibus.* Et in 1. diſt.46. 1. artic.1 ad 1. *Dicendum, quòd, ſecundùm Damaſcenum, verbum Apoſtoli intelligitur de voluntate antecedenti, & non de conſequente; ſed ſecundùm Auguſtinum intelligitur de conſequente: unde exponit eam dupliciter. Uno modo, ut ſit diſtributio accommoda pro omnibus, qui ſalvantur, ut in littera dicitur. Alio modo ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, quia de qualibet conditione hominum aliquos prædeſtinavit ad vitam, & non pro ſingulis generum.* Eandem intelligentiam dat, & approbat 1. *ad Timoth.* cap.2. lect. 1. ſuper illud. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*, ubi primum ſibi ſequens proponit argumentum. *Sed contra: Omnia quæcumque voluit fecit, ergo omnes ſalvat. Sed ſi dicis, quòd non, quia homo non vult, videtur inconveniens, quòd omnipotens impediatur per voluntatem non omnipotentis. Reſpondeo, velle ponitur quandoquè pro voluntate ſigni. Pro voluntate ſigni vult ſalvare omnes, quia omnibus propoſuit ſalutis præcepta, conſilia, & remedia. Pro voluntate beneplaciti, ſic exponi poteſt quatuor modis. Uno modo, ut ſit locutio cauſalis, ſicut Deus dicitur aliquid facere, quia facit alios illud facere, ſicut Rom. 8. Spiritus poſtulat, id eſt poſtulare nos facit; ſic ergo Deus vult, quia ſcilicet facit ſuos Sanctos velle, quòd omnes ſalvi fiant. Hoc velle enim debet eſſe in Sanctis, quia ne-*

neſciunt, qui ſunt prædeſtinati, & qui non. Alio modo, ut ſit diſtributio accommoda, ideſt omnes, qui ſalvabuntur, quia nullus ſalvatur niſi per voluntatem ejus; ſicut in una Schola Magiſter docet omnes pueros hujus Civitatis, quia nullus docetur niſi ab eo. Alio modo, ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, ideſt nullum genus humanum excipit à ſalute, quia olim tantùm Judæis, ſed modò omnibus præbetur, & hoc magis facit ad intentionem Apoſtoli. Alio verò modo, ſecundùm Damaſcenum, ut intelligatur de voluntate antecedente, non conſequente.

11. En quantâ religione *Angelicus Doctor* expoſitiones *Auguſtini* veneratur, & adorat, agnoſcens eum loqui de voluntate conſequente, ut funditùs *Semipelagianorum* hæreſim debellaret. Non quòd negaverit S. Doctor dari in Deo voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines: quin potiùs textui Apoſtoli non prohibet Sanct. Doctor alias interpretationes dari, dummodò tamen ſint abſque præjudicio efficacitatis gratiæ Dei, & gratuitæ prædeſtinationis ad gloriam, ut ſuprà vidimus citatâ Epiſt. 217. Et expreſſiùs Enchirid. cap. 103. his verbis: *Quocumque alio modo intelligi poteſt, dùm tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non eſſe, qui ſine ullis ambiguitatibus, ſicut in Cælo, & in terra, ſicut & veritas cantat, omnia quæcumque voluit fecit; profectò facere noluit, quodcumque non fecit.* Et Divus *Fulgentius*, *Auguſtinum* ſequens, textum *Apoſtoli* aliter intelligendum permittit, ſub duplici tamen reſtrictione. Primam proponit *de Incarnat. & grat. cap.* 30. num. 58. quòd nempe ſalvetur, Deum eſſe qui excitat, mutat, non tamen determinationem voluntatis expectat, his verbis: *Si ergo ad ſalvandos homines, ſicut iſti volunt, non excitat, neque mutat, ſed expectat hominum voluntates.* Secundam tradit ibidem cap. 31. num. 61. quòd nempè voluntas Dei omnipotentis non impediatur à voluntate creaturæ. *Quo circa*, inquit ille, *illos omnes, quos Deus vult ſalvos fieri, ſic intelligere debemus, ut nec aliquem putemus ſalvum fieri poſſe, niſi voluntate Dei, nec exiſtimemus voluntatem omnipotentis Dei, aut in aliquo non impleri, aut aliquatenùs impediri. Omnes enim, quos Deus vult ſalvos fieri, ſine dubitatione ſalvantur.*

12. Auditô Magiſtrô, audiamus diſcipulos ejus, & Doctores noſtros. Et primò *D. Proſperum* in his *Auguſtini* doctrinis verſatiſſimum, qui ex divinis auxiliis voluntatem generalem ſalvandi omnes homines, tanquàm ex effectibus cauſam concludit lib. 2. de vocat. Gent. cap. 25. dicens: *Sive igitur noviſſima contemplemur ſæcula, ſeù prima, ſeù media, rationabiliter, & piè creditur, omnes homines ſalvos fieri velle Deum, ſemperque voluiſſe: & hoc non aliundè monſtratur, quàm de his beneficiis, atque providentia Dei, quam univerſis generationibus communiter, atque indifferenter impendit.* Quam doctrinam ſignanter in hoc libro repetit cap. 28. *Igitur ſicut qui crediderunt, juvantur, ut in fide maneant; ſic & qui nondum crediderunt, juvantur, ut credant. Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate, ùt exeant; ita & iſti in*

ſua

ſua habent poteſtate, ut veniant. Fitque manifeſtum, quòd diverſis, atque innumeris modis, omnes homines vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ſed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, ſuâ pertinaciâ reluctantur. Quod non minùs ſapienter repetit cap. 31. *Elaboratum eſt enim, quantùm Dominus adjuvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retrò ſæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, providentiâ quidem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere, diverſaque menſurâ. Quoniam ſive occultè, ſive manifeſtè ipſe eſt (ut Apoſtolus ait) Salvator omnium hominum, maximè fidelium. Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis, & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc (de qua egimus) controverſiam dirimit. Dicendo enim: qui eſt Salvator omnium hominum confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem; adjiciendo autem, maximè fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitùs inſpiratæ, ad ſummam, atque æternam ſalutem, ſpecialibus beneficiis provehatur.* Quibus apertiſſimè veram, ſinceramque Dei voluntatem ſalvandi omnes homines concludit. Sed clariori calamo hoc ipſum ſcribit idem *S. Proſper*, novum hujus veritatis, & dilucidum præbens teſtimonium.

13. Nam cùm *Pelagiani* in Galliis *D. Auguſtini* doctrinam, velut plures errores continentem denuntiare auderent, teſte eodem *D. Proſpero* præfatione in reſponſ. ad capitula Gallorum dicente: *In prædicti viri (Auguſtini) libris damnabilia reperiſſe jactabant*; ſingulis capitulis, quæ objicienda prænotarant, brevi, & abſolutâ ſolutione reſpondens; in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in SS. Viri diſputationibus continentur, ut facile, vel tenui diligentiâ adverteret inſpector, quàm injuſtis opprobriis Catholici Prædicatoris memoria carperetur art. 8. *quod non omnes homines velit Deus ſalvos fieri; ſed certum numerum prædeſtinatorum*, reſpondet: *Qui dicit, quòd non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei; qui & omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire, & voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet quos præſcitos prædeſtinavit, prædeſtinatos vocavit..... Ut & qui ſalvantur, ideò ſalvi ſint, quia illos voluit Deus ſalvos fieri, & qui pereunt, ideò pereant, quia perire meruerunt.* Sic *Auguſtinum* vindicat, & omnem Gallorum calumniantium notam, & ſuſpicionem eluit. Et eadem doctrina art. 9. ab ipſis objecto: *quòd non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus*, reſpondet ibidem ſentent. 9. *Qui dicit, quòd non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus, non ad Sacramenti virtutem, ſed ad infidelium reſpicit partem: Cum ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti pretium totius mundi ſit. A quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt: aut poſt redemptionem, ad eamdem ſunt ſervitutem reverſi. Non enim cecidit Verbum Domini, neque evacuata eſt mundi redemptio.* Sic ad diſſi-

pandas Gallorum calumniantium verſutias pro vera *D. Auguſtini* intelligentia reſpondet. Sed mentem ſuam clariùs aperit in reſponſione ad objectionum Vincentianarum capitula object.2. *Sinceriſſimè credendum, atque profitendum eſt, Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant:* Cujus rationem aſſignat: *Siquidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſimè præcipit, quòd in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, ut Deo pro omnibus ſupplicetur, ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium eſt meritum, quòd multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum: Ut enim reus damnetur, inculpabilis eſt Dei juſtitia; ut autem reus juſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt.* Hæc *D. Proſper*, cui verè adhærendum, cùm fuerit *S. Auguſtini interpres, & quaſi alter Auguſtinus habitus ſit*, ut dixit *Hincmarus* de prædeſt. cap. 3. Huic addimus *S. Fulgentium*, qui ejuſdem eſt ſententiæ lib. de Incarnat., & grat. cap.17. *Homo*, inquit, *tanti medicaminis beneficio caret, cujus gratiam contumax, atque ingratus oppugnat.*

14. Hic etiam revocanda Angelici Doctoris loca, in quibus veritatem iſtam docet. *Deus*, inquit ille 3.p. q.19. art.6. ad 1. *antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult, quoſdam damnari ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ.* Cujus rationem aſſignat in Epiſt.1. ad *Timoth.* 2. lect.1. dicens: *In Deo ſalus omnium hominum, in ſe conſiderata, habet rationem, ut ſit volibilis, & ſic ejus voluntas eſt antecedens: ſed ſi conſideretur bonum juſtitiæ, & quòd peccata puniantur, ſic non vult, & hæc eſt voluntas conſequens.* Quod & repetit q.23. de verit. art.2. dicens. *Quia ergo Deus omnes homines propter Beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium ſalutem velle.* Et in reſponſione ad 2. *Vult Deus* (Reprobum) *ſalvari voluntate antecedente, ratione humanæ naturæ, quam ad ſalutem fecit; ſed vult, eum damnare voluntate conſequente, propter peccata, quæ in eo inveniuntur.* Et 3. contra Gent. cap.159. *Deus quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur* 1. *Timoth.*2. Et in hac Epiſtola lect.1. *Chriſtus Jeſus eſt mediator Dei, & hominum, non quorumdam, ſed inter Deum, & omnes homines, & hoc non eſſet, niſi vellet, omnes ſalvare.* Et iterum ibi: *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, pro aliquibus efficacitèr, ſed pro omnibus ſufficientèr; quia pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens.* Cujus rationem explicat ibi, dicens: *Alio verò modo ſecundùm Damaſcenum, ut intelligatur de voluntate antecedente, non conſequente: quæ voluntas dupliciter poteſt conſiderari: in univerſali, vel abſolutè: & ſecundùm aliquas circumſtantias, & in particulari. Voluntas abſoluta eſt quaſi antecedens: voluntas alicujus rei in particulari eſt quaſi conſequens. Exemplum de Mercatore, qui vult omnes merces ſuas ſalvare abſolutè, & hoc voluntate antecedente. Sic in Deo ſalus omnes hominum ſecundùm ſe conſiderata habet rationem ut ſit volibilis, & Apoſtolus hìc ita loquitur: Et ſic ejus voluntas eſt antecedens; ſed ſi conſideretur bonum juſtitiæ, ſic non vult, & hæc eſt voluntas conſequens.* Et in Epiſt. ad *Hebr.* cap.22. *Deus vult, om-*

omnes homines ſalvos fieri, & ideò nulli gratia deeſt; ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicat. Ex quibus clariſſimis teſtimoniis legitimè deducitur voluntas illa generalis ſalvandi omnes homines.

15. Hoc idem evincit SS. PP. traditio. *S. Cyprianus* Epiſt. 52. affirmat de Deo loquendo: *Qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuo ad vitam redire. S. Ambroſius* lib. de Paradiſ. cap. 18. *Nec proditorem debuit* (Chriſtus) *prætterire. Quòd in Deo fuit, oſtendit omnibus, quòd omnes voluit liberare. S. Ignatius Martyr.* Epiſt. 6. ad Philadel. *Amatorem hominum eſſe Deum noſtrum, & velle omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, propter quod & ſolem oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos.* Id ipſum divino ſpiritu edocti docuère *S. Baſilius* in Pſal. 29. *S. Joann. Chryſ.* Homil. 2. ad Hebr. *Origenes* lib. 4. contra *Celſum*. *D. Anſelmus* lib. 6. de volunt. Dei. *S. Paulinus* Epiſt. 1. ad *Aprum*. *D. Laurentius Juſtinianus* lib. de contemptu mundi cap. 8.

16. Hæc ſanè probant tam ex Sacris Scripturis, quàm ex SS. PP. dari in Deo voluntatem antecedentem, quâ abſque ulla reſtrictione vult omnes homines ſalvos fieri; quatenus auxilia ſufficientia omnibus confert, quibus poſſint ad ſalutem perduci. Talia ſunt creatio hominis ad Beatitudinem, Evangelii prædicatio, ad hoc propagandum Apoſtolorum in Univerſum Orbem miſſio, pretium Sanguinis *Chriſti* ſufficientiſſimè pro omnibus effuſi, Sacramenta per Chriſtum inſtituta, & tandem lux illa: *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut dicitur *Joann.* 1. quæ illuminatio præſtita à luce quadam ſupernaturali ad omnes ſe extendit. Adeſt omnibus juſtis. Conſtat ex illo *Matth.* 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et ex illo *Lucæ* 11. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.* Et ex Epiſt. 2. *D. Petri* 3. v. 9. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Quibus ſatis conſtat dare eis gratiam ſufficientem, quâ illuminante, & inſpirante ab hoſtium laqueis eripi, peccatorumque ſarcinam excutere poſſint. Habent & peccatores gratiam, quâ poſſint vincere tentationes, ſervare mandata, & ad Deum converti. Ita *Proverb.* 1. *Convertimini ad correptionem meam, & oſtendam vobis verba mea.* Et *Sapient.* 12. v. 1. *O quàm bonus, & ſuavis eſt Domine, ſpiritus tuus in omnibus! Ideòque eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, ut relictâ malitiâ, credant in te, Domine.* Rursùs ibi: *Dans tempus, & locum, per quæ poſſent mutari à malitia.* Id inſupèr conſtat ex illo *Deuteronom.* 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt.* Et ex *Iſaiæ* cap. 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci?* Et *Ezech.* 18. v. 23. *Quarè moriemini domus Iſrael?* Et *Oſeæ* 13. v. 9. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.* Quibus clariſſimè conſtat, Deum facere id omne,

quod

quod in ſe eſt, ut peccatores ſalvi fiant, & habere ſufficientem gratiam, ut bonum operari poſſint. Habuerunt & *Judæi* gratiam ſufficientem, quâ poterant adimplere præcepta. Hoc declarant Sacræ Paginæ; ut conſtat ex teſtimoniis relatis, & ex illo *Ezech.* 24. *Væ tibi, mundare te volui, & non es mundata.* Et ex illo *Proverb.* 1. *Vocavi, & renuiſtis.* Unde *S. Auguſtinus* lib. de grat. & lib. arb. de *Judæis* ait cap. 12. num. 24. *Gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant.* Et lib. de prædeſt. SS. cap. 9. *Facile eſt, ut infidelitatem accuſemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tàm magnis virtutibus, credere noluerunt.* Quarè de eiſdem iterùm conqueritur lib. 1. oper. imperf. dicens: *Cæcitas cordis ſi peccatum non eſſet, injuſtè argueretur; arguitur autem juſtè, ubi dicitur, Phariſæe cæce, & aliis plurimis Divinorum eloquiorum locis.* Quarè tract. 53. in *Joann.* ait: *Iſta cæcitas fuit Judæis grande incredulitatis malum, & grandis cauſa peccati, ut occiderent Chriſtum.* Ergo eos agnoſcit S. Doctor luce interiori donatos, ut poſſent adimplere præcepta, & ut eſſet eis infidelitas imputabilis ad culpam; aliàs injuſta, quòd abſit, fuiſſet increpatio.

17. Ad parvulos etiam ſe extendit voluntas illa antecedens ſalvandi omnes homines; non ſolùm ad infantes, quibus Baptiſmus Parentum, vel aliorum curâ procuratur; & ad illos, qui in lucem editi Baptiſmum percipere poſſunt; quibus ſufficienter de remedio ſalutis à Deo proviſum eſt, licèt adultorum culpâ illis applicari non poſſit; verùm ſe extendit ad infantes, ſive in lucem editos, ſive in utero materno abſque ulla Parentum culpa morientes, quibus nullâ humanâ induſtriâ, & diligentiâ Baptiſmus conferri, & applicari poſſit; hoc affirmantibus graviſſimis Theologis, ſuper quo videndus Noſter Emus, & Rmus S. R. E. Cardin. Fr. *Vincentius Ludovicus Gotti* de volunt. q. 2. Dub. 2. §. 6. à num. 72., quidquid in oppoſitum ſentiat *P. Vazquez* 1. p. diſp. 96. cap. 2. & 3. propugnans illa ſcripturæ verba, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* de adultis dicta eſſe. Sed veriſſima, ac certiſſima doctrina eſt, quòd ab illa generali, ac communi voluntate Dei pro ſalute omnium nullibi excluduntur infantes, prout eleganter docet D. *Proſper* lib. 2. vocat. Gent. cap. 23. dicens. *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus: quâ utique ſi benè uterentur Parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur. Omnium namquè exordia parvulorum, tota illa principia necdum rationalis infantiæ, ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis niſi per alios conſuli poteſt: & conſequens eſt, illos ad eorum pertinere conſortium, quorum vel pravô, vel rectô aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confeſſione credunt, ita ex aliena infidelitate, aut diſſimulatione non credunt: & cùm ipſi nec præſentis vitæ deſiderium habuerunt, nec futuræ: quàm ipſorum factum eſt naſci, tàm ipſorum efficitur non renaſci. Sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam, parciùs, atque occultiùs omnium*

nium

nium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exeritur; ità etiam circa innumeros parvulos eadem manifeſtatur electio.

18. Hanc doctrinam firmat efficaciter conſequentia illa irrefragabilis *D. Pauli* 2. Cor. 5. *Quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Sed parvuli intrà uterum maternum morientes, mortui ſunt in *Adam*: ergo & pro illis mortuus eſt *Chriſtus*: ac perconſequens eiſdem Deus præparavit media ſufficientia ad ſalutem, & providit ſufficienter tàm de remedio, quàm de ipſius applicatione. Quarè inquit *D.Thomas* in 4.diſt.6.art.1. ad 1. *Non eſt ex defectu Divinæ miſericordiæ, quòd in maternis uteribus exiſtentibus remedium non exhibeatur, ſed quià non ſunt capaces illius remedii ... quià non poſſunt ſubjici operationi Miniſtrorum Eccleſiæ.* Sicut pariter non eſt ex defectu remedii parati in Eccleſia, quòd quis correptus apoplexiâ moriatur ſinè confeſſione. Verum quidem eſt, quòd plerumquè feſtinantibus Parentibus, & paratis Miniſtris, ut Baptiſmus parvulo detur, non datur; & quòd Deus poteſt removere omnia impedimenta, quibus aliquandò parvuli à Baptiſmo propelluntur, & non facit. At quis affirmet, providentiæ Dei maximè convenire, ut pericula omnia, quæ moriturorum regenerationem impedire, aut prohibere poſſunt, removeat, & ordinem, & concurſum rerum perturbet? Immò ipſum providentiæ jus læderetur, ſi miracula perpetuò fierent ad impediendum naturalem cauſarum ſecundarum curſum, nè caſu repentino parvuli privarentur gratiâ Baptiſmi. Sinit aliquandò tegulas, impetu venti propulſas, cadere ſuper caput parvulorum, qui ad Eccleſiam deferuntur, ut recipiant Baptiſmum, & non recipiunt. Sinit Matres gravidas naufragium nonnumquàm pati, & cum puero, in viſceribus concluſo, perire: quia nempè Proviſor generalis habens pro fine bonum univerſale non tenetur ſpeciales defectus impedire; quia omnia cedunt in gloriam ſuam, ſive ad exaltationem miſericordiæ, cùm parvuli baptizantur, ſive ad gloriam juſtitiæ, dùm in pœnam peccati originalis quidam privantur gratiâ Baptiſmi. Audiendus *D. Thomas* id profundè explicans 1. p. q. 22. art. 2. *Ad ſecundum dicendum, quòd aliter de eo eſt, qui habet curam alicujus particularis, & de Proviſore univerſali; quia proviſor particularis excludit defectum ab eo, quòd ejus curæ ſubditur, quantum poteſt: ſed Proviſor univerſalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, nè impediatur bonum totius. Undè corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem; ſed tamen ſunt de intentione naturæ univerſalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius univerſi. Nàm corruptio unius eſt generatio alterius, per quam ſpecies conſervatur. Cùm igitur Deus ſit univerſalis Proviſor totius entis, ad ipſius providentiam pertinet, ut permittat quoſdam defectus eſſe in aliquibus particularibus rebus, nè impediatur bonum univerſi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo. Non enim eſſet vita leonis, ſi non eſſet occiſio*

ani-

animalium, nec eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio Tyrannorum. Undè dicit Auguſtinus in Enchirid. Deus Omnipotens nullo modo ſineret malum aliquòd eſſe in operibus ſuis, niſi uſquè adeò eſſet Omnipotens, & bonus, ut beneſaceret etiam de malo. Ex duabus autem rationibus, quas nunc ſolvimus, videntur moti fuiſſe, qui Divinæ providentiæ ſubtraxerunt corruptibilia, in quibus inveniuntur caſualia, & mala. Hæc *D. Thomas*. Si ergo Deus omnibus parvulis ſimili providentiâ non conſulit; ſi in eo rerum ordine, & curſu conſtituuntur infantes, in quo neceſſe ſit, ipſos vi ſolâ naturæ mori: non ad defectum voluntatis antecedentis, ſed ad voluntatem conſequentem referendum eſt, quià nempè vult eum cauſarum ſecundarum curſum mortem infantium exigentium. Aliter enim reſpectu voluntatis antecedentis ſe habent infantes, ac adulti; illi ut potentes ſalvari abſquè propria diſpoſitione, dependenter ſolùm ab operatione aliorum, qui ipſis applicent Sacramenta; iſti ut potentes diſponi ad ſalutem auxilio ſupernaturali ſibi infuſo. Ex eo ergo quòd Deus, attentâ communi providentiâ, vult, quòd aliqui parvuli, antequàm naſcantur, moriantur; aut jam nati decedant, quin ibi ſint, qui poſſint, ſciant, aut velint applicare Baptiſmum, qui reſpectu parvuli eſt, quod gratia efficax eſt pro adultis, argui nequit defectus voluntatis antecedentis, quâ Deus vult conferre omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem; neceſſariò quippè immutaretur Divina providentia, ſi omnes parvuli reciperent auxilium intrinſecum gratiæ ſanctificantis. Quòd ergo unis conferatur Baptiſmus, aliis verò minimè, *altitudo eſt divitiarum Dei*, quod ad inſcrutabilia Dei judicia revocat *S. Auguſtinus* lib. 4. contra *Julianum* cap. 8. ſicut quòd Deus parvulo, aliàs ſpurio, procuret Baptiſmum, dùm filius legitimus inopinatè è vita rapitur ſine Baptiſmo. Debet ergò ut certum ſupponi, quòd in Deo datur voluntas antecedens ſalvandi omnes homines, quod tot Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, & SS.PP. oracula abſolutè pronuntiant: in quibus omnibus definitionibus nemo excipitur, omnibus offertur gratia, quâ reparari valeant, & ad Beatitudinem pervenire; ità ut nullus dubitandi ſit locus de ſeria Dei benevolentia, & voluntate, ut omnes convertantur de impietate, ac injuſtitia, & quòd non vult mortem peccatoris; ſed ut omnes, qui laborant, & onerati ſunt, veniant ad ipſum, & reſurgere poſſint.

19. His poſitis, docent primò Thomiſtæ, ſinceriſſimè credendum, atque confitendum eſſe, dari in Deo voluntatem antecedentem conferentem omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem: quæ voluntas antecedens eſt vera, & ſincera voluntas ſalvandi omnes homines; nempè voluntas beneplaciti, ut expreſsè docet *D. Thomas* q. 23. de verit. art. 3. dicens: *Voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur*. Et in primo diſt. 47. qu. 1. art. 2. *Poſſumus loqui de voluntate beneplaciti, vel conſequente, vel antecedente*. Quæ tamen voluntas antecedens non eſt efficax, etiam affectivè, & quantùm eſt ex parte Dei, ita, ut omni conatu affectivo intendat omnium ſalutem, & eam non conſequatur.

Hæc

Hæc enim voluntas ſic affectivè efficax ſolùm chymericè fingi poteſt in Deo. Tùm, quia ſi eſſet affectivè efficax, imperaret, vel poſſet imperare omnia media efficacia pro conſecutione ſalutis: ergo ex vi hujus voluntatis maneret homo efficaciter determinatus ad ponenda illa media pro finis conſecutione, efficaciter effectivè voliti; quod eſt penitùs impoſſibile: ſic enim ex vi talis voluntatis eſſet homo efficaciter determinatus ad ponenda media illa, quæ aliundè prævidet Deus non ponenda; cùm detur in Deo cognitio certa non futuritionis ſalutis reſpectu reproborum: ergo conciperet Deus determinationem inutilem, & fruſtrandam; quòd ſanè abſurdiſſimum eſt, ut rectè ait *S. Proſper* in reſponſ. ad 4. object. Vincentianam: *Inſanum omninò, & contra rationem eſt dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri.*

20. Secundò: nihil magis in ore habent Thomiſtæ, quàm quòd locus *Pauli* univerſaliter acceptus de voluntate inefficaci, non tollit, quòd in Deo ſit alia ſpecialior voluntas, quæ ſimpliciter ſit talis, & omninò invincibilis erga Prædeſtinatos, ſicut & poſitiva voluntas excludendi aliquos à gloria. Quod probat præclariſſimum illud *D. Pauli* teſtimonium ad *Rom.* cap. 9. *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ubi loquitur Apoſtolus de prædeſtinatione Sanctorum ſub nomine *Jacob*, & de reprobatione aliorum ſub typo *Eſau*, ut exponit *M. P. Auguſtinus* lib. 1. ad *Simplicianum* q. 2. & lib. 2. ad *Bonifac.* cap. 7. Et *D. Thomas* 1. p. qu. 23. art. 5. ad 3. Componitur ergo cum voluntate illa generali ſalvandi omnes homines voluntas ſpecialis ſalvandi, quos ipſe velit, *& quorum electio ſit ex mero beneplacito voluntatis divinæ*, ut inquit *M. P. Auguſtinus* prædicta verba Apoſtoli intelligens cum univerſalitate non abſoluta, ſed accommodata, ut refert *D. Thomas* hic art. 6. ad 1. *Dicendum, quòd illud verbum Apoſtoli, quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri, poteſt dupliciter intelligi, uno modo, ut ſit accommoda diſtributio: ſecundùm hunc ſenſum, Deus vult ſalvos fieri omnes homines, qui ſalvantur; non quia nullus homo ſit, quem ſalvum fieri non velit: ſed quia nullus ſalvus ſit, quem non velit ſalvum fieri.* Componitur inſuper ſpecialis voluntas reprobativa, vel excluſio reproborum à gloria, tanquàm à beneficio indebito, vel ex motivo juſtitiæ, vel ex ſupremo Dei dominio, vel ex boni excellentia, teſte eodem *Auguſtino* Epiſt. 107. *Quomodò*, inquit, *dicitur, omnes homines fuiſſe gratiam accepturos, ſi non illi, quibus non datur, ſuâ voluntate reſpuerent, quoniam Deus vult omnes homines ſalvos fieri: cum multis non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, feſtinantibuſque Parentibus, Miniſtris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente, non detur; cùm repentè antequam detur, expirent, pro quo, ut acciperent, currebatur. Undè manifeſtum eſt, eos, qui huic reſiſtunt tàm perſpicuæ veritati, non intelligere omninò, quâ locutione ſit dictum, quòd omnes homines*

mines vult Deus ſalvos fieri, cùm tamen multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult. Brevis ſanè, ſed profundiſſima reſponſio: *Quia non vult.* Deus enim eſt Supremus Dominus gloriæ, quæ nulli creaturæ eſt debita; cùm ſit finis ſupernaturalis cujuſcumque creaturæ intellectualis, & ſuprema gratia, ut dicitur ad *Rom.* 6. *Gratia Dei vita æterna*, & probat *D. Thomas* in 1. ad *Annib.* q.41. art.3. in corp. *Voluntati divinæ de ſalute hominis duplex voluntas opponi videtur, ſcilicet voluntas de contradictorio, ſecundùm quod vult aliquem non ſalvare; & voluntas de contrario, ſecundùm quòd vult damnare aliquem. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cùm ſtatus gloriæ non ſit debitus humanæ naturæ: non enim requiritur ratio, quarè non dem alicui, cui dare non debeo.* Hæc *D. Thomas*: ex quibus apertiſſimè concluditur, cum voluntate antecedente ſalvandi omnes homines dari ſpecialem aliam providentiam erga Prædeſtinatos, ſicut & voluntatem conſequentem non dandi gloriam reprobis, quin detur aliqua imperfectio ex parte voluntatis antecedentis. Favet, & conſonat huic doctrinæ *Eminentiſs. Card. Bellarminus* utramque voluntatem antecedentem, & conſequentem diſtinguens lib.2.de grat. & liber.arbitr.cap.3. explicans illud 1. ad *Thimot.*2. *Vult omnes homines ſalvos fieri.* Et illud 1. Petri 3. *Neminem vult perire, ſed omnes ad agnitionem veritatis venire*, reſpondet: *Hæc loca parum ad rem faciunt. Solùm enim ſignificant, Deum non impedire quemquam à ſalute. Immò remedia, & auxilia pro omnibus in communi inſtituiſſe, prædicationem Evangelii, & Sacramenta voluiſſe omnibus eſſe communia, &c. ſed ex his nemo rectè colliget Deum expectare, ut homines ſuis viribus velint ſalvi fieri: ſed, inquiunt, ſi Deus vult omnes ſalvos fieri, cur non fiunt omnes ſalvi, niſi quia ipſi nolunt? Reſpondeo, veriſſimum eſt, non fieri omnes ſalvos, quia ipſi nolunt; nam ſi vellent, Deus eis utique non deeſſet. Cæterum nemo vult ſalvus fieri, niſi Deus præveniendo, ac præparando voluntatem faciat eum velle; cur autem Deus non faciat omnes velle, quis novit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit? Itaque ſicut verum eſt, non omnes ſalvos fieri, quia Deus non vult voluntate illa beneplaciti, de qua ſcriptum eſt in Pſal.* 113. *omnia quæcumque voluit, fecit in Cœlo, & in Terra. Et tandem ſimul etiam verum eſt, Deum velle omnes ſalvos fieri voluntate illa, quam rectè Theologi antecedentem vocant.* Nihil ſanè clarius, nihil efficacius, nihil ad propoſitum convenientius.

21. En qualis in Schola Thomiſtica eſt tota gratiæ æconomia; en duplex ſincera, & vera ſalvandi voluntas: prima, quæ præparat, & offert omnibus auxilia ſufficientia, quibus ſalutis effectum conſequi poſſint; & ſecunda conſequens, ad quam infallibiliter effectus ſequitur. Illa eſt, quâ Dei bonitas in omnes diffunditur; iſta ſic cum effectu eſt infallibiliter connexa, quòd ab eo, quod Deus ſemel voluit, & decrevit, nec ipſe Deus poteſt recedere, nec diverti, teſte *S. Auguſtino* aſſerente: *Abſit, ut impediatur ab homine omnipotentia, & cuncta præſcientis intentio. Parum de re tanta cogitant, vel ei excogitandæ non*

ſuffi-

ſufficiunt, qui putant, Deum omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediente non poſſe. Sed de hoc plura infrà dicturi ſumus.

22. Quis ergo niſi fortè aut malignus, aut imperitus audeat dicere, hanc Thomiſtarum doctrinam ſapere mentem Janſenii, habereque cum illa minimum commercium? Ille novum hoc, & abſurdiſſimum dogma induxit, quòd ſolùm ante primi Parentis peccati prævisionem erat in Deo voluntas vera, & ſincera ſalvandi omnes homines, ipſo ſic fatente lib.3.cap.20. de grat. *Chriſti Salv.* ſequentibus verbis, innixus cuidam *D. Damaſceni* teſtimonio: *Significat ergo Damaſcenus, voluntatem, quam Deus ex ſe concepit, quando humanum genus inſtituit, quæque omnia peccata hominis anteceſſit, fuiſſe bonitatis, ut homo gratiæ, ſalutis, felicitatiſque particeps fieret.... talis antecedens voluntas quamdiù res ſine acceſſoriis circumſtantiis conſideratur, aliquid ad cauſandam gratiam ſufficientem, aliaque media neceſſaria procurandæ ſaluti, facit, utpotè ex qua gratia primorum hominum ſufficiens fluxit*. En quomodo voluntatem antecedentem in Deo dumtaxat ante peccatum *Adami* agnoſcit. At poſt primorum Parentum peccatum voluntatem antecedentem, quâ velit omnes homines ſalvos fieri, removet à Deo; adeòque negat, ullam ex vi talis voluntatis antecedentis in præſenti ſtatu dari ſufficientem gratiam, ita in eodem capite dicens: *Poſtquam peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur, antecedens voluntas in ſola præciſione mentis, adeòque nudâ quadam velleitate, nihil omninò gratiæ cauſante, conſiſtere poteſt, quod ex eo manifeſtiſſimè patet, quia talem voluntatem antecedentem etiam erga damnatas creaturas, ſivè hominum, ſivè Angelorum Deus habet*. Quinimò ſuppoſitâ illâ voluntate antecedente, redarguit Theologos, quòd doctrinâ iſtâ reviviſcit Semipelagianorum hæreſis, ut in eodem capite affirmat: *Non poſſe ſtatui, quod Recentiores plerumque ſolent, voluntatem quamdam generalem, quâ Deus velit omnes homines, in damnatione primi peccati poſitos, ſalvos fieri, ex qua voluntate non ſolùm generalia redemptionis remedia, ſed etiam ſufficientia adjutoria omnibus etiam reprobis præparaverit. Sicut enim talia ſufficientia adjutoria non dantur omnibus, immò nulla omninò poſt lapſum ſunt, ita nec voluntas illa generalis, ex qua promanare dicuntur*. Undè cùm cap. 21. ſequenti objectionem ex communi Theologorum doctrina petitam, nempè dari gratias ſufficientes ad ſalutem comparandam, quia pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, ſibi propoſuiſſet ſub his terminis: *Aliud argumentum pro gratia ſufficienti omnium proferri ſolet, quia Chriſtus eſt Redemptor omnium, juxta illud* 1. *ad Thimoth.* 2. *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur eſſe poſſe, niſi gratiam ſaltem ſufficientem omnibus præparaverit*; ad hoc argumentum reſpondet, dicendo: *Reſpondetur, & hoc argumentum, ſicut omnia præcedentia jam olim ad nauſeam uſque à Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus inculcatum fuit, ut mirum ſit, Recentiores tanto ſtudio trita Hæreticorum arma colligere, & obſoleta*

recudere. Nec enim, pergit ille, *juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus Chriſtus paſſus, aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter ſanguinem fudit; cùm hoc potius tanquam errorem à Fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum. Illa extenſio*, inquit ulteriùs ad ejuſdem capitis finem, *tam vaga modernorum Scriptorum non alio ex capite, quàm ex iſta generali, & indifferenti voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Auguſtinus, Profper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia velut machinam à Semipelagianis introductam repudiavit.* Sed ex dictis jam ſatis attrita eſt à nobis hæc *Janſenii* nova cavillatio.

23. Si dixeris, quòd non poteſt ſtatui voluntas generalis, quâ Deus omnes homines, in damnatione primi parentis poſitos, velit ſalvos fieri, cùm ex tali voluntate generalia remedia non ſint omnibus præparata; magiſque debeat dici quædam velleitas, quæ in ſterili, & otioſa hæreat complacentia, quàm vera voluntas; ut illam dicit *D. Thomas* 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. *Undè magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas.* Quod & repetit 3. p. q. 21. art. 4. ubi contraponit voluntatem abſolutam *Chriſti* Domini voluntati generali, quâ vult omnium ſalutem, dicens: *Illud autem, quod volumus ſecundùm motum voluntatis ſimplicis, quæ conſideratur, ut natura, non ſimpliciter volumus; ſed ſecundùm quid, ſcilicet, ſi nihil obſiſtat, quod per deliberationem rationis invenitur. Undè talis voluntas magis dicenda eſt velleitas, quàm abſoluta voluntas, quia ſcilicet homo hoc vellet, ſi aliud non obſiſteret.* Cujus dicti rationem aſſignat dicto art. 6. dicens: *Quòd quidquid Deus ſimpliciter vult, fit, licèt non illud, quod antecedentèr vult*: ergo cùm non omnes re ipſa ſalventur, voluntas illa Dei omnes ſalvare volens, non eſt vera voluntas, ſed nuda velleitas, nihil virium ſubminiſtrans, aut unquam ſubminiſtratura.

24. Secundò: nequit ſeriò velle aliquod objectum, qui ex ſe habet voluntatem incompoſſibilem cùm ejus conſecutione; ſicut non poteſt homo velle ſeriò, ut amicus adipiſcatur beneficium, ſi ex ſe habet voluntatem incompoſſibilem cum ejus conſecutione; ſed in Deo datur in ordine ad reprobos vera, & abſoluta voluntas incompoſſibilis cum conſecutione ſalutis: ergo voluntas illa, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri, non eſt vera voluntas formaliter exiſtens in Deo, ſed nuda velleitas.

25. Mirùm, quòd nobis objiciant *D. Thomam*, qui non potuit meliùs, & clariùs hanc docere veritatem. Pro quo maximè obſervandum, quòd agens ex profeſſo *D. Thomas* de Dei voluntate 1. p. q. 19. illam primâ diviſione dividit in voluntatem beneplaciti, & in voluntatem ſigni. Hæc voluntas, cùm non ſit actualiſſimum velle Dei, ſed effectus ejus, ſignans, & indicans ſui cauſam, nempè Dei voluntatem, ſicuti metaphoricè, & impropriè dicitur voluntas Dei, ità metaphoricè, & impropriè reperitur in Deo. Non ſic voluntas beneplaciti, quæ cùm ſit ipſum velle actualiſſimum Dei, in Deo formaliter, & propriiſſimè repe-

reperitur, quod ſequentibus aureis verbis concludit *D. Thomas* 1. p. q. 19. num. 6. *Voluntas propriè dicta in Deo vocatur voluntas beneplaciti*. Et de verit. q.23. art.3. ad 6. *Diſtinguitur voluntas ſigni à voluntate beneplaciti; quia unum eſt ipſe Deus, aliud eſt, ut effectus ejus*. Hanc voluntatem beneplaciti dividit iterum *D. Thomas* art.6.citat.q.19. in reſp. ad 1. in voluntatem antecedentem, & conſequentem, attentâ objectorum diverſitate, itâ quòd hæc fertur in objectum veſtitum ſuis circumſtantiis, altera, verò in bonum ſecundùm ſe conſideratum. At tam voluntas antecedens, quàm conſequens formaliter reperitur in Deo, ut ibi docet *D. Thomas*, dicens: *Invenitur in Deo propriè ratio voluntatis, ut ſupra dictum eſt, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur*. Etiam in 1. Epiſt. ad *Timot.* cap. 2. *Velle ponitur quandoque pro voluntate beneplaciti, quandoque pro voluntate ſigni: pro voluntate ſigni vult ſalvare omnes: pro voluntate beneplaciti: ſic exponi poteſt quatuor modis*: ad quartam expoſitionem deſcendens hæc habet: *alio verò modo ſecundum Damaſcenum; ut intelligatur de voluntate antecedente, non conſequente*. Rurſus in 1. Sent. diſt. 47. q. 1. num. 2. *Poſſumus ergo loqui de voluntate, vel beneplaciti, vel ſigni: & de voluntate beneplaciti vel conſequente, vel antecedente*. Et ad *Hannibald.* in 1. diſt. 47. art. 31. *Loquendo de voluntate beneplaciti, aliquid poteſt fieri præter voluntatem Dei, tàm antecedentem, quàm conſequentem*. Eccè quânam mirâ, & Angelicâ claritate exprimit Angelicus Doctor veram, & ſinceram voluntatem in Deo formaliter repertam de omnium hominum æterna ſalute; cujus voluntatis ſinceritatem, & veritatem exponit cap. 19. *Joann.* lect. 3. comparando ipſam vehementi deſiderio: *Per hoc*, inquit S. Doctor, *quòd dicit ſitio, oſtenditur ejus vehemens deſiderium de ſalute generis humani* 1. *ad Thimoth.* 2. *vult omnes homines ſalvos fieri*, Luc. 19. *venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quòd perierat. Vehemens autem deſiderium conſuevimus exprimere per ſitim*. Quâ eâdem Phraſi uſus eſt *S. Auguſtinus* in Pſal.68. Conc.1. *Sitis ipſius erat, quando dixit mulieri: ſitio, da mihi bibere; fidem ipſius ſitiebat: & de Cruce, cùm diceret, ſitio, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt*, quòd vehemens deſiderium, & ſitis ſumuntur latè pro voluntate ſalutis: quia nempè ex iſta oritur tot beneficiorum, & mediorum præparatio, quod in hominibus eſſet indicium vehementis deſiderij. In quod redit, quod alibi dicit S. Doctor ſuper Pſal. 18. *Spiritus Sanctus calefacit, Cantic.* 8. *Lampades ejus Lampades ignis. Sed numquid multi non recipiunt calorem ejus? Dicendum, quòd ſicut eſt de Sole materiali, ita contingit de Spiritu Sancto. Multi autem poſſunt ſe abſcondere, & non recipere calorem Solis. Sed Sol ex parte ſua ſe exhibet omnibus: ſic Spiritus Sanctus effunditur ubique, & petit ab omnibus recipi, niſi aliquis ſe per malitiam abſcondat*.

26. En ſinceriſſimus Dei amor omnibus, nemine dempto, bonitatis divitias effundens, omnes movens, & excitans; non unius, vel alterius,

ſed

ſed omnium, & ſingulorum corda movens; cùm omnes interioris gratiæ auxilio illuſtrentur. Si ergo Deus propter ſalutem hominum tot, & tanta operatur, ſi ex iſta voluntate ſalvandi omnes homines decrevit Deus ineffabile Incarnationis Myſterium, teſte *D. Auguſtino* lib. de *Catechizand.* rudib. 26. dicente: *A quo interitu, hoc eſt, pœnis ſempiternis, Deus miſericors volens homines liberare, ſi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit unigenitum filium*; quomodò voluntas iſta dici poteſt pura velleitas, & metaphorica voluntas? Hoc ſanè penitùs inintelligibile eſt. Primò: quia ex voluntate ſalvandi omnes homines Deus præparavit illis auxilia ſufficientia. Etenim per illam voluntatem ordinantur homines ad finem ſupernaturalem; ex qua ordinatione oritur in Deo voluntas conferendi auxilia ſufficientia, quæ ſanè voluntas ex ſe ipſa non oritur, nec ortum ducere poteſt; ſed pura velleitas, & metaphorica voluntas nullum ponit medium, nihilque ad finem aſſequendum operatur: ergo illa voluntas eſt formaliter exiſtens in Deo, & non quædam velleitas. Hoc ſanè clariſſimè probat veriſſimam, & ſinceram Dei voluntatem. Quomodò namque verificari poteſt, Deum ordinaſſe hominem ad vitam æternam, & ipſum, ut hanc conſequeretur, condidiſſe, abſque voluntate finis? Implicat enim, quòd amentur media, ut talia, & quòd dentur, ut conſequatur finis, abſque voluntate finis; cùm in omni ordinatè, & feriò agente vera voluntas mediorum ſupponat veram voluntatem finis, ut luculenter docet *D. Thomas* de verit. q. 6. art. 1. diſtinguens inter providentiam, & prædeſtinationem, dicens: *Providentia ordinem in finem reſpicit tantùm; undè per Dei providentiam omnes homines ad Beatitudinem ordinantur. Sed prædeſtinatio reſpicit etiam exitum, vel eventum ordinis; undè non eſt niſi eorum, qui gloriam conſequuntur.* Secundò: quia hominem peccantem facere contra voluntatem Dei, & Spiritui Sancto reſiſtere clamat apertè Scriptura; ſicut & hominem contra illam operantem, effectuique hujus voluntatis reſiſtentem, experturum eſſe in ſuppliciis poteſtatem Dei; quâ etiam veritate plenæ ſunt Paginæ Sacræ: ſufficiat modò, quod ſuis contemptoribus ſapientia loquitur Proverb. 1. dicens: *Vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, cùm, quod timebatis, advenerit; cum irruerit ſuper vos repentina calamitas, & interitus velut tempeſtas ingruerit.* Sed mera velleitas non infert reatum pœnæ æternæ, cùm non ſecum afferat conſilium, & præceptum: ergo damnatio ſic operantis ſupponit in Deo veram, & ſinceram voluntatem, quæ cum omni proprietate accepta ſit formaliter in ipſo exiſtens, qua velit omnes homines ſalvos fieri. Tertiò, quia hæc voluntas generalis, & antecedens ſalvandi omnes homines non eſt ex illis quinque divinæ voluntatis ſignis, quæ aſſignantur à Theologis, maximèque à *D. Thoma* art. 12. ſæpè citat. q. 19. quæ ſunt, *præceptum, prohibitio, conſilium, permiſſio, operatio*; ex quibus ſolùm in Deo dicitur voluntas metaphorica, ut teſtatur idem S. Doctor ibi art. 11. in

corp. per hæc verba: *In Deo diſtinguitur voluntas pr prriè, & metaphoricè dicta. Voluntas enim propriè dicta vocatur voluntas beneplaciti: voluntas autem metaphoricè dicta eſt voluntas ſigni, eò quòd ipſum ſignum voluntatis voluntas dicitur*, ut repetit in 1. ſententiar. diſt. 45. art.4. *Deus poteſt dici velle aliquid dupliciter, vel propriè; & ſic dicitur velle illud, cujus voluntas verè in eo eſt, & quod ſibi complacet: & hæc eſt voluntas beneplaciti. Dicitur etiam aliquid velle metaphoricè, quod ad modum volentis ſe habet, ut dum præcipit, vel conſulit:* ergo eſt voluntas formaliter, & propriè exiſtens in Deo, non metaphorica, ſed vera declaratio amoris, & affectûs divini erga genus humanum. Quartò: velleitas dicit actum incompletum, non plenum, videturque importare impotentiam quamdam, non potentis efficere, quod vult. Connotat etiam deſiderium habendi, aut faciendi id, quod vult; videturque includere carentiam boni deſiderati: quæ ſanè non poſſunt commodè intelligi de voluntate antecedenti ſalvandi omnes homines: quæ ex parte Dei ſemper impletur quantùm ad proprium effectum, qui eſt ordinare ad ſalutem, & dare media ſufficientia ad illius conſecutionem: quam ſi non in omnibus implet, hoc non eſt ex impotentia Dei, & defectu activitatis; ſed ex libera ordinatione ipſius volentis, ſeu rectiſſimâ voluntate, quâ illam in omnibus non impleri decernit: nam actu conſequi ſalutem, eſt proprius effectus voluntatis conſequentis, quæ neceſſe eſt, ut ſemper impleatur.

27. Hæc ſanè efficaciter probant veram, & ſinceram Dei voluntatem ſalvandi omnes homines. At ſi ipſa in ſui univerſalitate conſiderata, ut inquit *D. Thomas*, potiùs velleitas dici debet, hoc ſolùm debet intelligi ſecundùm modum intelligendi, qui intelligendi modus non eſt ſine fundamento in re. Etenim, cùm hæc diſtinctio voluntatis antecedentis, & conſequentis non accipiatur ex parte ipſius voluntatis divinæ, in qua nihil eſt prius, vel poſterius, ſed ex parte volitorum; hinc aliquomodò à nobis ſecundùm noſtrum modum intelligendi concipitur illa voluntas antecedens, ac ſi eſſet velleitas quædam; cùm modus tendendi ad objectum, non ſit modus ille perfectus, & completus correſpondens actui voluntatis; cùm feratur in ſalutem, non ut ponendam in re, & cum ſuis circumſtantiis: cùm tamen perfectio actûs voluntatis attendatur ſecundùm quòd voluntas fertur in objectum, ut agendum, & conſequendum in particulari, conſideratis omnibus ſuis particularibus circumſtantiis. Quarè etſi non ſit velleitas, à nobis, ut talis, & ut voluntas ſecundùm quid conſideratur. In eodem ſenſu intelligi debet *D. Thomas* loco citato 3. p. q. 24. art. 1. Etenim cùm voluntas *Chriſti* fuerit omninò conformis voluntati divinæ, ut teſtatur ipſe *Joan*.6. *Quia deſcendi ... non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me*: ſicut in Deo datur voluntas antecedens, & conſequens, ita in Chriſto datur utraque voluntas, quarum diſtinctionem notat *D. Thomas* 1. ad *Timoth*. cap.2. lect.1. dicens: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; pro aliquibus efficaciter, pro omnibus ſufficienter; quia pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium, ſed non habet effi-*

efficaciam, niſi in electis, propter impedimentum. At cùm ex vi hujus voluntatis antecedentis non omnes ad ſalutem pertingant, ideo dicitur voluntas ſecundùm quid, ſeu velleitas in ſenſu ſuperiùs dicto. Dicitur autem ita, quantùm ad rationis noſtræ captum, *velleitas*, ſumpto nomine à tempore imperfecto *vellem*, ut habeatur diſtinctio ſignificandi ab altera deductione ex tempore præſenti, perfectoque, *volo*: ex quo deducitur ſignificatio voluntatis abſolutæ, quæ ſemper impletur; quia apud nos nullus eſt alius modus ſignificandi utramque voluntatem, quàm per has expreſſiones: *abſolutè volo*, atque: *Si expediret, abſolutè vellem*. Itaque non eſt velleitas excludens ſeriam voluntatem, ſed dumtaxat abſolutam. Hic obſerves velim, Benevole lector; cur hæc voluntas antecedens aliquando à *D. Thoma* dicitur voluntas ſigni. Etenim omnis voluntas beneplaciti poteſt dici voluntas ſigni; licèt non omnis voluntas ſigni dicatur voluntas beneplaciti. Non ſemper voluntas ſigni dicitur voluntas beneplaciti; nam prohibitio & permiſſio mali ſolum ad voluntatem ſigni & non ad voluntatem beneplaciti ſpectant. E converſo verò voluntas beneplaciti aliquando voluntas ſigni dicitur, cùm illud ipſum, quod Deus vult, aliquo manifeſtat ſigno: puta, conſilio, præcepto, vel operatione; ut explicat *D. Thomas* in cap. 2. Epiſt. 2. ad *Tim*. lect. 1. dicens: *Pro voluntate ſigni vult ſalvare omnes, quia omnibus propoſuit ſalutis remedia, conſilia, præcepta. Pro voluntate beneplaciti ſic exponi poteſt quatuor modis* . . . . & concludit Deum velle voluntate antecedente verè & ſincerè omnes ſalvos fieri. Quod ultimo loco dicitur, inſubſiſtens omninò detegitur; cùm ibi hæc duo componat *D. Thomas*, quòd omnis voluntas conſequens impletur, licèt non ſub reduplicatione & quatenus antecedens: cujus rationem proponit in corp. articuli dicens: *Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quòd cùm effectus conformetur agenti ſecundùm ſuam formam, eadem ratio eſt in cauſis agentibus, quæ eſt in cauſis formalibus. In formis autem ſic eſt, quòd licèt aliquod poſſit deficere ab aliqua forma particulari, non tamen à forma univerſali deficere poteſt. Poteſt enim eſſe aliquid, quod non eſt homo, vel vivum; non autem poteſt eſſe aliquid, quòd non ſit ens. Unde hoc idem in cauſis agentibus contingere oportet: poteſt enim aliquid fieri extra ordinem alicujus cauſæ particularis agentis, non autem extra ordinem alicujus cauſæ univerſalis, ſub qua omnes cauſæ particulares comprehenduntur: quòd ſi aliqua cauſa particularis deficiat à ſuo effectu, hoc eſt propter aliquam aliam cauſam particularem impedientem, quæ continetur ſub ordine cauſæ univerſalis. Unde effectus ordinem cauſæ univerſalis nullo modo poteſt exire. Et hoc etiam patet in corporalibus. Poteſt enim impediri, quòd aliqua ſtella non inducat ſuum effectum, ſed tamen quicumque effectus ex cauſa corporea impediente in rebus corporalibus conſequatur, oportet, quòd reducatur per aliquas cauſas medias in univerſalem virtutem primi Cœli. Cum igitur voluntas Dei ſit univerſalis cauſa omnium rerum, impoſſibile eſt, quòd divina voluntas ſuum effectum non conſequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam*

ipſam ſecundùm alium. Sicut peccator, qui quantùm eſt in ſe, recedit à Divina voluntate peccando, incidit in ordinem Divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur. Nihil clarius, aut luculentius inveniri poteſt hâc apertiſſimâ *D.Thomæ* auctoritate, & doctrinâ, quam repetit q.25. de verit. art. 2. Et quâ nos edocet, quòd voluntas Divina quoad ſe, & quoad finis intentionem, ſeu quà reſpicit bonum univerſale ſemper ſub hoc reſpectu impletur. Omnia ſiquidem cedunt in gloriam Dei; imò ipſe peccator, qui recedit ab iſta voluntate ut bonitas eſt, incidit in eam ut juſtitia eſt, & illam adimplet, quatenus peccatores obſtinatos punire ſtatuit & vult; ſicque ſuum in omnibus aſſequitur finem; ſuamque in omnibus adinvenit gloriam. Solùm ergo quatenus concideratur ipſa ex parte hominis, quem ad beatitudinem dirigit, non impletur, propter peccatoris reſiſtentiam, juxta illud Act. 7. v. 51.: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.*

28. Quod ſecundo loco dicitur, minimo negotio refutabitur, ſi conſideretur duplex ratio diſcriminis aſſignata à *M. Bolivar* tract.4. de volunt. Dei dub.5. §.5. Prima eſt, quòd in hominibus non ſtat relinquere conſecutionem beneficii in amici libertate, & ſimul habere voluntatem incompoſſibilem cum ejus conſecutione, ſecus verò in Deo: cujus ratio eſt: nam voluntas, ſeu diſpoſitio divina, utpotè primi Proviſoris, non aufert, ſed infert libertatem creaturæ, quæ in hominibus non currit. Secunda diſcriminis ratio, & præcedentis confirmatio eſt, quòd ad Deum non ſolùm ſpectat velle ſalutem conſequendam ab homine, dependenter ab ejus libertate, ſed etiam providere de determinatione libera creaturæ; atque adeò benè ſtat, quòd Deus velit inefficaciter ſalutem, quam homo conſequetur, ſi per ipſum non ſtet: quod ad ſeriam voluntatem ſufficit: & ſimul quòd poſteà ob alios fines ſibi notos permittat defectum in creatura impedientem conſecutionem ſalutis: quod in uno homine reſpectu alterius non contingit. Hæc doctrina veriſſima eſt, ſi *D. Thomæ* credimus 1. p.q. 22. art. 2. ad 2. dicenti: *Quod aliter de eo eſt, qui habet curam alicujus particularis, & de Proviſore univerſali: quia Proviſor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ ſubditur quantùm poteſt; ſed Proviſor univerſalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, nè impediatur bonum totius. Unde corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem; ſed tamen ſunt de intentione naturæ univerſalis, in quantùm defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius univerſi; nam corruptio unius eſt generatio alterius, per quam ſpecies conſervatur. Cum igitur Deus ſit univerſalis Proviſor totius entis, ad ipſius providentiam pertinet, ut permittat quoſdam defectus èſſe in aliquibus particularibus rebus, nè impediatur bonum univerſi perfectum: ſi enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo. Non enim eſſet vita leonis, ſi non eſſet occiſio animalium: nec eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio Tyrannorum. Unde dicit Auguſtinus (in Enchir.) Deus Omnipotens nullo modo ſineret malum aliquod eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet*

Omnipotens, & bonus, ut benè faceret etiam de malo: quibus ſatis exploratа, perſpecta, & cognita eſt argumenti ſolutio. Et argumentum manifeſtè inſtatur in Adverſariorum doctrina: Deus enim volens ſeriò converſionem, & ſalutem omnium hominum, ſcit eſſe neceſſarium, ut convertatur homo, & fiat ſalvus, ipſi conferre auxilium, cum quo prævidit perſeveraturum, & convertendum: & juxta alios, cognoſcit eſſe neceſſarium, conferre auxilium ex motivo efficaciæ, & directum ex ſcientia media, ſaltem juxta hanc providentiam; & tamen cum voluntate iſta antecedenti, ſtat voluntas conſequens de non conferendo reprobis tali auxilio: ergo cum voluntate illa antecedenti, quâ Deus ex ſua bonitate, & miſericordia vult omnes homines ſalvos fieri, compoſſibilis eſt voluntas conſequens de denegatione ſalutis. Sed non eſt quòd in hoc prolixiore diſputatione immoremur.

DISPUTATIO VI.

De extenſione gratiæ excitantis ad infideles, obduratos, & excœcatos.

DUBIUM I.

An Deus Infidelibus conferat auxilia ſufficientia ex voluntate illa, quâ vult omnes homines ſalvos fieri.

§. I.

Status controverſiæ proponitur.

1 TRIPLEX datur ſpecies infidelitatis, quæ communiter aſſignatur à Theologis cum D. *Thoma* 2. 2. q. 10. art. 5. nempe Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis, quas omnes eleganter ibi explicat dicens: *quia aut renititur fidei nondum ſuſceptæ, & talis infidelitas eſt Paganorum, ſive Gentilium; aut renititur fidei Chriſtianæ ſuſceptæ, vel in figurâ, & ſic eſt infidelitas Judæorum; vel in ipſa manifeſtatione veritatis, & ſic eſt infidelitas Hæreticorum*. Conſtat ergo, quòd alii fidem aliquando, ſaltem in Baptiſmate ſuſceperint, & ſuſceptam poſtmodùm reliquerint, quos *Hæreticos* dicimus. Alii fidem non re quidem, ſed figurâ ſaltem ſuſceperunt, figuratum tamen non agnoverunt, & iſti *Judæi* dicuntur. Alii demum infideles ſunt, qui fidem nullo unquam pacto, nullâ ratione, nec re ipsâ, nec in figura ſuſcepêre, ſeu verum illi Numen colant, ſed profanis omnino ritibus, uti *Turcæ*; ſeu nullum agnoſcant, ut *Athei*; ſeu falſum adorent, ut *Idololatræ*, quos *Gentiles* Scripturæ nuncupant, eò quod Idololatriæ tenebris in-

volvuntur. De infidelibus in præſenti quæſtio vertitur; an illi habeant aliquam gratiam, quâ poſſint ad ſalutem pervenire?

2. Illud ſecundò animadvertendum cenſeo, quòd infidelis duplex diſtinguitur: unus *negativè*, alter verò *poſitivè* dicitur talis. Prior ille eſt, qui nihil unquam de Chriſto audivit: poſterior verò ille cenſetur, qui ſufficientia de Chriſto audivit, ſed ex voluntaria in errore pertinacia, non vult credere, ſed poſitivè reſiſtit. Ita Angelicus Præceptor 2.2. q.10. artic.1. his verbis: *Infidelitas dupliciter accipi poteſt, uno modo ſecundùm puram negationem; ut dicatur infidelis ex hoc ſolo, quòd non habet fidem: alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundùm contrarietatem ad fidem; quia ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam, ſecundùm illud Iſaiæ* 53. *Quis credidit auditui noſtro? Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis; & ſecundùm hoc infidelitas eſt peccatum*. Illi ergo, qui nihil audierunt de Fide, infideles ſunt negativè, quia ignota eſt eis fides Chriſti; & infideles poſitivi illi ſunt, qui cordis incredulitate, duritiæ contumaciâ, & vitæ, morumque pravitate illi contradicunt.

3. Hoc infidelitatis poſitivæ peccatum eſt maximum omnium peccatorum, quæ contingunt in perverſitate morum, ut expreſsè docet D. *Thomas* 2. 2. q. 10. art.3. *Dicendum, quòd omne peccatum formaliter conſiſtit in averſione à Deo, ut ſupra dictum eſt. Unde tantò aliquod peccatum eſt gravius, quantò per ipſum homo magis à Deo ſeparatur. Per infidelitatem autem maximè homo à Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionem habet. Per falſam autem cognitionem ipſius non appropinquat ei, ſed magis ab eo elongatur. Nec poteſt eſſe, quòd quantùm ad quid Deum cognoſcat, qui falſam opinionem de eo habet: quia id quod ipſe opinatur, non eſt Deus. Unde manifeſtum eſt, quòd peccatum infidelitatis eſt majus omnibus peccatis, quæ contingunt in perverſitate morum. Secus autem eſt de peccatis, quæ opponuntur aliis virtutibus theologicis, ut infra dicetur*.

4. Lethaliter ergo peccant quicumque renituntur Chriſtianæ Fidei, ſive quam nondum ſuſceperunt, ut *Pagani*, & *Mahumethani*, ſivè quam ſuſceperunt in figura, ut *Judæi*: ſivè quam ſuſceperunt in ipſa manifeſtatione veritatis, quales ſunt *Hæretici*, & *Apoſtatæ*. Quamvis autem errent in pluribus *Pagani*, quàm *Judæi*; & *Judæi*, quàm *Hæretici*; infidelitas tamen *Judæorum*, qui Fidem Evangelii in veteri lege adumbratam ſuſceperunt, quam pravis interpretationibus corrumpunt, gravius peccatum eſt infidelitate *Ethnicorum*; *Hæreticorum* verò infidelitas, qui profitentur Fidem Evangelii, & ei renituntur, eam corrumpentes, gravius peccatum eſt infidelitate *Judæorum*, & *Paganorum*, atque *Mahumethanorum*. Totum expreſsè docet D. *Thomas* laudatâ quæſt.10. art.6. *Dicendum, quòd in infidelitate, ſicut dictum eſt, duo poſſunt conſiderari, quorum unum eſt comparatio ejus ad Fidem, & ex hac parte aliquis gravius contra Fidem peccat, qui Fidei renititur ſuſceptæ, quàm qui renititur Fidei nondum ſuſceptæ: ſicut gravius peccat, qui non implet, quod promiſit, quàm ſi non impleat, quod nunquam pro-*

promiſit. Et ſecundùm hoc infidelitas Hæreticorum, qui profitentur Fidem Evangelii, & ei renituntur, eam corrrumpentes, gravius peccant, quàm Judæi, qui Fidem Evangelii nunquàm ſuſceperunt: ſed quia ſuſceperunt ejus figuram in veteri lege, quam malè interpretantes corrumpunt: ideò etiam eorum infidelitas eſt gravius peccatum, quàm infidelitas Gentilium, qui nullo modo Fidem Evangelii ſuſceperunt.

5. Tertiò obſervandum eſt, quòd in præſenti loquimur de gratia, quantùm ad ſubſtantiam ſupernaturali. Etenim extra dubium debet eſſe, quòd Deus multis, variiſque modis ſe ipſum notum facit. Ad illius amorem excitant, & movent creaturæ, quia creatæ ab ipſo. Clamat quoquè intùs ei innata rationi juſtitia, quòd ex toto illum diligere debeat homo, cui ſe totum debere non ignorat. Non ſolùm natura, ſed etiam omnis creatura nos ad Deum amandum incitat. Cœlum, terra, & omnia, quæ in eis ſunt, apertè undique clamant, inquit *Apoſtolus* ad Rom. 1. *Inviſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles: quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Hæc namque viſibilia egregiè docent, & uſque ad finem ſæculorum perenne tradent Divinitatis documentum. Cœli, ſydera, ordo, ac interpolata dierum, noctiumque ſpatia, elementorum ſpecies, tantuſque creaturis inſitus decor & fulgor, magnitudinem Creatoris non voce tenui, ſed elatâ eloquentiſſimè celebrant, & ſe iuſtrumentum exhibent, ut inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur. Quare Sapientiæ 13. dicitur: *Vani ſunt autem omnes homines, in quibus non ſubeſt ſecretum Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt, qui eſſet artifex.* Et verſ. 8. *Iterum autem nec his debet ignoſci. Si enim tantùm potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum; quomodò hujus Dominum non faciliùs invenerunt?* Et v. 5. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.*

6. Hanc ergo gratiam ſufficientem ordinis naturæ omnibus præbet, quâ poſſint & ipſum agnoſcere Creatorem, & colere; necnon aliis extrinſecis auxiliis, ordinis etiam ſupernaturalis, terrore, flagellis, beneficiis, miraculis omnes vocat, & invitat ad pœnitentiam, ut timore concuſſi flagellum, pœnamque peccati ſentientes, implorent medicum, & auxilium. Hinc illud eſt, quòd, cùm dixiſſet *Moyſes* Domino Exod. 4. *Non credent mihi*, Dominus dedit ei poteſtatem ſigna faciendi. Invictè *Moyſes* Reges terræ proſtravit, partim prœliis, & victoriis, partim ſignis, & portentis, ita ut omnes in circuitu nationes timerent Dominum, eumque confiteri cogerentur. Potuerunt ergo, audientes magnalia Dei eumdem tot miris, variiſque modis in eorum corda ſe proferentem audire, & quaſi ſentire. Non ergo de illa ordinis naturalis ſufficienti gratia eſt controverſia, quâ creatura aſſurgere poteſt ad cognitionem Dei auctoris naturæ, nec de extrinſecis ordinis ſupernaturalis auxiliis; hæc namque nullus Theologus ab infidelibus negativè abjudicat, ſed de gratia ſufficienti quoad ſubſtantiam ſupernaturali.

7. Quar-

7. Quartò ſupponendum, quòd ſi loquamur de auxilio ſufficienti in communi, & ex parte ipſius remedii, quod datur, & proponitur à Deo in doctrina, atque oblatione virium ſufficientium, omnibus paratum eſt, & donatum à Deo auxilium ſufficiens, vel in ſe proximè, vel in ſuis cauſis, ut in meritis, & virtute paſſionis *Chriſti*; nam redemptio *Chriſti* pro omnibus hominibus facta eſt quoad ſufficientiam, ut dixit D. *Thomas* q. 29. de verit. art. 7. ad 4. *Dicendum, quòd meritum Chriſti quantùm ad ſufficientiam æqualiter ſe habet ad omnes: non autem quantùm ad efficaciam. Ipſe enim*, ut dicitur 1. Joan. 2. *eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed & totius mundi*. Et ad Corinth. 2. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. Et ad Hebr. 2. *Ut gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem*. Et 1. ad Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Etiam Eccleſia Catholica, ejuſque doctrina omnibus eſt propoſita, cùm ſit fons ille, de quo dicitur Zachar. 13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in abſolutionem peccatoris, & menſtruatæ*. Non ergo in præſenti eſt ſermo de auxilio ſufficienti, quaſi in univerſali, ſed de auxilio ſufficienti in particulari; ſcilicet, ut in iſto, vel alio ſubjecto ſingulari accipitur; an in omnibus infidelibus negativè ſit intrinſecè receptum?

8. Non etiam hìc agitur de gratia ſufficienti, quæ talis ſit per ſubminiſtrationem ſpiritûs, vigoris, & virtutis ad ſalutariter operandum, de qua Dubio ſequenti; ſed de auxiliis ſufficientibus, conſiſtentibus in quibuſdam motibus indeliberatis, quibus à Deo allicitur, excitatur, & aliqualiter provocatur infidelium voluntas ad rectè operandum; omnes namquè opportunis motionibus, & auxiliis excitat, adjuvatque Deus, ut in actus ſibi convenientes exiliant; cùm Deus non omnes illuminet ſolùm luce rationis, & intelligentiæ, ſed & luce gratiæ ſuæ. His generalibus auxiliis ſatis & lucis, & roboris accedit hominibus, ut crimen aliquod declinent, & præceptum aliquod legis naturalis utcumque impleant. Hôc ſecretô, & internô gratiæ ſuæ lumine tenebras eorum illuminat; aſpergitur veritas in cordibus eorum, ut cognoſcant, & ſciant verum à falſo diſcernere, confirmans, quod natura eiſdem prædicat. Ex eodem Divino gratiæ lumine ſunt conſcientiæ ſtimuli, quibus in dubium revocatur veritas ſuæ Sectæ. Indè emanant pudor peccati, & peccati pœnitentia, ob timorem pœnæ ſceleribus imminentis. Sunt ex eodem timores alii, cor inordinationibus, & ſuis cupiditatibus perturbatum malè torquentes: cùm ingenita omnibus, & anticipata ſit cognitio Dei, ut ſcelerum ultoris. Et tandem dantur in eiſdem aliæ cogitationes, ſeu auxilia ſufficientia, quibus ſi benè utantur, & ad ſupernum omne lumen non cæcutiant, majora indies gratiæ auxilia impetrare poſſent, quibus ad ſalutem perducerentur. Sic Deus operatur in cordibus infidelium, & eis, ſicut omnibus hominibus, rorem aliquem ſanguinis, & meritorum *Chriſti* aſpergit, munificentiamque ſuam pariter in omnes effundit, dùm ſincerâ, & beneficâ voluntate omnibus idonea, & ſuf-

& ſufficientia ad ſalutem ſuppeditat auxilia. Et quamvis motiones iſtæ omnes, & auxilia Divina ſpectari poſſint velut gratiæ ordinis naturalis; attamen poſt peccati labem invectam, gratiâ Divini Verbi Incarnati, ſupernaturalia jam ſuo quodam modo evaſiſſe auxilia hæc omnia, affirmare poſſumus; & quòd ea, quæ fuerunt Creatoris, jam Redemptoris beneficia facta eſſe non dubitamus. Quibus ſuppoſitis.

9. Concluſio eſt affirmativa, loquendo de auxiliis Divinæ gratiæ remotis, quibus ſi non abuterentur homines, reciperent ulteriora auxilia requiſita ad ſalutem conſequendam. Hanc tenent Eminent. noſter *Gotti* tom.3. de volunt. q.2. dub.3. §.5. Patres Salmanticenſes tract.14. q.3. diſp.6. dub.3. qui pro ea citant alios ex Thomiſtis, *Ferrarienſem*, *Medinam*, *Nazarium*, *Arauxum*, *Alvarez*, *Joannem à Sancto Thoma*, *Zumelem*, & *Cabreram*, & plures alios. An in hoc ſenſu ſententiam negativam teneant alii graviſſimi Thomiſtæ, aſſerentes ex vi Dei voluntatis antecedentis ſalvandi omnes homines, auxilia ſufficientia eſſe omnibus oblata, non tamen in omnibus intrinſecè recepta; aliorum judicio relinquo; cùm ultra defixos intelligentiæ meæ limites illi in ſuis aſſertionibus excurrere potuerint; & parum aut nihil admodùm conferat ad hæreſim *Janſenii* debellandam; cùm horum doctrina longè diſtet à ſyſtemate *Janſenii* nullam agnoſcentis in infidelibus gratiam ſufficientem, ſivè oblatam, ſivè intrinſecè receptam, ut firmat lib. 3. de gratia Chriſti cap.13. *Hæc igitur*, inquit, *pleniſſimè, planiſſimèque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certius, ac fundatius, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis, volentibus, conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque gratiam quâ fiant poſſibilia*. Ex quo eamdem propugnat doctrinam cap.11. cui titulus eſt: *Infideles carent gratiâ ſufficiente ad ſalutem, tam proximâ, quam remotâ, & omnibus principiis ejus*. Et in cap.12. quod inſcribitur: *Infideles non habent gratiam ſufficientem ordinis naturalis. Gratia ſufficiens à Semipelagianis inventa eſt*. Sed maximè eam propugnat cap. 20. ubi apertiſſimè negat, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus paſſum, & mortuum fuiſſe, ſequentibus verbis: *Ex quibus omnibus jam ſatis arbitror patère, argumentum iſtud, quo Chriſtus pro omnibus paſſus, & mortuus, vel redemptionem ſe pro omnibus dediſſe dicitur, nihil omninò pro auxilio ſufficienti omnibus, nemine excepto, ſuppeditando facere. Neque enim juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus omninò Chriſtus paſſus, aut mortuus eſt, aut pro omnibus omninò tam generaliter ſanguinem fudit: cùm hoc potius tanquam errorem à Fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum*. Et infrà, loquendo de prædeſtinatis, & electis: *Pro primi generis hominibus, tanquàm veris ovibus ſuis, vero Populo ſuo, tanquàm abſolutè ſalvando, ſemetipſum dedit, ac tradidit; pro iſtorum peccatis omnibus omninò delendis, & æternâ oblivione ſepeliendis propitiatio eſt; pro iſtis in æternum vivificandis mortuus eſt; pro iſtis ab omni malo liberandis rogavit Patrem ſuum, non pro cæteris, qui à fide, & cha-*

& charitate deficientes in iniquitate moriuntur. Pro his enim in tantùm mortuus eſt, & in tantùm propitiatio peccatorum eſt, & in tantùm rogavit Patrem, in quantùm temporalibus quibuſdam Divinæ gratiæ effectibus exornandi ſunt.

10. Quis ergo non videat, negare *Janſenium*, Deum quantùm in ſe eſt, omnibus infidelibus media ad ſalutem præparaſſe, aut offerre? Cui enim negatur beneficium paſſionis, & mortis *Chriſti*, conſequens eſt, ut negentur omnia ad ſalutem ſufficientia media, quæ ex meritis ejuſdem paſſionis, & mortis pendent, atque ſolùm intuitu illorum dantur. Si namque *Chriſtus* mortem pro omnibus hominibus pertulit, ne ſanguis ejus incaſsùm fuſus credatur, pro omnibus eâ intentione mortuus eſt, ut gratias mereretur, quibus omnes poſſent æternam ſalutem conſequi; quas omnibus paravit & offert.

11. Præſenſit juremerito *Janſenius* argumentum iſtud ſibi eſſe objiciendum; quare illud producit cap.20. his verbis: *Aliud argumentum pro gratia ſufficienti omnium hominum proferri ſolet, quia Chriſtus eſt Redemptor omnium juxta illud* 1. *ad Timoth.* 2. *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur eſſe poſſe, niſi gratiam ſaltem ſufficientem omnibus præparaverit.* Cui argumento reſpondet ille: *Reſpondetur & hoc argumentum, ſicut omnia præcedentia, jam olim ad nauſeam uſque à Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus inculcatum fuit. Ut mirum ſit recentiores tanto ſtudio trita Hæreticorum arma colligere, & obſoleta recudere.* Et quod magis mirum videri debet, eſt, quòd errorem ſuum attribuere intendat ſanæ, ſanctæque Eccleſiæ Catholicæ, *Auguſtino*, *Proſpero*, & *Fulgentio*: *Nec enim*, inquit ille pag. 164. col.2. *juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus omnino Chriſtus paſſus, aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter ſanguinem fudit; cùm hoc potius tanquam errorem à Fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.* Et in fine capitis pag. 166. *Illa extenſio tam vaga Modernorum Scriptorum non alio ex capite, quàm ex iſta generali, & indifferenti voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & Antiqua Eccleſia velut Machinam à Semipelagianis introductam repudiavit.*

12. Hæc ex ipſo tranſcripta clarè, ac nitidè, juxta ſenſum *Janſenii*, repræſentant, errorem fuiſſe *Semipelagianorum* dicere, Chriſtum pro omnibus hominibus ſanguinem fudiſſe. In quo ſanè perfectè apparet maxima illa diſtantia illius ſententiæ ab errore iſto. Theologi enim aſſerentes, ex parte Dei eſſe omnibus præparata, & oblata auxilia, licèt non ſint in omnibus recepta, apertè confitentur, *Chriſtum* pro omnibus mortuum; & non præcisè eo ſenſu, quòd mortuus fuerit quantùm ad ſufficientiam pretii, ſed & mortuum quantùm ad intentionem offerentis illud pretium, & applicationem illius per media, quæ verè ſufficiant omnibus ad ſalutem; quod ſufficit, ut diverſitas cognoſcatur. Ad probationem nunc pergamus.

§. II. *Ve-*

§. II.

Variis momentis probatur Concluſio.

13. CONcluſio iſta quinque potiſſimis argumentis comprobatur. Et quidem 1. ex illis Apoſtoli verbis: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quibus ſatis dilucidè explicat Apoſtolus, quàm ſincerè velit Deus miſericorditer, omnes homines, nullo excepto, ſalvos fieri: quæ voluntas verè etiam comprehendit infideles; ut enim inquit Apoſtolus ad Rom. 13. *An Judæorum Deus tantùm, nonne & Gentium Dominus eſt?* Et cap. 10. *Non eſt diſtinctio Judæi, & Græci; nam idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum.* En Deus infideles ſalvare volens, & omnibus in ordine ad ſalutem æternam benefaciens. Ex quo iterum ad Epheſ. 2. loquens Apoſtolus de Chriſto ait: *Ipſe eſt pax noſtra.* Et ad Coloſſen. 1. *In ipſo complacuit reconciliare omnia*: ſed hæc Dei voluntas, & beneficentia erga infideles ſalvari nequit, niſi detur ipſis auxilium ſaltem remotum, ex parte poteſtatis ſe tenens, ut ad ſalutem poſſint accedere; nec enim vult ſeriò finem, qui non vult ponere media ſimpliciter neceſſaria ad conſecutionem finis, maximè ſi in ejus unicè poteſtate ſit ea ponere: ergo Deus hoc intrinſecum remotum auxilium largitur omnibus.

14. Rurſus. Conſtat ex præcitatis verbis Apoſtoli ad Corint. 2. verſ. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt.* Quæ verba S. *Auguſtinus* urget contra Julianum lib. 6. cap. 1. dicens: *Ex hoc probavit* (Apoſtolus) *omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Inculco, infercio recuſanti, accipe, ſalubre eſt, nolo moreris: unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Vide quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt.* Quæ S. Doctoris argumentatio nullius eſſet momenti, ſi Chriſtus omnibus non daret auxilia, quibus pervenire poſſint ad ſalutem: cùm tamen maximi ponderis, & efficaciſſima viſa fuerit, ut ex ipſa intulerit, Chriſtum venturum judicare omnes fideles, & infideles. Conſtat ex illo Pſal. 95. *Judicabit orbem terrarum in æquitate.* Quem textum exponens S. Doctor enarrat. 95. verſ. 15. ſic ait: *Judicabit orbem terrarum in æquitate: non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, qui pro toto pretium dedit.* Dixerat namque ſuprà num. 5. *Venit Redemptor, & dedit pretium; fudit ſanguinem ſuum: emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt. Tanti quid valet? Quid, niſi totus Orbis? Quid, niſi omnes Gentes? Valdè ingrati ſunt pretio ſuo, aut multùm ſuperbi ſunt, qui dicunt, aut illud tam parvum eſſe, ut ſolos Afros emerit; aut ſe tam magnos eſſe, pro quibus ſolis illud ſit datum. Non ergo exultent, non ſuperbiant: pro toto dedit quantum dedit. Novit quod emerit, quia novit quanti emerit.* Si ergo, quando venerit judicare ſæculum, arguet Infideles de eorum infidelitate, juxta illud

Joann. cap. 16. *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato... De peccato quidem, quia non crediderunt in me*: non aufugient ſupremi Judicis judicium, quia non exempti fuerunt à miſericordioſiſſimi Redemptoris largitate: ità enim gratia Dei eſt illis data, quòd non habebunt quid reſpondeant in ſui excuſationem Deo judicanti, ut pronuntiat idem S. Doctor de Paſtor. cap. 14. *Propè omnis pagina nihil aliud ſonat, quàm Chriſtum, & Eccleſiam toto orbe diffuſam. Tu vide, ſi ovis es: non enim te latet grex, qui ubique eſt. Non habebis quid reſpondeas Judici tuo, quem non vis eſſe Paſtorem tuum: non habebis, inquam, quid reſpondeas Judici tuo: neſcivi, non vidi, non audivi. Quid eſt, quòd non ſciviſti? Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. Quid eſt, quòd non vidiſti? Viderunt omnes fines terræ Salutare Dei noſtri. Quid eſt, quòd non audiſti? In omnem terram exivit ſonus eorum.* Omnes inſuper miſericordia Dei prævenit, vocando omnes; quæ Dei præveniens vocatio reperitur in ſingulis hominibus, ut egregiè docet *Auguſtinus* lib. 1. *Retract.* cap. 26. dicens: *Nàm eſt miſericordia Dei, etiam ipſam præveniens voluntatem, quæ ſi non eſſet, non præpararetur voluntas à Domino. Ad eam miſericordiam pertinet, & ipſa vocatio, quæ etiam ſitim prævenit, de quâ paulò poſt cum agerem dixi* (lib. 83. quæſt. cap. 68.) *hæc autem vocatio, quæ ſive in ſingulis hominibus, ſive in populis, atque in ipſo genere humano per temporum òpportunitates operatur, altæ & profundæ ordinationis eſt.* En vocatio Dei communis omnibus; ſed qualiter per temporum opportunitates operetur in ipſo humano genere, & ſit efficax, altæ & profundæ ordinationis eſt, inquît *Auguſtinus*.

15. Secundum hujus Concluſionis momentum petitur ex illo *Joannis* 1. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Maxima ſanè eſt hujus textûs profunditas. Dicitur: *Lux vera*, quia lux ſpiritualis eſt, in qua nullæ ſunt tenebræ, ſedentibus in regione umbræ mortis rutilans, ut ab ipſis ignorantiæ tenebras repellens primò, cæteris poſteà facilè valeat mederi languoribus. Rurſus: quòd *illuminat omnem hominem*. Cùm enim natura, & virtus viſibilis lucis, quam Deus in Cælo conſtituit, illuſtret omnia, quæ objiciuntur ſibi, opaca penetret, & rimetur occulta, ità ut non ſit qui lucis illius ſplendorem effugere valeat; quid de ipſa inviſibili luce, & æterna, per quam cætera luminaria, quæ facta ſunt, illuminantur, arbitrandum eſt? Hoc ſanè veriſſimum eſt, quòd lux iſta Divina ineffabiliter coruſcat in omnes: & quòd lucis veræ ſpirituales radios in omnem diffundit rationalem creaturam; ut omnes, nullo excepto, etſi infidelitatis tegantur tenebris, ad illam poſſint accedere; niſi qui radiantem non velint aſpicere veritatem, ut ſtatuit, & diſertiſſimè docet *D. Chriſoſtomus* Hom. 7. in *Joan. Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines ſine lumine permanent (neque enim omnes Chriſtum cognoſcunt) quomodò ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profectò quantum in ipſó eſt. Si qui autem ſponte ſuâ mentis oculis conventibus ad hujus lucis radios aciem*

diri-

dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt: ſed malitiâ ſuâ, qui ſponte tantô ſe dono indignos reddiderunt; nam gratia in omnes diffuſa eſt. Non ſcytham, non liberum, non ſervum, non virum, non mulierem, non ſenem, non juvenem effugit, aut dedignatur: omnibus eadem eſt, omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore advocat; qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent.

16. Sic textum intelligit, & explicat *D. Thomas* ibi lect.5. *Et talis eſt ſenſus, illuminat, ſcilicet Verbum, quantùm de ſe eſt, quia ex parte ſua nulli deeſt, immò vult omnes homines ſalvos fieri.... Quòd ſi aliquis non illuminatur, ex parte hominis eſt avertentis ſe à lumine illuminante.* De eadem illuminatione, quâ perfuſi homines poſſunt credere, & ad Deum converti, textum exponit S. *Auguſtinus* lib. de Geneſ. contra Manichæos cap. 3. dicens: *Illud autem lumen non irrationabilium avium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt. Quod omnes homines poſſunt, ſi velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Quæ magis explicat lib. 1. Retractat. cap. 10. num. 2. dicens: *Quòd vero dixi.... Omnes homines poſſunt, ſi velint, non exiſtiment novi Hæretici Pelagiani ſecundùm eos eſſe dictum. Verum eſt enim, omnes homines hoc poſſe, ſi velint, ſed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut poſſint.*

17. En ſupernaturalis illuminatio in omnem hominem diffuſa. Hìc *Auguſtinus* duplicem diſtinguit ſupernaturalem illuminationem: aliam perfectam, & factam per fidem, quam explicat his verbis: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt.* Aliam imperfectam, & præviam ad fidem, cui ſi homines ſe ſubmittant, accipiunt auxilium immediatè ad credendum, juxta illud Sap. 6. verſ. 14. *Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat.* Quæ ſanè duæ illuminationes, ut diſtinctæ, ponuntur à S. Doctore. Etenim ex cauſali iſta: *Quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*, infert *Auguſtinus*, quòd Deus omnibus largietur converſionem, ſi ipſi cooperentur illuminationi importatæ in illa cauſali: ergo cùm id, quod ex parte cauſalis ponitur, ſit diſtinctum ab eo, quod ex cauſali deducitur, planè conſtat, quòd alia eſt illuminatio, quæ datur, ut omnes poſſint credere, ab illa, cui cooperari debent. Porrò ſi prima illuminatio perfecta eſt propria credentium; hæc ſecunda imperfecta eſt communis, tàm credenti, quàm non credenti, cùm ſit illuminatio, quâ illuminantur omnes, qui poſſunt credere, ſi velint, teſte eodem *Auguſtino* dicente: Quòd *omnes homines poſſunt, ſi velint*: at illuminatio, quâ illuminantur, tam credentes, quàm non credentes, eſt omnibus communis: ergo datur gratia ſupernaturalis, quæ ſit omnibus communis.

18. Præterea: illuminatio, quâ illuminantur qui poſſunt credere,

ſi velint, eſt illuminatio præſtita à luce quadam ſupernaturali, quâ ſi homines rectè operentur, ipſis præſtò eſt ex parte Dei alia lux ſupernaturalis perfectè illuminans, quâ conſtituantur proximè, integrè, & immediatè potentes ad credendum: ergo cùm hæc illuminatio non deficiat, tam credenti, quàm non credenti, illa illuminatio, quâ illuminantur, qui poſſunt credere, ſi velint, eſt illuminatio communis omnibus hominibus. Quo ſenſu egregiè dixit *Auguſtinus* enarrat. 1. in Pſal. 18. ad illa verba: *Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*, hæc ſequentia num. 7. *Et non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus. Cùm autem Verbum etiam caro factum eſt, & habitavit in nobis mortalitatem noſtram ſuſcipiens, non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis; & ipſam enim penetravit Verbi calor.* Et ſuper Pſalmum 49. *Nec eſt enim, qui ſe abſcondat à calore ejus. Qui Terram vocavit, & totam terram vocavit. Qui terram vocavit, tantam vocavit, quantam fabricavit.* Et tandem lib. 3. de lib. arbitr. cap. 19. *Rectè fortaſſe quererentur, ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret, qui multis modis per Creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.*

19. Tandem dicitur: *in hunc mundum venientem*. Illuminat quippe omnem hominem, ut hâc luce ipſe perfuſus factorem ſuum agnoſcat, agnoſcendo diligat, & diligendo ſe convertat in ipſum. Quare docet Angelicus Doctor 1. 2. q. 89. art. 6. & in pluribus aliis locis, quòd nullus eſt puer, qui non teneatur ſe convertere ad Deum ſtatim, atque uſum rationis attingit, converſione connexâ cum juſtificatione; ſed hæc converſio cum juſtificatione connexâ haberi non poteſt, niſi per principium ejuſdem ordinis, quod aliud eſſe nequit, niſi gratia: ergo nullus in hunc mundum veniens eſt hâc ſpirituali luce privatus.

20. Secundò: ad converſionem iſtam connexam cum juſtificatione non ſufficit offerre in communi, ſeu Deum paratum eſſe, quantùm eſt ex ſe, auxilia conferre, ſed requiritur, quòd auxilia ſint intrinſecè recepta; non enim poſſibilis eſt talis converſio, deficiente cognitione finis ſupernaturalis, ad quem debet ſe convertere; ſed cognitio talis finis dari nequit, niſi medio lumine intrinſecè recepto: ergo.

21. Tertiò: homo omni prorſus auxilio deſtitutus ſupernaturali caret poteſtate antecedente cognoſcendi media intrinſecè conducentia ad ſalutem; ſed ignoranti media conducentia ad ſalutem, fruſtra eſt, quòd ipſi offerantur talia media: ad quid enim deſervit oblatio medii, quod ignoratur eſſe tale ad conſecutionem ſalutis? Ergo non ſufficit oblatio auxilii, ſed irrequiritur actualis intrinſeca receptio.

22. Et tandem, quia Deus omnem hominem venientem in hunc mundum ſic lucis ſuæ radiis illuminat, ut per ipſum ſtet, ſi non ſe convertat, & juſtificetur, ut dicit D. *Thomas* in *Joan.* cap. 1. lect. 5. *Sed*

ne credas defectum ipſum eſſe ex remotione, & abſentia veræ lucis, & hoc excludens Evangeliſta ſubdit, in mundo erat. Et verbis ſuprà citatis; *Quòd ſi aliquis non illuminatur, ex parte hominis eſt, avertentis ſe à lumine illuminante.* Quod & multis aliis in locis advertit D. *Thomas.* Quodlib. 1. art. 7. q. 4. in Reſp. ad 1. & 3 contra gentes cap. 159. *Sed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur; licèt videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur.* Sed ut verificetur ſtare per ipſum, quòd non ſe convertat, & juſtificetur, debet eſſe penes ipſum poſſe juſtificari, quod ſine gratia interiùs collata fieri nequit: ergo dantur omnibus auxilia ſaltem remota, quibus poſſint ſe ad Deum convertere.

23. Confirmatur hoc ex Auctore libri de vocat. Gent. cap. 14. dicente: *Nec ob hoc excuſabiles ſunt Nationes, quæ alienatæ à converſione Iſrael ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo ſub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc univerſum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit.* Pergit cap. 15. *Adhibita enim ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris, occultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen, ſicut Dominus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* Et cap. 17. *Quibus tamen illa menſura generalis auxilii, quæ deſuper omnibus hominibus eſt præſtita, non denegatur.* Et cap. 23.: *Sive igitur noviſſima ſpectemus ſæcula ſeu prima, ſeu media, rationabiliter, & piè creditur omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe; & hoc non aliunde monſtratur, quàm de iis beneficiis, quæ providentia Dei univerſis generationibus, communiter, atque indifferenter impendit. Fuerunt enim, & ſunt hujuſmodi dona, ita generalia, ut ipſorum teſtimonio ad quærendum verum Deum poſſunt homines adjuvari.* Et cap. 29. *Univerſitati hominum (quod abundè probavimus) ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper, & conſulit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis, neque cuiquam ſit liberum de ſua juſtitia gloriari, cùm & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & iſtos Dei gratia perducat ad gloriam.* En qualiter ipſe Deus non ceſſat erudire nos, & ad ſui, auxiliis gratiæ ſuæ, evehere cognitionem. En qualiter illuminatio ſupernaturalis, & gratia ſufficiens eſt erga omnes diffuſa ex vi voluntatis, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri.

24. In eadem etiam cum *Proſpero* ſententia, eſt alter *Auguſtini* Fideliſſimus *Paulus Oroſius* in ſua liberi arbitrii contra Pelagium Apologia, his verbis: *Mea ſemper hæc eſt fidelis atque indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum, non ſolùm in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob credentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur, verùm etiam univerſis in hoc mundo gentibus, propter longanimitatem ſuam æternamque clementiam ſubminiſtrare: non ut tu aſſeris cùm diſcipulo tuo Celeſtio, (cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmata natura contuſa eſt) in ſolo naturali bono, & in libero arbitrio*

gene-

generaliter univerſis unam gratiam contributam, *ſed ſpeciatim*, *quotidiè per tempora*, *per dies*, *per momenta*, *per atomos*, *cunctis*, *&* *ſingulis miniſtrare*. En conceptiſſimis verbis gratia ſupernaturalis, diſtincta ab omni naturali bono omnibus hominibus communicata; quam ſententiam adèo veram cenſet *Oroſius*, ut illam dixerit, *fidelem atque indubitatam ſententiam*.

25. Tertium fundamentum deſumitur ex illo Deuteron. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: quod quidem præceptum omnem hominem obligans, renovatur Matthæi 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, *&* *in tota anima tua*, *&* *in tota mente tua*; ſed obſervantia hujus præcepti impleri nequit, niſi omnibus detur gratia ſupernaturalis: ergo hæc omnibus datur. Minor probatur: præceptum hoc, ut dicitur verſ. ſeq. *Eſt maximum*, *&* *primum mandatum* includens virtute, & ſaltem in affectu, omnium mandatorum legis obſervantiam; juxta illud *Joann.* 14. v. 15. *Si diligitis me*, *mandata mea ſervate*; & verſ.21. *Qui habet mandata mea*, *&* *ſervat ea*, *ille eſt qui diligit me*; & verſ. 23. *Si quis diligit me*, *ſermonem meum ſervabit*: ſed actus iſte præſtantiſſimus, & difficillimus nequit fieri, niſi adjuvetur quis gratiâ ordinis ſupernaturalis; eſt namque, ut definit Concilium *Arauſicanum* 2. Can. 25. *Prorſus Dei donum diligere Deum*; qui modus indefinitè loquendi comprehendit amorem Dei, tàm naturalem, quàm ſupernaturalem. Cujus evidentem rationem aſſignant PP. Concilii, quia natura corrupta pondere ſuæ pravæ inclinationis ita fertur in bonum ſenſibile, aut in bonum privatum ſuum, ut niſi per gratiam erigatur, nequeat aſſurgere ſursùm. Quæ ſanè benè concinunt cùm his, quæ *Auguſtinus* ſcripſit ad *Vitalem* Epiſtola 107. modò 217. cap.4. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Et hoc ipſum eſt, quod D.*Thomas* non tam ſimili modo, quàm iſdem verbis, ſatis ſuperque demonſtrat. 1.2. q.109. art.3. dicens: *Et ideo dicendum eſt*, *quòd homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia*, *licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis*: *ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam ſanantis*.

26. Hujus rationem ſuprà dedit ſanctus Doctor; quia nempe in ſtatu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit ſecundùm appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam. Debet ergo voluntas hominis lapſi, veluti ex peccato recurva, & ad bonum privatum converſa, èrigi, & ſanari per gratiam, ut poſſit elicere actum illum perfectiſſimum dilectionis auctoris naturæ. Rurſus D.*Thomas* eumdem amorem vires naturæ lapſæ excedere aſſerit, quem docet non excedere vires naturæ integræ: ſed ſolus amor Dei, ut auctoris naturæ, vires naturæ integræ non excedit: ergo iſte omnes naturæ corruptæ vires exuperat, ſed actus iſte eſt actus perfectiſſimus vitæ moralis, & ultimus naturæ ſanæ conatus: ergo nequit in illum prorumpere natura debilis corrupta, &

ſau-

ſauciata, niſi ſanata per gratiam ordinis ſupernaturalis, quæ voluntatem hominis lapſi, magis pro hoc ſtatu ad malum, quàm ad bonum inclinantem, & propendentem, ad bonum inclinet, cordis affectum erigat, & amorem honeſti caſtum inſeminet. Uno verbo, indiget homo lapſus propter naturalium vulnerationem, mentis obſcurationem, & voluntatis ad ſe ipſam recurvationem, alio auxilio, quod non ſolùm moveat, ac determinet, ſed ipſam erigat.

27. Hoc idem magis magiſque confirmatur doctrinâ Angelici Præceptoris, in præſenti articulo duplicem diſtinguentis amorem Dei Auctoris naturæ. *Alia eſt dilectio quædam naturalis, quâ quælibet pars ſe ipſam diligit propter bonum totius.* Quam dilectionem explicat *D. Thomas* his verbis; *Manifeſtum eſt autem, quòd bonum partis eſt propter bonum totius: unde naturali appetitu, vel amore unaquæque res particularis amat bonum ſuum proprium propter bonum commune totius univerſi, quod eſt Deus.* Alia eſt dilectio Dei auctoris naturæ electiva, & appretiativa, quâ liberè Deus ſuper omnia diligitur, ac omnia ad ipſum, ut ultimum finem, referuntur; de qua loquitur in præſenti D. *Thomas* his verbis: *Undè & Dionyſius dicit in lib. de Divin. Nom. quòd Deus convertit omnia ad amorem ſui ipſius: unde homo in ſtatu naturæ integræ, dilectionem ſui ipſius referebat ad amorem Dei, ſicut ad finem, & ſimiliter dilectionem omnium aliarum rerum. Et ita Deum diligebat plus quàm ſe ipſum, & ſuper omnia.*

28. Hoc ergo ſuppoſito, fit argumentum. Licèt dilectio Dei, ut auctoris naturæ, ſit actus entitativè, & ex parte objecti merè naturalis, qui per ſe non exigit, ex præciſa ratione objecti, niſi auxilium ſpeciale naturalis ordinis; & ulteriùs, licèt ſuppoſitâ adhuc elevatione hominis ad ordinem ſupernaturalem, verificetur dilectio Dei, ut auctoris naturæ, diſtincta ab ea, quâ diligitur, ut auctor gratiæ & gloriæ; ut demonſtrat *D. Thomas* fuiſſe in Angelis 1. par. q. 62. art. 7. attamen ſuppoſitâ elevatione hominis ad ordinem ſupernaturalem, dari nequit ejuſmodi dilectio Dei auctoris naturæ electiva, & appretiativa; ille nempe amor liber, caſtus, & amicitiæ, quô Deus diligitur, ut amicus, ut univerſalis legislator, quô diliguntur & omnia propter ipſum, ſine gratia ordinis ſupernaturalis; ratione ſcilicet ſuprà poſitâ: quia nempe cùm homo infirmus totus ſit languens, cùm & tot attritus ſit infirmitatibus ſpiritualibus, & paſſionibus involutus, Deum nequit abſque gratia ſanante ſuper omnia diligere, ac omnia ad ipſum, ut ultimum finem referre: ergo requiritur, ut ſanetur, & erigatur ad elicentiam hujus perfectiſſimi actûs dilectionis Dei auctoris naturæ, gratia ordinis ſupernaturalis ipſum ſanans.

29. Quartum argumentum elicitur ex tot beneficiis, & auxiliis, quibus Deus divinam ſuam voluntatem ſalvandi homines ſatis oſtendit. Hanc primò demonſtrant tot inſignia ſuprà ſtatuta Divinitatis argumenta communiter propoſita; nam etſi illorum clariſſima vox in oculis, & non in auribus clamitet; at uterque oculus carnis & ſpiritûs, quamvis inter ſe alter plurimùm diſtet ab altero, conditi ſunt, ut ſe invicem ju-

vent

vent, & Deum ſuo modo uterque glorificet. Quare dùm in Creaturis cognoſcibilis apparet Deus rationali ſpiritui per miniſterium carnalium oculorum, de inviſibilibus inſtruit eum auxilio gratiæ ſuæ, ut de tenebris, & de erroribus illum revocet, & ad ſui cognitionem evehat. Quis ergo non videat, neceſſariam fuiſſe hominibus aliquam gratiam, & cùm exterior inſufficiens ſit, ut poſſint credere, interior agnoſcenda eſt, quâ poſſint credere, ut jam pereuntibus excuſatio non ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis. Conſequentia eſt *S. Auguſtini* lib. 10. Confeſſion. cap. 6. dicentis: *Cœlum & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, undique mihi dicunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles. Altius tamen tu miſereberis, cui miſertus fueris, & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris: alioquin Cœlum, & terra ſurdis loquuntur laudes tuas.*

30. Hanc ſanè probant ſecundò tot leges, & præcepta, quibus illuminabat eos, ut paſſus ſuos in via ſalutis dirigerent. Tot prohibitiones, objurgationes, & comminationes, quæ in ſacra Scriptura exaratæ leguntur, ut oſtenderet vindictam, quam aliquando in infringentes legem ſeveriſſimè exercebit, & ut ad ipſum tamquàm ad verum Deum confugerent, potentiorem quærerent, & timerent. Tot præmia, & promiſſiones, ut fideles Deo manerent, & ad virtutem accederent. Præbent nova identidem Divinæ voluntatis ſalvandi omnes homines argumenta tot mira prodigia, & portenta, quibus movebat eos, ut dignos pœnitentiæ fructus facerent. Etiam Apoſtoli miſſi, ut ultimæ Nationes Fidem ab ipſis audirent, ubique prædicantes, & ſermonem ſignis, & miraculis confirmantes, ut inexcuſabiliter obedirent Fidei: quia hoc, nempe, exigebat Dei amor, bonitas, & miſericordia, quibus vult, omnes homines ſalvos fieri. Ergo cùm jam locutus ſit in Filio, cùm omnibus venerit *Chriſtus*, ut mediator, & ut reconciliaret omnia, firmiſſimum haberi debet, quòd eâdem beneplaciti voluntate antecedente ſalvandi omnes homines, omnibus diſpenſata ſint auxilia ſaltem remota ſupernaturalia intuitu meritorum *Chriſti*, tam ad Deum verum cognoſcendum, quàm ut ſcelera ſua peccatores per pœnitentiam abſtergant, & ad ipſum revertantur. In quo ſanè nihil eſt Scripturis Sacris, & SS. PP. adverſum, quin potiùs reſplendet magis Dei miſericordia, & gratia *Chriſti*, quæ non eſt ſolummodò gratia perſonæ particularis, ſicut eſt gratia aliorum juſtorum, ſed etiam gratia capitis, quæ influit in omnes homines, tamquàm in ſua membra, ut docet *Tridentinum* ſeſſ.6. cap.16. Quare clamat ipſe Deus Iſaiæ 5. v.4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Et cap.65. v.1. *Invenerunt, qui non quæſierunt me; dixi: ecce ego*, quia, nempe, cùm ſuperabundet gratia, ubi regnavit delictum, omnes interiùs movet ad bonum, obedientes illuminat, dociles prævenit divinis gratiæ ſuæ auxiliis, etſi ad ipſos nulli ſpecioſi Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona pervenerint pedes.

31. Quintò probatur concluſio ex eo quòd natura humana, quæ fuit in innocentia creata, poſt lapſum, ex culpa originali fuit reparata, & ele-

elevata ſupra ſe ipſam ad ordinem ſupernaturalem: ita quòd quilibet homo eſt elevatus ad eumdem ordinem: *Ubi*, inquit Apoſtolus, *abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia, quæ per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Quod amoris divini beneficium ob oculos nobis proponit 1. ad *Timoth.* cap. 2. *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Quibus verbis clariſſimè exprimit *Apoſtolus* tam elevationem naturæ humanæ ad ordinem ſupernaturalem, quàm ejus reparationem: cùm duo hæc ita inter ſe ſint conjuncta, ut niſi Deus omnes, & ſingulos homines elevaſſet, & ordinaſſet ad finem ſupernaturalem, non in omnibus, & ſingulis reparaſſet naturam humanam.

32. Hujus naturæ rationalis ad ordinem ſupernaturalem elevatæ ultimus finis eſt æterna beatitudo, ut docet D. *Thomas* 2. 2. q.2. art. 3. his verbis: *Unde & ſupra dictum eſt, quòd ultima beatitudo hominis conſiſtit in quadam ſupernaturali Dei viſione*. Et finis iſte non unius, aut alterius, non tantùm hominum fidelium, ſed omnium hominum finis eſt, ut dixit S. *Auguſtinus* lib. 3. de Trinit. cap. 4. *Omnes homines conveniunt in appetendo ultimum finem, qui eſt beatitudo*. Si namque beatitudo naturalis fuiſſet ultimus finis hominis in ſtatu naturæ puræ conſtituti, in quo poterat à Deo creari; beatitudo ſupernaturalis eſt finis ultimus, ad quem, Deo providente in ordine ſupernaturali, homo ordinatur in hoc ſtatu præſenti naturæ reparatæ, meritis *Chriſti* omnium Redemptoris; perficitur quippe natura rationalis ſecundùm motum ſuperioris naturæ, quatenus ex ſupernaturali participatione divinæ bonitatis movetur, & ordinatur ad altius principium eſſendi in ordine ſupernaturali.

33. Habent ergo homines pro hoc ſtatu naturæ lapſæ, ac reparatæ pro fine quid ſupernaturale, ſtantque ſub Dei providentia ordinis ſupernaturalis, & gratuiti; ſed *providentia ordinem in finem reſpicit tantùm, unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur*, ut inquit D. *Thomas*, de Verit. q.6. art.11. in corp. Necnon, *providentiæ eſt dirigere unumquodque in finem, & ſubtrahere impedimenta*, ut firmat idem S. Doctor in 1. ſent. diſt.39. q.2. art.1. in corp. Ergo omnes & ſinguli à Deo diriguntur, & promoventur ad finem, recipiendo media, ut poſſint moveri, & disjungi à peccato, tanquam a termino *à quo*, & accedere ad ipſum, tanquam ad terminum *ad quem*. At cùm Creaturæ rationales non ſint proviſæ tantùm, ſed & providentes; habeantque ſuorum actuum electionem, ut liberè operentur, & agant ad finem conſequendum, ideò media debent eſſe ejuſdem ordinis, in quo eſt finis aſſequendus: ergo Deus ſuâ ſupernaturali providentiâ providet illis gratuita auxilia, quibus promoventur, excitantur, & adjuvantur, ut valeant finem adipiſci. Sicuti enim Infideles non ſibi providerent, ſi deficeret eis in ſuis actibus libertas: ita nec provideret Deus illis ſufficienter, ſi deficerent media, ſive auxilia gratuita, quibus va-

leant ipſos actus liberos elicere in ordine ad finem. Quod ergo magis evidens argumentum, ut probetur, Deum omnibus velle finem ſalutis æternæ?

34. Tandem his omnibus addo contra *Janſenium*, quòd ſi Infidelibus nulla darentur, nec ex parte Dei prompta, nec intrinſecè recepta auxilia ſufficientia, ſequeretur, quòd omnes Infideles eſſent negativè, & inculpabiliter Infideles, neceſſitate, non voluntate. Quis enim capiat, quòd homo in eo peccet, quod neque ſcit, nec ſcire potuit, nec voluntate ſuâ volente, aut torpeſcente talis ignorantiæ cauſam dedit? Quod apertiſſimè fatetur ipſemet *Janſenius*. Etenim cùm ſibi propoſuiſſet argumentum illud; quod lib.2. de natur. lapſ. cap. 5. *Molem Giganteam* appellat; & in eodem libro cap. 2. probare intenderet, quòd ignorantia, etiam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt invincibilis, non caret peccato; fuiſſeque hoc, ut dogma fidei, ab antiquis traditum; contra ſe tale cap. 4. format argumentum: *Sed hìc gigantea occurrit moles, & ut videtur, nodus inſolubilis, quî fieri poſſit, ut ex invincibili ignorantia peccatum poſſit perficiſci? Quis enim capiat, ut homo in eo peccet, quod neque ſcit, neque ſcire poteſt, nec voluntate ſuâ, ſive volente, ſive torpeſcente talis ignorantiæ cauſam dedit? Hujuſmodi enim peccata jam non erunt ne quidem voluntaria, quod ad peccati rationem omninò neceſſarium eſt, ſed neceſſaria. Et quis credat tale portentum doctiſſimum, ſanctiſſimumque virum* (Auguſtinum) *docere potuiſſe?* Ita *Janſenius*. Cui ſic reſpondet: *Si te benigne Lector iſta difficultas fortè movet, profectò movet & me; non tamen ita, ut vel dubitem, doctrinam iſtam Auguſtinum tradidiſſe, vel in ea tradenda fluctuaſſe, vel hallucinatum eſſe, ſed potius ut obſtupeſcam, & exhorreſcam profunditatem judiciorum Dei.*

35. Novit ergo *Janſenius*, peccatum nullum eſſe, niſi fuerit voluntarium: hancque veritatem eſſe Fide Catholicâ certiſſimam (ſive libertas ſit formalis ad effectum, ſive in cauſa) dubitare non potuit. Novit etiam in infidelibus negativè talibus deficere neceſſariò voluntareitatem non credendi; quoniam naturæ viribus haberi non poteſt fidei cognitio; quod & ipſa fides docet. Opponit dumtaxat *Auguſtini* ſenſum ſibi, ut putat, omninò manifeſtum. Res profectò mira! *Auguſtinus* ſibi manifeſtus contra expreſſas fidei veritates? Quantò ergo ille ſibi meliùs conſuluiſſet, ſi de ſe demiſſiùs ſenſiſſet, & potiùs crederet ſe *Auguſtinum* non capere, quàm arcanum incognitum ſub meridiana luce credendum veniſſe? Igitur poſitis illis fidei veritatibus, hæc etiam veritas æquâ omninò claritate, & certitudine agnoſcenda eſt, ſcilicet: ſi Deus neget Infidelibus omnia auxilia ſufficientia, omninò excuſabiles ſunt de carentia fidei: nullum propterea in ipſis erit in hâc parte peccatum perſonale; ſed dumtaxat cum originali manebunt: & omnes miſeriæ, quas immedicabiliter patiuntur, quantùm ad hanc rationem (ideſt, ſi contra naturalis luminis documenta ſufficienter adjuti intra naturalem ordinem non peccent) habebunt quidem rationem pœnæ, ſed nullo modo culpæ; cùm neque vocentur, nec auxilia reſpuant, ſed

pon-

ponderi naturæ ægri relinquantur, ignorantes omnia remedia, & quæ ad remedium facere poſſunt. Nulla ergo iſtis damnatio, niſi pœnæ damni; cùm ipſe Dominus dixerit: *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.* Credat ergo *Janſenius*, *Auguſtinum* hanc Domini ſententiam non ignoraſſe, ſed ſe ignoraſſe *Auguſtinum*.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

36. OBjicies primò communem Theologorum ſententiam ſtatuentium cum *D. Thoma* 2. 2. q. 10. art. 1. dari infidelitatem negativam, cujus oppoſitum damnatum eſt à *S. Pio V.* contra *Bajum* prop. 65. ſed hæc dari nequit cum eo, quòd omnibus conferatur lux aliqua ſupernaturalis, quâ ſi rectè operentur, conſequentur fidem; cùm tunc carentia fidei non eſſet in illis pura negatio, ſed privatio fidei contraria imputabilis ad culpam: ergo non omnibus conferuntur auxilia ſufficientia remota.

37. Hoc, quod primâ fronte videtur efficaciſſimum argumentum, nihil in gratiam oppoſitæ ſententiæ evincit. Reſpondetur negando minorem. Etenim dum ſufficienter non ſunt propoſita myſteria credenda ex divina revelatione, manet infidelitas negativa; & ex vi talis illuminationis non ſunt ſufficienter ad fidem propoſita myſteria credenda: datur quippe ignorantia invincibilis, tam revelationis, quàm myſteriorum cum luce illa ſupernaturali, quæ ſolùm eſt diſpoſitio remota ad fidem. Quid namque diverſum eſt cognitio revelationis, & myſteriorum ab actu ſupernaturali, qui elici poteſt ex vi talis auxilii, quô tam ex parte intellectûs, quàm ex parte voluntatis remotè movetur, & afficitur ad ſalutem; nec enim ex vi hujus illuſtrationis legem de credendo cognoſcit, nec malitiam repertam in carentia fidei; ex quo iſta ipſi penitus eſt involuntaria, tam in ſe, ut fatentur Adverſarii, quàm in ſua cauſa, cùm nuſquam fuerit prævisa, nec prudenter prævideri potuerit in non recto uſu talis auxilii, cùm auxilium ſecum non afferat cognitionem revelationis, & myſteriorum. Unde non eſt carentia cum cognitione illius, cujus eſt carentia.

38. Et inſtatur argumentum in ſententia oppoſita. Cum oblatione auxiliorum compoſſibilis eſt ignorantia invincibilis de myſteriis, & præceptis ſupernaturalibus: cur ergo cum eiſdem, etſi intrinſecè receptis, auxiliis, non erit ignorantia invincibilis tam revelationis, quàm myſteriorum, & infidelitas negativa? Sicut ergo reſpondebunt ipſi, quòd cum oblatione auxiliorum remanet iſta; quia nempè infideles nec vident, nec prævident, ſe in pœnam peccatorum ſuorum privari receptione intrinſecâ, & fide plenâ, & perfectâ, quæ omnia invincibiliter ignorant; ita & nos dicimus, quòd talibus auxiliis intrinſecè receptis Infideles nec vident, nec prævident, ſe non recto illorum uſu privandos

lumine perfecto plenæ fidei. Cujus ratio, & fundamentum petitur ex eo, quòd recipiens talia auxilia, & actus ſupernaturales non eliciens, nec eorum ſupernaturalitatem agnoſcit, nec agnoſcere poteſt, niſi mediâ expreſsâ revelatione ſibi factâ. Eo prorſus modo, quo Theologi affirmant, hominem juſtum ignorare, ſe eſſe in gratia, ut definit *Tridentinum* ſeſſ. 6. cap. 9. Quia nempe ignorat, an actus eliciti ſint ex principio, & motivo naturali, vel ſupernaturali: ſic nos in præſenti dicimus, quòd infideles, etſi recipiant lumen remotè diſponens ad fidem, nec ſupernaturalitatem luminis, nec myſteria credenda agnoſcunt, ut carentia fidei ſit ipſis imputabilis ad culpam: unde dicit Apoſtolus: *Quomodo credent in eum, quem non audierunt?*

39. At ſupponamus, quòd omnes etiam infideles in primo inſtanti morali uſûs rationis, medio tali lumine ſupernaturali, & revelatione interiori ſint ſufficienter inſtructi de credendis, ut poſſint ſe convertere ad Deum auctorem gratiæ. An non in tali tenera ætate hujus illuſtrationis internæ decurſu temporis oblivíſci poſſunt, oblivione, quæ non ſit illis imputabilis ad culpam? Quid namque facilius, quàm è memoria elabi beneficium à Deo pro illo inſtanti receptum? Ergo licèt pro illo inſtanti uſûs rationis non detur infidelitas negativa, tamen reperiri poteſt in illis procedente tempore: quod ſufficit, ut ſalvetur doctrina *D. Thomæ*, qui nullum infidelitatis negativæ tempus determinatum ſtatuit. Sententiam iſtam propugnant graviſſimi Auctores, inter quos Emin. Cardinalis *Aguirre* diſp. 120. ſect. 6. num. 85. *Licèt à principio diſcretionis, aut paulò poſt ii Infideles, & Barbari deliquerint adverſus fidem (utpote quam voluntariè noluerunt admittere, aut acceptam ab animo expulerunt) poſtea immemores ejus illuſtrationis præteritæ in adeo tenera ætate, & cujus recordationem amiſerunt per oblivionem naturalem, non habent principium proximum, & ſufficiens ad credenda myſteria fidei, quorum nulla cogitatio, aut recordatio ſupponitur pulſare animum. Ac proinde fortaſſe ſubeunt infidelitatem negativam actualem, & excuſantem à culpa in non credendo de cœtero, quo ſenſu videtur S. Thomas in iis tueri infidelitatem negativam.*

40. Sed inquiet mihi aliquis: Pueri Gentiles ubi perveniunt ad uſum rationis, vel auxilio ſibi dato ad credendum exiſtentiam unius Dei remuneratoris ſupernaturalis utuntur, vel poſitivè reſiſtunt tali auxilio? Non primum; quia ſic jam eſſent fideles: ergo non aſſentiuntur, ſed ſuâ plenâ, liberâ, & integrâ voluntate reſiſtunt gratiæ ſibi à Deo collatæ, ne ſe convertant ad ipſum. Quod ſi ita eſt, contrahunt infidelitatis peccatum ſaltem inchoatè, & imperfectè, inſtar fidei illius tenuis, quam ſtatim habuiſſent, ſi aſſenſum præſtitiſſent Deo vocanti, & prævenienti: quæ habitualis infidelitatis macula privativa eſt, & moraliter perſeverat. Quo ſuppoſito, inſurgit argumentum: in tantùm poſſibilis eſt in illis infidelitas negativa, quatenus nullum veſtigium, nullaque prorſus recordatio manet illius veritatis objectivæ, quæ ſemel in tenera ætate repræſentata eis fuit neceſſariò credenda; ſed hæc naturalis oblivio nequit dici infidelitas negativa; cùm ſit culpabilis, & privativa,

tiva, quæ imputari eis debet in formale, & propriè peccatum; cùm tanquàm effectus è cauſa ſequatur, ac pullulet ex priori infidelitate: ergo non ſalvatur per ejuſmodi oblivionem infidelitas negativa.

41. Reſpondeo, oblivionem iſtam culpabilem eſſe in ſua cauſa, non tamen in ſe ipſa; quia, ut eſſet in ſe ipſa culpabilis, debuiſſet præcedere advertentia aliqua obligationis futuræ ad credendum in decurſu vitæ eamdem veritatem: quæ tamen advertentia nec præceſſit in ea tenera ætate, nec poſtea hujus neceſſitatis credendi veſtigium aliquod, aut recordatio permanſit. Quare oblivio non eſt culpabilis in ſeipſa, nec infidelibus imputari debet tanquam propriè dictum peccatum, ſed ad ſummùm in cauſa: ac proinde non eſt moralis, aut privativa, ſed veluti naturalis, & purè negativa.

42. Secundum argumentum, quo tanquàm ariete admoto concluſionem noſtram impetunt Adverſarii, deſumitur ex magno Parente *Auguſtino* lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. qui loquens de adjutorio *ſine quo non* poteſt homo permanere, ſi velit, aſſerit: *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt*: ſed adjutorium hoc, *ſine quo non* poteſt homo permanere, ſi velit, eſt gratia ſufficiens: ergo ſi aliquibus deeſt, non omnibus confert Deus auxilium ſupernaturale ſufficiens.

43. Confirmatur 1. ex eodem S. Doctore aſſerente in Epiſt. 217. ad *Vitalem*: *Scimus, gratiam Dei non omnibus dari . . . . ſcimus, eis quibus datur miſericordiâ Dei gratuitâ dari: ſcimus, eis quibus non datur, juſto judicio Dei non dari*. Quod teſtimonium eò altiùs exaggerant, quòd illud verſans D. *Thomas* 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. ait: *Dicendum, quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei: quod quidem auxilium quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis, ut Auguſtinus dicit*. Sed gratia illa præparans eſt auxilium ſupernaturale remotum: ergo ſi illa non datur omnibus, nec illud auxilium ſupernaturale recipiunt omnes.

44. Confirmatur 2. ex eodem *Auguſtino* de Don. perſever. cap. 12. dicente: *Dando quibuſdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit, non omnibus dando, quod omnes merentur, oſtendit*. En qualiter docet, quòd gratia non omnibus datur. Cujus rationem aſſignat S. Doctor ſerm. 11. de verbis Apoſtoli cap. 4. dicens: *Communis eſt omnibus natura, non gratia*. Cui ſuffragatur D. *Thomas* q. 24. de verit. art. 15. his verbis: *In nullo videntur omnes homines convenire, niſi in aliquo naturali*; ſed hoc auxilium remotum eſt vera gratia Chriſti: ergo juxta mentem utriuſque S. Doctoris non omnibus generaliter hominibus indiſcriminatim conceditur.

45. Hoc eſt validiſſimum argumentum, quô ſuam ſententiam evincere conantur Adverſarii ex ſaluberrima, rectiſſimaque *Auguſtini* doctri-

ctrina depromptum, quam ſequi, eique indivulsè adhærere antiquiſſimum habet Thomiſtica Schola. Sed alia eſt *Auguſtini* mens ab ea, quam proponit argumentum; quod liquidò conſtabit ipſis arguentibus, ſi illam ſine partium ſtudio, & anticipato ſententiæ nubilo in locis laudatis intueri velint. Etenim lib. de Corrept. & Grat. cit. cap. loquitur *Auguſtinus* de gratia proximè, & immediatè ſufficiente; de illo nempè adjutorio *ſine quo non Adæ* in integritatis ſtatu conceſſo; & in ſtatu lapſus meritis Chriſti diſpenſato ad operandi potentiam, licèt non ad integritatem reſtabiliendam, de quo docet *Auguſtinus* non eſſe generale omnibus: *Sed quibus datur, ſecundùm gratiam dari, & quibus deeſt pœnam peccati eſſe*. Cui doctrinæ & nos libenter ſubſcribimus: neque enim aſſerimus, gratiam proximè ſufficientem eſſe communem omnibus, ſed ſolùm quòd omnibus confertur ex vi providentiæ generalis ſupernaturalis auxilium remotum ad juſtificationem conducens.

46. Eâdemque reſponſione fit ſatis primæ confirmationi ex Epiſtola ad *Vitalem*. Hìc namque loquitur *Auguſtinus* de gratia vel proximè ſufficiente, vel efficaci, ùt indicant ejus præcedentia verba, illis in argumento appoſitis, quibus aſſerit: *Non ergo gratiam dicamus eſſe doctrinam, ſed agnoſcamus gratiam, quæ facit prodeſſe doctrinam: quæ gratia ſi deſit, videmus etiam obeſſe doctrinam*. Et rurſus: *Plerumque pro eis oramus, qui cum audiant, vel legant, nolunt credere, ſed oramus, ut voluntas corrigatur, doctrinæ conſentiatur, natura ſanetur*. Quibus non exprimit auxilium purè remotè ſufficiens, ſed potiùs efficax, quod non omnibus dari fatemur. Quare cum *Auguſtino* dicimus, quòd *quibus datur, gratuitâ miſericordiâ datur, ut vera ſit gratia, & intelligant quibus datur, quam gratis eis detur: quando juſtè utique non daretur, quoniam ſimilem habentibus cauſam juſtè non datur*. Et hæc efficax gratia non eſt omnibus conceſſa, ſed alia, quam dicimus remotè conducentem ad ſalutem.

47. Ad ſecundam confirmationem dicimus, *Auguſtinum* in citato libro de Dono perſeverantiæ, quem ſcripſit, ut reſponderet Litteris *Proſperi*, & *Hilarii* contra *Semipelagianos*, loqui de gratia efficaci; quod ſatis colligitur ex verbis, quibus incipit laudatum caput 12. *Conficitur itaque, gratiam Dei non ſecundùm merita accipientium dari, ſed ſecundùm placitum voluntatis ejus, in laudem, & gloriam ipſius gratiæ ejus, ut qui gloriatur, nullo modo in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur: qui hominibus dat, quibus vult, quoniam miſericors eſt; quòd etſi non det, juſtus eſt: & non dat quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ*.

48. Idipſum maximè evidentiori veritate cernimus in citato teſtimonio ex ſerm. 11. de verb. Apoſtoli. Nam loquitur de gratia ſpeciali, quâ fideles, ac juſti ſumus, & quâ ſecernimur à Paganis: non de gratiâ generali ſufficiente remota, quæ ex providentia generali ad nos deſcendit. Hoc, ne quis putet merum effugium eſſe, reſponſum ex triplici *Auguſtini* teſtimonio confirmo. Sic namque ibidem cap. 5 ſubdit: *Exce-*

Excepta illâ communi gratiâ naturæ, quâ homines facti fuimus, nec digni fuimus: exceptâ illâ gratiâ, hæc eſt major gratia, quâ facti ſumus populus ejus, & oves paſcuæ ejus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et cap. 8. ait: *Hanc ergo gratiam, quâ Chriſtiani ſumus, ipſam volumus, prædicent, ipſam volumus, agnoſcant, ipſam volumus, de quâ dicit Apoſtolus, non irritam facio gratiam Dei. Nàm ſi per legem juſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Quibus concinunt ea, quæ dicit *Auguſtinus* ſuper Pſal. 96. *Ecce fecit nos homines Populum ſuum qui nos fecit: non enim creati homines jam Populus ejus eramus. ... Hinc dixit fecit nos, & non ipſi nos, ut ſimus Populus ejus, & oves paſuæ ejus .... Nam & Pagani naſcuntur, & omnes impii, omnes adverſarii Eccleſiæ ejus .... Et non ſunt Populus ejus, nec oves paſcuæ ejus; communis eſt omnibus natura, non gratia.* En qualiter *Auguſtinus* loquitur de gratia, per quam facti ſumus Populus Dei, vel poſſunt homines fieri oves paſcuæ ejus; quæ ſanè eſt gratia proximè ſufficiens, quæ non eſt omnibus communis; cùm negari non poſſit, quòd pluribus ex infidelibus, quibus prædicatum eſt Evangelium, & tenentur inexcuſabiliter credere, datum ſit aliquod ſupernaturale auxilium.

49. In eodem ſenſu exponendus eſt D. *Thomas*, qui locô citatô loquitur de quodam habituali dono, quod deſiderabant aliqui, ut homo ſe præpararet ad juſtificationem. *Dicendùm, quòd quidam dicunt, quòd homo non poteſt ſe præparare ad gratiam habendam, niſi per gratiam aliquam gratis datam. Quod quidem non videtur eſſe verum, ſi per gratiam gratis datam intelligant aliquod habituale gratiæ donum*; quod cùm omnibus datum aſſererent, non aliter illos redarguit D. *Thomas*, quàm dicendo, quòd talis gratia potiùs eſſet natura, quàm gratia. *Si autem nec ipſa præparatio gratiæ ſine aliqua gratia habituali eſſe poteſt, aut iſta gratia datur omnibus, aut non: ſi omnibus datur, non videtur aliud eſſe, quàm naturale donum: nam in nullo videntur homines convenire, niſi in aliquo naturali.* Non tamen negat, gratiam, ſecundùm quam Deus aliquo modo in mentibus hominum operatur, proximè, vel remotè ad juſtificationem eos dirigendo, eſſe communem. Immò dicit, hæc omnia ex divina miſericordia homini provideri: *Hæc autem omnia ex Divina miſericordia homini providentur.* Et in 1. Diſt. 46. q. 1. art. 1. loquens de ſinceriſſima voluntate, quam Deus habet, ſalvandi omnes homines, inquit: *Et hujus voluntatis effectus eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia, quàm gratuita.*

50. Nihilò plus movet, nec etiam adverſæ parti ſuffragatur adducta ratio; quia nempè auxilium remotum eſt ſupernaturale; undè non poteſt eſſe omnibus commune. Etenim inſtatur 1. nam etiam oblatio cujuſcumque auxilii ſupernaturalis, & remedii ad ſalutem, eſt vera gratia *Chriſti*, & ſupernaturalis. Etiam redemptio per *Chriſtum*, elevatio ad finem ſupernaturalem, Sacramentum Baptiſmi, & alia ſimilia ſunt vera gratia *Chriſti*, quæ tamen omnibus hominibus, etſi ſint Dei gratuita dona, offeruntur. Secundò; quia juxta Adverſarios

hæc

hæc Dei auxilia non conferuntur omnibus in pœnam peccati originalis: ergo ſi nullum fuiſſet peccatum originale, omnibus darentur hujuſmodi auxilia, & tamen eſſent ſupernaturalia: ergò quòd omnibus conferantur hæc auxilia, non obſtat eorum ſupernaturalitati.

51. Quarè in forma reſpondetur diſtinguendo majorem. In nullo convenire videntur homines, niſi in aliquo naturali, quod omnibus detur in illa univerſalitate,in qua datur omnibus natura,concedo majorem. Si illud naturale detur in minori univerſalitate, ac datur omnibus natura, nego majorem, & conceſsâ minori, diſtinguo conſequens: ergo non datur auxilium ſupernaturale omnibus commune in ea univerſalitate, in qua datur omnibus natura, concedo conſequentiam: in minori univerſalitate, nego conſequentiam. Magnum quippè reperitur diſcrimen inter gratiam, & naturam quantùm ad hoc, quod eſt eſſe omnibus hominibus communem. Natura ſemper pro omni inſtanti eſt communis omnibus hominibus, tam parvulis, quàm adultis: at non ita gratia auxiliorum indiſcriminatim omnibus convenit; cùm non pro omni tempore in omnibus ſit intrinſecè recepta, nec æqualiter in omnibus, qui illam recipiunt; nec in omnibus datur, cùm non recipiatur in parvulis. Quare licèt ſufficienter demonſtretur, gratiam eſſe veram, & gratuitam, ex quo omnibus non ſit communis, attamen etiamſi omnibus conferatur, poteſt eſſe vera, & gratuita gratia, ut conſtat exemplis ſuprà poſitis.

52. Tertiò objicies celeberrimum illud D. *Auguſtini* oraculum de Prædeſt. SS. cap. 5. num. 10. *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere caritatem, naturæ eſt hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiæ eſt fidelium. Natura, in qua nobis data eſt poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit hominem ab homine; ipſa verò fides diſcernit ab infideli fidelem*. Concinit S. *Fulgentius* de Incarnat. & grat. cap. 22. num. 46. *Agnoſcat homo in eo ſe poſſe naturaliter credere, in quo naturam habet credulitatis, & fidei capacem*. Accedit *D. Thomas* 3. p. q.86. art.1. ubi inquirit, utrùm per pœnitentiam omnia peccata removeantur? Et reſpondet affirmativè, his verbis: *Undè dicere, quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt. Primò quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri poteſt cor cujuſcumque peccatoris ad pænitendum*, ſecundùm illud Proverb. 21. *Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit, vertet illud*. Ex quibus omnibus ſequens efficitur argumentum. Liberum arbitrium ex ſe, & ratione ſui eſt capax fidei, & in homine datur naturalis poteſtas credendi, ſed hoc ipſo non requiritur auxilium conſtituens infideles remotè potentes ad habendam fidem: ergo in ipſis non datur tale auxilium.

53. Ad argumentum reſpondetur, quòd optimè probat, eſſe in nobis liberum arbitrium, quod ſecundùm propoſitum, judicium, & deliberationem agit, potens pro libito ad utramlibet partem contradictionis ſe determinare: & quòd ſit capax ad recipienda principia ſuper-

pernaturalia, per quæ poteſt ad finem excedentem facultatem naturæ; non tamen quòd ratione ſui ſit potens ſe diſponere abſque auxilio Dei ad fidem: cùm ſine Dei auxilio nec converti poſſit ad Deum, nec proficere in via Dei, ut eſt fide certum. Etenim natura conſtituta in ordine inferiori, ratione ſui, & ex ſe ſolùm habet virtutem ad actus ejuſdem ordinis inferioris. Quare requiritur, ut operetur actus proprios alterius naturæ ſuperioris, quòd conſtituatur in eſſendo in eodem ordine naturæ, cujus operationes elicit: ut per virtutem à ſuperiori natura derivatam, ſeu participatam eliciat operationes, quas elicere ex ſe non poteſt.

54. Non ergo eſt, quòd arguentes ſic liberum arbitrium in ſublime efferant, ut putent, non eſſe opus homini divinâ gratiâ ad fidem, & juſtificationem. Hæc neceſſariò requiritur; & quia datur in homine libertas, datur in illo capacitas ad recipienda principia ſupernaturalia, quibus conſtituatur potens operari in tali ordine. Ita ſanè eſt, quòd homo ante gratiam potentiam habet obedientialem ad opera ordinis ſupernaturalis; cùm per peccatum vulneratum, infirmatum, & attenuatum ſit liberum arbitrium, non tamen deſtructum. Quare definit illud D. *Auguſtinus*, de Spirit. & litt. cap. 89. quòd eſt *media vis*, *quæ vel intendi ad fidem*, *vel inclinari ad infidelitatem poteſt*. Quibus verbis explicat potentiam illam remotam, ſeu obedientialem ad opera ſupernaturalia, quæ datur ante omnem gratiam; ut affirmat Cardinalis *Bellarminus* de grat. & liber. arbitr. cap. ultim. his verbis: *Habet homo ante omnem gratiam potentiam remotam, & imperfectam ad opera pietatis facienda*. Rursùs: *Intelligi non poteſt, quomodò ad opera pietatis activè voluntas humana concurrat, ſi non habeat in ſe potentiam activam, ſaltem remotam*.

55. Hoc docuerat priùs Eminen. *Cajetanus* ad illa verba *Joann. Non poterant credere*; ubi inquit: *Poſſe credere loquendo de potentia proximâ, eſt divinæ gratiæ; quamvis poſſe credere potentiâ remotâ, naturæ ſit rationalis. Ex hoc enim quòd homo rationalis eſt naturæ, potentias habet intellectûs, & voluntatis, quibus poteſt credere*. Idem docet doctiſſimus *Lemos* Panopl. p. 4. tract. 2. cap. 12. num. 184. *Itaque phyſicam potentiam & libertatem, & facultatem liberam habet homo lapſus ſine gratia ad peccandum; & quando peccat, liberè peccat.... Sed ad peccandum habet libertatem ſufficientem propenſam, ſive potentem; ad non peccandum autem habet liberam facultatem, ſed infirmam, & inſufficientem*.

56. At explicari meliùs nequit hujuſmodi remota poteſtas liberi arbitrii, ſeu capacitas ad principia ſupernaturalia recipienda, quibus ad finem ultimum pervenire poteſt, quàm illam explicat *D. Thomas*, exponens dictum S. *Auguſtini* q. 14. de verit. art. 10. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd homini in conditione ſuæ naturæ perfectè providetur, in quantùm ad illum finem conſequendum, qui eſt in poteſtate naturæ, dantur principia ſufficientia, quæ ſunt cauſa illius finis. Ad finem autem, qui facultatem naturæ excedit, dantur principia, non quæ ſunt*

cauſa finis, ſed quibus homo eſt capax eorum, per quæ pervenitur ad finem; ut enim dicit Auguſtinus, poſſe habere fidem, & charitatem naturæ eſt hominum, habere autem eſt gratiæ fidelium. Et ad 5. *Quòd homo perfectior eſt aliis animalibus, nec tamen determinata ſunt ſibi ab ipſa natura, quæ ſunt neceſſaria ad finem conſequendum, ſicut aliis animalibus propter duas rationes*. Primò, *quia homo ad altiorem finem ordinatur; & ideò etiamſi pluribus auxiliis indigeat ad ipſum conſequendum, & ſibi naturalia principia non ſufficiant, nihilominùs perfectior erit*. Secundò, *quia hoc ipſum eſt in homine perfectionis, quia multiplices vias poteſt habere ad conſequendum finem. Undè non poterat ei una via naturalis determinari, ſicut aliis animalibus; ſed loco eorum, quæ natura aliis animalibus providit, data eſt homini ratio, per quam & neceſſaria hujus vitæ ſibi parare poteſt, & diſponere ſe ad recipienda auxilia divinitùs futuræ vitæ*.

57. His ſuppoſitis, ad argumentum reſpondetur explicando textum *Auguſtini*. Poſſe habere fidem, eſt naturæ, diſtinguo Majorem: poſſe remotum, concedo Majorem, poſſe proximum, ſubdiſtinguo: eſt naturæ adjutæ per gratiam, concedo Majorem, excluſâ gratiâ, nego Majorem. Non enim poſſe proximum datur, niſi per principium ejuſdem ordinis, quod aliud eſſe nequit, niſi gratia, licèt pro priori ad gratiam detur poſſe remotum; quod tamen activè ſe diſponere ad fidem non poteſt ſine gratia; cùm præparatio etiam remota non ſit à natura. Licèt ergo S. *Auguſtinus* non explicet ibi gratiam, quâ conſtituatur etiam remotè potens ſe ad fidem diſponere, hæc tamen ſubintelligenda eſt: Quando enim Scripturæ, vel PP. bona opera tribuunt libero arbitrio, nullâ de gratia factâ mentione, non intelligitur excluſa ipſa gratia, ſed tacitè ſubintellecta; ſicut quando tribuunt omnia divinæ gratiæ, ut nullo modo liberum arbitrium commemorent, ipſum tanquàm tacitum, & ſuppreſſum omninò ſubintelligendum eſt; non enim omnia quæ tacentur, negantur. Quare de re iſta hoc modò ſcribit S. *Auguſtinus* ad *Vitalem*: *Proindè librum, vel Epiſtolam meam, quam ſecum ad vos ſupradicti attulerunt, ſecundùm hanc fidem intelligite, ut neque negetur Dei gratia, neque liberum arbitrium ſic defendatis, ut à Dei gratia ſeparetis, tanquàm ſine illa vel cogitare aliquid, vel agere, ſecundùm Deum, ullâ ratione poſſimus: quod omninò non poſſumus*. Ex quibus conſtat ſolutio ad teſtimonium D. *Fulgentii*, & D. *Thomæ*.

58. Non abs re erit reſponſionem D. *Thomæ* ad præfatum textum D. *Auguſtini* promere, cùm ex illa firmentur antedicta omnia. Objicit ſibi D. *Thomas* 2. 2. q. 10. art. 1. hoc primum argumentum. *Videtur quòd infidelitas non ſit peccatum. Omne enim peccatum eſt contra naturam, ut patet per Damaſcenum in 2. libro; ſed infidelitas non videtur eſſe contra naturam: dicit enim Auguſtinus in lib. de prædeſt. Sanctor. quòd poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt omnium hominum; habere autem fidem quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium: ergo non habere fidem, quod eſt infidelium, non eſt contra naturam: & ita non eſt peccatum*. Cui argumen-

to reſpondet S. Doctor: *Ad primùm ergo dicendum, quòd habere fidem non eſt in natura humana, ſed in natura humana eſt, ut mens hominis non repugnet interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi: Undè infidelitas ſecundùm hoc eſt contra naturam.* Quibus verbis S. Doctor apertiſſimè concedit, quòd poſſe habere fidem non eſt contra naturam, ſed potiùs naturæ ſit hominum, quatenus natura humana capax eſt fidei. Negat tamen, quòd habere fidem ſit in natura humana; cùm nullus eam habeat, niſi gratuito munere Deus eam ei dederit. Subdit tamen: *Sed in natura humana eſt, ut mens hominis non repugnet interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi*; nempè per gratiæ beneficium.

59. At quomodò poſſe habere fidem ſit naturæ hominis, licèt præceptum fidei ſit ſupra naturam ejus, eleganter, & profundè explicat Emin. Card. *Cajetanus* ſuper articulum iſtum: *Ad hoc dicitur, quòd quia præcepta dantur Creaturis rationabilibus ſecundùm naturas, ſeu gradus naturæ, quas habent, & Creaturæ rationales ſupra gradus naturales conſummant in participatione naturæ divinæ, ita quòd inſtitutæ ſunt: conſequens eſt, ut quemadmodum juſtè ſubduntur præceptis ſpectantibus ad alios gradus, ita juſtè ſubjacent præceptis Fidei, Spei, Charitatis ſpectantibus ad gradum, quô participant divinam naturam. Et licèt hæc reſponſio non egeat expoſitione, pro novitiis tamen declaratur. In homine eſt inprimis natura vegetativa, eſt natura ſenſitiva, eſt natura intellectiva, eſt demùm participatio naturæ divinæ. Et ſicut conſtitutio Creaturarum in ſuis ſpeciebus ſpectat ad primam rerum diſtributionem, ſecundùm divinæ Sapientiæ rationem: ita conſtitutio Creaturarum rationalium in ſuis naturalibus, & in participatione divinæ naturæ ad primam rerum conditionem ſpectat: & tanto plus, quantò ſuperius q. 2. art. dictum eſt: quòd perfectio naturæ inferioris confirmatur ex participatione ſuperioris. Quia igitur in homine eſt pars vegetativa, ad quam ſpectat conſervare individuum, & ſpeciem, oportet hominem ſubjici præceptis ſpectantibus ad generationem, & cibum, & potum. Et ſimiliter quia in homine eſt pars ſenſitiva, ad quam ſpectant paſſiones, oportet hominem ſubjici præceptis ad iram, timorem, & hujuſmodi. Et ſimiliter, quia in eo eſt pars rationalis, in qua eſt voluntas, oportet ipſum ſubjici præceptis ſpectantibus ad juſtitiam, vel injuſtitiam. Et eâdem ratione, quia conſtitutus eſt, ut in ipſo ſit natura divina participativè: idèo oportet ipſum ſubjici præceptis Fidei, Spei, & Charitatis, ad hujuſmodi participationem ſpectantibus. Et ſicut non poteſt jure conqueri de Deo, quòd fecerit ipſum in gradu rationali: ita non poteſt jure conqueri, quòd conſtituerit ipſum in hoc, quòd ſit particeps divinæ naturæ. Et quemadmodùm datâ jam naturâ rationali, non poteſt quis refutare præcepta ſpectantia ad illam: itâ datâ jam Creaturæ rationali hâc participatione, non poteſt refutare præcepta ad illam pertinentia.*

60. En qualiter eximiè explicat modum, quô homo ſubjicitur præceptis Fidei, Spei, & Charitatis, quæ ſolùm pertinent ad ipſum eâ ra-

tione, quâ conſtitutus eſt., ut in ipſo ſit natura divina participativè: & cùm Creatura rationalis ſit elevata in ordine ſupernaturali, ut vivat non ſolùm ſecundùm propriam naturam, ſed ſecundùm divinæ naturæ conſortium; illa, quæ pro principio elevationis ad talem ordinem habuit divinam bonitatem, ex eadem Dei bonitate habet, quòd ſit potens in ordine ſupernaturali, mediis auxiliis gratuitis, accèdere ad Fidem: quare meritò præceptis ſupernaturalibus ſubjicitur, teneturque ad maximas gratias Deo, quòd eam tanti fecerit, ut tam excelſo gradu conſtitueret. Licèt ergo poſſe habere fidem, quatenus dicit capacitatem illam habendi, ſit naturæ hominum; poſſe tamen ſive proximè, ſive remotè ſe diſponere ad illam, gratiæ Dei eſt.

61. Quartò objicies argumentum, in quo totam adverſæ ſententiæ vim ponunt Adverſarii. Si omnibus hominibus darentur auxilia remotè ſufficientia, daretur verum jus ad illa; conſequens eſt falſum: ergo & id, ex quo ſequitur. Minor eſt certa; cùm vèrum jus ad auxilia dari non poſſit: tùm quia ratione peccati originalis, vel actualis, quod eſt infinitum in ratione demeriti., nedum Infideles merentur privationem omnium auxiliorum ſufficientium, verùm & poſſet Deus totum genus humanum annihilare, ut tenet *D. Thomas* 4. Sent. diſt. 46. q. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 4. Tum quia peccatum mortale excludit ab eis jus ad Beatitudinem, ac per conſequens ad media ad Beatitudinis ſupernaturalis conſecutionem neceſſaria. Et tandem quia homini mortuo per peccatum non debentur auxilia, quibus vitam recuperet. Major probatur. Vel enim conferuntur omnibus, etſi non debeant conferri, auxilia remota; vel conferuntur omnibus, quia debent conferri. Si primum: ergo nulla eſt ratio ſuadens, quòd de facto conferantur. Si ſecundum: en clariſſimum argumentum. Conferuntur, quia debent conferri; ſed non quia debent conferri debito fundato in aliqua lege Dei, quæ nulla datur: ergo quia debent conferri debito fundato in aliquo naturæ dono.

62. Secundò ſequeretur, quòd Infideles poſſent mereri fidem, ſi aliquis actus ſupernaturalis, & gratia ſufficiens ad illum præcederent actum fidei; quod expreſsè eſt contra D. *Auguſtinum* aſſerentem Epiſt. 105. *Quòd remiſſio peccatorum eſt ex meritis, fides autem ſine ullis meritis.* Et in lib. de Prædeſt. SS. cap. 7. quòd *ſicut prima gratia non eſt ex meritis, ita nec fides.* Sequela probatur: ad meritum ſufficit, quòd præcedant actus præcedentes ad fidem: eodem argumento, quo S. *Auguſtinus* lib. 1. ad *Bonifacium* cap. 8. utitur, ut probet, quòd homo viribus naturæ non poteſt poſitivè ſe diſponere ad gratiam, dicens: *Si enim ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tanquàm ex debito gratiæ veniat adjutorium; ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed ſecundùm meritum noſtrum dabitur*: ergo ſi mediis his auxiliis incipit cupiditas boni, & affectus credendi, poterit quis mereri, vel impetrare fidem.

63. Tertiò ſequeretur, quòd pro priori ad fidem daretur vera gratia ſupernaturalis; conſequens eſt falſum: ergo. Minor certa eſt: eò, nempè, quòd fides eſt prima gratia, ut docet D. *Auguſtinus* de Prædeſt.

deſt. SS. cap. 7. *Fides primò datur, ex qua impetrentur cætera.* Et de ſpir. & litt. cap. 30. *Fides impetrat charitatem, quâ lex poſſit impleri.* Ex quo de perfect. juſt. cap. 19. repetit, quòd primo radio fidei ſanitas in corde ingreditur: *Initium corrigendi cor fides eſt*: ergo ſi fides non eſt communis, ut contra *Fauſtum* aſſerentem eſſe *generale fidei donum*, probat D. *Auguſtinus* de Prædeſt. SS. cap. 8. *Hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari omninò non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris litteris repugnare*; nec gratia quidem poteſt eſſe communis. Quo eodem argumento utitur S. *Fulgentius*, ut idipſum probet lib. 1. de vera Prædeſt. & grat. cap. 20. *Non ergo putemus gratiam Dei omnibus hominibus dari; non enim omnium eſt fides, & quidam charitatem Dei non recipiunt, ut ſalvi fiant.* Quod pro certo ſupponunt *S. Fulgentius*, & alii Epiſcopi in Sardinia exules, dicentes: *De gratia non dignè ſentit quiſquis eam putat omnibus hominibus dari, cùm non ſolùm non omnium ſit fides, ſed adhuc nonnullæ Gentes inveniantur, ad quas fidei prædicatio non pervenit*,

64. Verùm ſpuriæ conſecutiones illæ ſunt, atque ex conceſſione horum auxiliorum minimè fluentes. Non enim id, quod primò dicitur, movere debet. Reſpondetur enim negando Majorem. Licèt enim omnibus hominibus conferantur auxilia remota, non ſunt eis debita, debito reſpiciente naturam hominis, ſed præſentem providentiam, in qua, ſuppoſitâ ordinatione hominis in finem ſupernaturalem, & voluntate, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri, debentur ipſis hujuſmodi auxilia. Eo nempè modo, quô dicitur, quòd primus homo fuit à Deo creatus in gratia, ut probat illud Eccleſ. 7. *Fecit Deus hominem rectum*: quæ rectitudo proveniebat à gratia, ut explicant SS. Patres. Et id quod legitur Geneſ. 1. *Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Quæ verba exponens *Anacletus* Papa Epiſt. 1. ait: *Quòd homo dicitur conditus ad imaginem Dei, quia in ſua conditione gratiam, & reliquas habuit virtutes.*

65. Suffragantur & alii SS. Patres ſtatuentes, fuiſſe primum hominem in gratia creatum, necnon Angelos, ut probat D. *Thomas* 1. p. q. 61. art. 3. quin gratia fuerit ipſis debita, debito reſpiciente naturam, ſed gratuitò à Deo conceſſa, ſuppoſitâ ordinatione ad finem ſupernaturalem. Sic in præſenti dicimus, quòd ſuppoſitâ elevatione hominis ad ordinem ſupernaturalem debetur tali ordinationi, quòd omnibus hominibus conferantur media neceſſaria ad conſecutionem ſalutis. Nullum ergo ex parte hominum datur jus ad auxilia ſupernaturalia, quin potiùs, ut rectè probat argumentum, merentur æternam damnationem; ſed totum jus fundatur in meritis *Chriſti*, qui cùm datus ſit Redemptor omnium, jus habet ad hoc, ut per ipſum, quantùm eſt ex parte ſua, omnes ſalventur, & ut dentur eis auxilia ſufficientia remota, quæ, ſi ſunt debita *Chriſti* meritis, conferuntur omnibus ex pura Dei miſericordia; ut egregiè D. *Thomas* declarat exponens illud *Apoſtoli* 1. ad Corint. 1. FIDELIS DEUS, PER QUEM VOCATI ESTIS IN SOCIETATEM FILII EJUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Ubi ſic habet: *Non autem vide-*

videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem filii, & nobis denegaret, quantùm in ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad eam poſſemus: Unde *Joſue* 1. dicit: *Non te deſeram, neque derelinquam*. En miſericors Dei auxilium, cujus nullum habet meritum peccator.

66. Fruſtrà etiam objicitur id, quod ſecundô locô deducitur; dari nempè poſſe in infidelibus, mediis his auxiliis, meritum fidei; quod abſolutè eſt falſum. Nam licèt in omnibus hominibus pro priori ad Fidem dentur actus ſupernaturales remotè diſponentes ad ipſam, deficit illis principium meriti; cùm non ſint per Spiritum Sanctum inhabitantem, ſed moventem cor hominis, ut nervosè defendit, & probat D. *Thomas* 1. 2. q. 109. art. 6. dicens: *Unde patet, quòd homo non poteſt ſe præparare ad lumen gratiæ ſuſcipiendum, niſi per auxilium gratuitum Dei interius moventis*. Quod repetit ibi ad 2. *Dicendum*, ait, *quòd nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moveatur; ſecundùm illud Joann.* 15. *Sine me nihil poteſtis facere. Et ideo cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur, hoc eſt in poteſtate hominis, ſecundùm quod eſt motus à Deo*. Pari omnino ſenſu loquitur 2. 2. q. 24. art. 3. ad 2. his verbis: *Illa virtus, ſecundùm quam Deus ſua dona dat unicuique eſt diſpoſitio, vel præparatio præcedens, ſive conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam diſpoſitionem, vel conatum prævenit Spiritus Sanctus movens mentem hominis, vel plus, vel minus, ſecundùm ſuam voluntatem*. Unde & *Apoſtolus* dicit ad Coloſſenſes 1. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine*. Et ad Epheſ. 4. *Unicuique autem noſtrum data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti*.

67. Sed licèt ita ſit, quòd actus iſti non habent rationem meriti de condigno, nec de congruo reſpectu fidei; attamen quicumque mortalis abuſus non fuerit his auxiliis, gratia, quæ eſt principium meriti, & ipſa fides non denegabitur ei, ut firmat D. *Thomas* q. 14. de verit. art. 11. ad 1. ſic loquens: *Si quis in ſylvis enutritus ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, vel fuga mali, certiſſimè tenendum eſt, quòd ei Deus, vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium*. Quod non abſimiliter pronuntiat ad ſecundum, aſſerens *Deum non deeſſe illi, qui ſequitur in appetitu boni ductum rationis*. Et in 2. ſentent. diſt. 28. q. 1. art. 4. dicens: *Ad fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt per id, quod in naturali ratione eſt; unde dicitur quòd ſi aliquis in barbaris natus Nationibus, quod in ſe eſt faciat, Deus illi revelabit illud, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando, vel Doctorem mittendo*.

68. Sed maximè audiendus q. 24. de verit. art. 1. ubi dirimit objectionem factam ſequentibus verbis: *Gratiam autem, quæ opera meritoria facit, quamvis homo non poſſit ex libero arbitrio acquirere, poteſt tamen ſe ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, ſi fecerit quod in ſe eſt: & ideò non eſt omninò extra poteſtatem liberi arbitrii opera meritoria agere, quamvis ad hoc per ſe poteſtas liberi arbitrii non ſufficiat*. Quæ omnia conſonant his, quæ *S. Doctor*

lect. 3. ſuper cap. 10. Epiſt. ad *Rom.* ſcripſit: *Si qui tamen eorum*, inquit, *feciſſent qu.d in ſe eſt*, *Dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam providiſſet*, *mittendo eis Prædicatorem Fidei*, *ſicut Petrum Cornelio*, *Act.* 10. *& Paulum Macedonibus*, *ut habetur Act.* 16. *Sed tamen hoc ipſum*, *quod aliqui faciunt quod in ſe eſt*, *convertendo ſe*, *ſcilicet ad Deum*, *ex Deo eſt movente corda ipſorum ad b.num*. En qualiter gratiâ præveniente producuntur actus non habentes conditionem meriti, quibus tamen advocatur gratia, quæ eſt principium meriti, & quæ ex miſericordia Dei ſemper conceditur; necnon auxilia proximè ſufficientia ad fidem explicitam, ſi rectè uterentur auxilis remotis, & vi hujus gratiæ prævenientis ſequerentur ductum rationis in appetitu boni, & fuga mali; non tamen habent rationem meriti, quod invictè probat diſertiſſimum illud D. *Auguſtini* teſtimonium Epiſt. 105. dicentis: *Spiritus ubi vult ſpirat*: *ſed quod fatendum eſt*, *aliter adjuvat nondum inhabitans*, *aliter inhabitans*. *Nam nondum inhabitans adjuvat*, *ut ſint fideles*, *inhabitans adjuvat jam fideles*.

69. Ad tertium objectum reponere juvat negando abſolutè Majorem: cùm Eccleſiæ judicio definitum ſit contra *Queſnellum* propoſitionibus 26. & 27. dari veram Dei gratiam ante fidem; quæ præſcriptæ propoſitiones doctrinam argumenti ſpirant, ac intimè referunt: quin potiùs argumentum eſt ipſe error *Queſnelli*. Erroneè aſſeritur ab ipſo propoſit. 26. *Nullæ dantur gratiæ*, *niſi per Fidem*; & propoſit. 27. *Fides eſt prima gratia*, *& fons aliarum*. Ex quibus errorem deducit propoſitionis 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*. Si namque Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum: ergo cùm extra Eccleſiam vera fides non detur, nec vera Dei gratia conceditur: ex quô conſequenter ad errorem ſuum omnem gratiam ſufficientem ab infidelibus eliminat: unde meritò infallibili Summi Pontificis judicio damnatæ ſunt propoſitiones illæ.

70. Hoc certè juſtiſſimè ab Eccleſia pronuntiatum; cujus quidèm judicii hanc rationem dat nobis *Tridentinum* ſeſſ.6.cap.6. dicens: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam*, *dum excitati divinâ gratiâ*, *& adjuti*, *fidem ex auditu concipientes*, *liberè moventur in Deum*, *credentes vera eſſe*, *quæ divinitùs revelata*, *& promiſſa ſunt*. Conſtat ex hiſce Concilii verbis Fidem inter gratias actuales non eſſe primam, ſed alias gratias præcedere Fidem, nimirùm gratiam vocationis, inſpirationis ad Fidem, deſiderium credendi, alioſque motus etiam indeliberatos, qui à Deo auctore ſupernaturali præciſè ad actum deliberatum credendi in nos immittuntur, ut docuit Concilium dicta ſeſſ.6. cap. 5. his verbis: *Exordium juſtificationis in adultis à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe*, *hoc eſt ab ejus vocatione*, *quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur*.

71. Pro cujus clariori intelligentia notanda eſt ſeries actuum, qui aſſenſum Fidei præcedunt. Primus ſupernaturalis actus eſt ille intellectûs, quô illuſtratus homo aliquâ ſupernaturali notitiâ, videt convenientiam credendi ex motivo ſupernaturali, juxta illud Pſal. 72. *Mihi*

autem adhærere Deo bonum eſt. Verùm licèt ex ſupernaturali motivo videat, eſſe ſibi conveniens credere, & accedere ad religionem; cùm tamen non ipſo facto ſequatur efficax voluntatis affectus, vel judicium hìc, & nunc dictans, eſſe credendum, & Religionem Catholicam amplectendam; ſed poſſit quis à concupiſcentia ſua abſtractus, hunc actum ſuſpendere; imò & in ſenſu compoſito illius illuſtrationis oppoſitum actum elicere, utpotè, quia prædicta illuſtratio inter auxilia ſufficientia numeratur: hinc eſt, quòd illa cognitio, vel illuſtratio non connectitur cum actibus prædictis, ſed ſolùm habent illuſtratio, & cognitio perducere hominem ad proximam indifferentiam, & libertatem in actu primo ordinis ſupernaturalis. Ex quo alius actus in intellectu neceſſariò ponendus eſt, nempè dictamen de hìc, & nunc credendo, & imperium efficax de ita piè & efficaciter afficiendâ voluntate, ut ipsâ movente, intellectus in actum credendi prorumpat. Ad hunc actum, & judicium intellectus applicatur à Deo, quin ad hujuſmodi actus pro illo tunc indeliberatos & imperfectos aliud principium deſideretur, quàm auxilium Dei citò tranſiens, ac perinde Deus ſupplendo applicationem propriam voluntatis erga intellectum, applicat intellectum ad prædictum dictamen, & imperium, non ſemper, & in omnibus hominibus, ſed tunc, & reſpectu eorum dumtaxat, quos juxta beneplacitum miſericordiæ ſuæ voluit accedere ad Fidem, juxta illud Act. 13. *Audientes Gentes gaviſæ ſunt, & crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam*.

72. Tandem ultimus actus ſeriei iſtius eſt pius voluntatis affectus, ſive affectiva, & efficax motio, ſive efficaciam trahat ab alio, vel ab eodem auxilio, quò intellectus applicatus fuit ad prædictum judicium, ſeu imperium; in quo ſenſu pia affectio voluntatis vocatur à D. *Thoma* 3. par. q. 7. artic. 3. ad 1. *Obedientia Fidei*, ſumptâ generaliter obedientiâ. Si ergo juxta hanc communem PP. & Theologorum ſententiam datur gratia vocationis, & inſpirationis prævia ad Fidem; & vocatio, & inſpiratio important neceſſariò dictas ſupernaturales operationes, quibus homo incipit actu attendere, & affici ad ſalutem; ſanè dantur actus ſupernaturales præcedentes Fidem, ac per conſequens Fides non eſt prima gratia.

73. In eadem eſſe *Auguſtinum* ſententia, quem totum à ſuis partibus ſtare putant, probant lucidiſſima *S. Doctoris* teſtimonia. Sic namque lib. 2. contra duas Epiſt. *Pelag.* cap. 8. *Hos Hæreticos, qui victi laudato Apoſtoli teſtimonio eſtò admitterent, non poſſe nos ſine auxilio gratiæ de fide cogitare, poſſe tamen ex nobis eam deſiderare*, ſic arguit: *Minus eſt autem cogitare, quàm cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus, nec tamen cupimus omne quod cogitamus: quoniam nonnunquàm, & quod non cupimus, cogitamus. Cùm igitur minus ſit cogitare, quàm cupere: poteſt enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit, & proficiendo poſtea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit: quomodò ad id quod minus eſt, id eſt ad cogitandum aliquid boni, non ſumus idonei tanquàm ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*,

eſt, & ad id quod eſt amplius, ideſt ad cupiendum aliquid boni, ſine divino adjutorio idonei ſumus ex libero arbitrio?

74. Id ipſum pronuntiat lib. de Prædeſt. SS. cap. 2. ad illud 2. Cor. 3. v. 5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ut *Semipelagianos* perſtringat: *Quis enim non videat, prius eſſe cogitare, quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, niſi prius cogitaverit, eſſe credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes antevolent, moxque illa iſta ſequatur, ut quaſi conjunctiſſima comitetur: neceſſe eſt tamen, ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur. Quamquam & ipſum credere nihil aliud eſt, quàm cum aſſenſione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit, cùm ideò cogitent plerique, ne credant.* Et lib. 1. ad *Simplicianum*: *Niſi ergo vocando præcedat miſericordia, nec credere quiſquam poteſt, ut ex hoc incipiat juſtificari.* Hæc *Auguſtinus*, quæ ſanè nullâ poſſunt tergiverſatione declinari. Sed audiendus maximè lib. 1. *Retract.* cap. 26. *Nam eſt miſericordia Dei, etiam ipſam præveniens voluntatem, quæ ſi non eſſet, non præpararetur voluntas à Domino. Ad eam miſericordiam pertinet & ipſa vocatio, quæ etiam Fidem prævenit, de qua paulò poſt cùm agerem dixi lib. 83. qq. cap. 68. Hæc autem vocatio, quæ ſive in ſingulis hominibus, ſive in populis atque in ipſo genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ & profundæ ordinationis eſt.* En vocatio, ſupernaturalis gratia fidem præveniens.

75. Pari energiâ id ipſum docet D. *Thomas* 2. 2. q. 2. art. 9. dicens: *Ille qui credit, habet ſufficiens inductivum ad credendum antequam eliciat aſſenſum Fidei, aut ipſam fidem habeat. Inducitur enim auctoritate Divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, & quod plus eſt, interiori inſtinctu Dei invitantis*; ſed hic inſtinctus Dei invitantis eſt auxilium ſufficiens, ſeu illuſtratio, nulli hominum denegata, præcedens fidem: quare non ideò Judæi infidelitatis arguuntur, quia non habuerunt habitum fidei, ſed quia infuſioni, & auxiliis ſufficientibus reſtiterunt, juxta illud *Pauli* Act. 13. *Quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vitæ æternæ; Ecce convertimur ad gentes*: ergo data illis erat gratia ante fidem, quâ poſſent credere.

76. Secundò id ipſum deducitur ex D. *Thoma* q. 14. de verit. artic. 2. ad 10. dicente: *Inchoatio fidei eſt in affectione, quæ neque eſt actus caritatis, neque ſpei, ſed quidam appetitus boni repromiſſi*: ſed hic appetitus boni repromiſſi eſt per auxilium ſupernaturale ſuperveniens: etenim cùm objectum fidei per ſe non moveat intellectum, ſicut movetur à principiis, & concluſionibus, ut ait hîc D. *Thomas*, nec ejus intelligibilitas ſufficienter intellectum determinet, aliundè debet accipere impulſum, ut præſtet aſſenſum; & cùm oriri non poſſit per aliquid de linea veri; iſtud quippe ſi eſſet apparens, deſtrueret fidem; hinc fit, quòd determinatione voluntatis determinatur ad aſſenſum: ac per conſequens per auxilium, ratione cujus in ordine ſupernaturali vim habeat, & virtutem ad movendum, quod ſit pro priori ad fidem.

77. Ex his, quæ paulò fuſiùs fortè proſecuti ſumus, inferes, quàm abſona prorſus ſit argumentatio ex teſtimoniis S. *Auguſtini* petita. Loquitur *S. Doctor* de fide formata, de qua veriſſimè dicitur, quòd *Fides primò datur, ex qua impetrantur cætera*; cùm nullum ſupernaturale bonum, fide præcisâ, in homine detur meritorium vitæ æternæ. Ad ejuſdem fidei formatæ commendationem dicit *Auguſtinus*, quòd *Fides impetrat charitatem, quâ lex poſita impleatur*; cùm fides formata, per dilectionem operans, ſit initium, fons, fundamentum, & radix omnis juſtitiæ, & juſtificationis noſtræ, ut probat D. *Thomas* 1.2. q.89. artic.2. ad 2. & 2. 2. q.2. artic.7. ad 4. & 3. part. q.68. artic. 4. ad 3. & *Joann.* 3. lect. 3. & 1. ad *Corint.* 3. lect. 2. Quod à Trident. ſancitum eſt ſeſſ. 6. cap. 8. Tandem aſſerit *Auguſtinus*, quòd *eſt initium corrigendi cor*; etenim loquitur de fide ſalutari, ſalutem hominis promovente, quæ pertinet ad beneficium gratiæ reparantis per *Chriſtum*, quatenus per ipſum homo adducitur ad dilectionem Dei, in qua conſiſtit perfectiſſima ſanitas. Cum his tamen rectè componitur; ut ſuprà ex *Auguſtino* diximus; quòd ipſa cogitatio boni, aliique actus ſupernaturales fidem præcedant; nullus quippe credit aliquid, niſi priùs cogitaverit, eſſe credendum. Hæc boni cogitatio datur in Infidelibus, qui ſalutis ſuæ cupidi audiunt quæ de *Chriſto* prædicantur, ut ad fidem accedant: ut de *Paulo Sergio* ſcribitur Act. 14. quòd accerſitis *Paulo*, & *Barnaba* deſiderabat audire verbum Dei; quæ motiones præcedentes ſunt beneficium Dei gratuitum, non tamen præſtant aliquod juſtitiæ, aut ſalutis initium; licèt ad fidem viam ſternant, & diſponant ad ſanitatem.

78. Vel aliter explicari poteſt *S. Doctor*, quòd fides eſt initium corrigendi cor, eo quòd in fide primò gratia Dei medicinalis manifeſtatur; eô nempè modô, quô D. *Thomas Auguſtinum* exponit dicentem; Quòd *fides eſt gratia præveniens*, in 2. diſt. 26. artic.4. ad 4. his verbis: *Dicendum, quòd gratia præveniens dicitur fides, non quia per eſſentiam gratia à fide non differat, ſed quia in juſtificatione, quam gratia cauſat, primus motus fidei invenitur; & ideò cùm habitudines, & habitus per effectus nobis innoteſcant; illud in quo primò gratia manifeſtatur, eſt fides, & propter hoc fidem gratiam prævenientem dicit.* Quod iterum repetit *S. Doctor* q. 27. de verit. artic.2. ad 2: *Dicendum quòd fides dicitur eſſe gratia præveniens, inquantùm in motu fidei primò apparet gratiæ prævenientis effectus*: Ex quo tamen argui minimè poteſt, quòd non detur aliud Dei auxilium præcedens ipſam. Recolantur ea, quæ de propoſitionibus *Queſnelli* 26. 27. 28. & 29. dicturi ſumus, & diximus pag. 183.

79. Objicies quintò: medio aliquo auxilio ſpeciali ordinis naturæ, abſque omni gratia ſupernaturali, poteſt dari dilectio Dei auctoris naturæ: etenim quoties permanent principia acquiſita adæquatè ad dilectionem auctoris naturæ ſuper omnia, poſſibilis eſt prædicta dilectio; atqui etiam in ſenſu compoſito elevationis ad finem ſupernaturalem permanent in natura humana principia adæquatè requiſita pro elicientia talis amoris medio auxilio ſpeciali ordinis naturalis: ergo etiam in ſenſu

com-

compoſito elevationis, cum auxilio ſpeciali ordinis naturalis, abſque omni gratia ſupernaturali poteſt dari dilectio Dei auctoris naturæ. Major conſtat. Nam quoties manent prædicta principia, adeſt in voluntate potentia expedita ad talem dilectionem; atqui poteſt Deus omnem potentiam expeditam ad operandum reducere ad actum ſecundum, auxilio prædeterminante: ergo. Minor verò probatur; Principia adæquatè requiſita pro dilectione naturali Dei ſuper omnia ſunt voluntas phyſicè in ſe præcontinens actum dilectionis, cum inclinatione innata ad ipſum; & ratio naturalis dictans, Deum titulo ſummi boni, & ultimi finis omnium rerum eſſe diligendum appretiativè ſuper omnia, ſive eſſe præferendum affectivè omnibus creaturis: ſed hæc etiam manent in ſenſu compoſito elevationis ad finem ſupernaturalem; cùm gratia non deſtruat, ſed perficiat naturam: ergo.

80. Confirmatur primò ex propoſitione *Baii* 34. damnata: *Diſtinctio duplicis amoris, naturalis, quô Deùs diligitur, ut auctor naturæ, & gratuiti, quô diligitur, ut beatificator, vana eſt tota*; ſed ſi non datur amor Dei auctoris naturæ, qui non ſit amor Dei auct oris ſupernaturalis, illa diſtinctio amoris Dei in naturalem, & ſupernaturalem eſſet commentitia, & vana: ergo datur amor Dei auctoris naturæ, qui non ſit amor Dei auctoris ſupernaturalis.

81. Confirmatur ſecundò: *Adam* conditus in natura integra fuit etiam elevatus à Deo ad finem ſupernaturalem per gratiam ei conceſſam in primo inſtanti ſuæ creationis, ut expreſsè docet Divus *Thomas* 1. part. q. 95.; ſed in tali ſtatu poterat homo virtute ſuæ naturæ abſque additione alicujus doni gratuiti diligere Deum auctorem naturæ ſuper omnia, ut probat D, *Thomas*: ergo elevatio ad finem ſupernaturalem non tollit, quominùs in ſenſu compoſito illius detur dilectio Dei ſuper omnia entitativè naturalis.

82. Confirmatur tertiò ex eodem S. *Doctore* affirmante 1.par. q.62. articul.1. & q.60. art.5. Angelos fuiſſe creatos cum beatitudine naturali in primo inſtanti ſuæ creationis; ad quam neceſſariò requiritur dilectio naturalis amicabilis Dei auctoris naturæ ſuper omnia, ut eſt omnibus manifeſtum; ſed etiam eſt omninò certum, illos fuiſſe elevatos ad finem ſupernaturalem in primo inſtanti: ergo etiam ſuppoſitâ elevatione poſſibilis eſt amor Dei ſuper omnia entitativè naturalis. Non ergo requiritur in Infidelibus ad hunc Dei amorem auxilium ſufficiens ordinis ſupernaturalis.

83. Ad hoc argumentum reſpondetur diſting. Maj. quoties permanent principia requiſita adæquatè ad dilectionem Dei auctoris naturæ ſuper omnia, poſſibilis eſt prædicta dilectio, ſecundùm id, quod prædicta dilectio dicit *per ſe, & ex ratione objecti*, Conc. Maj. *ratione ſubjecti, & ſtatûs corruptionis*, ſubdiſtinguo; ſi principia ſint integra, & ad talem actum expedita, & comparata. Conc.Maj. debilia & ſaucia Neg. Maj. & ſub eadem diſtinctione Minoris neg. Conſ. Etenim amor Dei naturalis conſiderari poteſt ſecundùm id, quod per ſe, & ex ratione objecti dicit, & proùt ſic non requiritur gratia ſupernaturalis, ut rectè

probat argumentum. Hæc namque ſolùm exigitur ratione ſubjecti, & ſtatûs corruptionis. Primò: quia peccato remanſit natura languida, corrupta, viribus debilitata, & fracta; quare ut curetur defectio, & languor, ſeu impotentia ex peccato orta, requiritur lumen Divinum, gratia ſanans, ac roborans ordinis ſupernaturalis, ut docet D. *Thomas* 1. 2. quæſt. 109. artic. 3. dicens: *Homo in ſtatu naturæ integræ dilectionem ſui ipſius referebat ad amorem Dei, ſicut ad finem, & ſimiliter dilectionem omnium aliarum rerum; & ita Deum diligebat pluſquàm ſemetipſum, & ſuper omnia, ſed in ſtatu naturæ corruptæ, homo ab hoc deficit ſecundùm appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei. Et ideò dicendum eſt, quòd homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia, licèt indigeret auxilio Dei ad hoc moventis: ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc* (nempè ad diligendum Deum) *auxilio gratiæ naturam ſanantis*: quo nomine intelligit S. Doctor auxilia ordinis ſupernaturalis, quæ ad hominem ſive perfectè, ſive imperfectè ſanandum ordinantur. Etenim de hac gratia ſupernaturali diſſerit S. Doctor totâ quæſt. 109. ubi neceſſitatem gratiæ, non tam Angelicè, quàm Divinè explicat, nullam agnoſcens ordinis naturalis medicinalem gratiam.

84. Conſtat hoc ex artic. 5. Ibi agit de gratia ſupernaturali, nempè conducente ad vitam æternam. Aſſignat opera omnia, ad quæ poteſt homo ſine illa, ſequentibus verbis: *Ideò ſine gratia homo non poteſt mereri vitam æternam, poteſt tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale, ſicut laborare in agro, bibere, manducare, & habere amicum, & alia hujuſmodi, ut Auguſtinus dicit in* 3. *reſponſione contra Pelagianos*. Annè credibile eſt, quòd recenſens S. Doctor opera omnia, ad quæ poteſt homo pro hoc ſtatu ſine gratia ſupernaturali, ſolùm referat opera inferiora naturæ, & ſileat Dei dilectionem, ſeu actum totius vitæ humanæ perfectiſſimum, & præceptum illud amoris, quod eſt primum in omni lege? Id quod mandat lex naturalis impreſſa menti cujuſcumque Creaturæ rationalis, ut obſervat D. *Thomas* Opuſc. 61. cap. 1. Quod denuò repetit lex ſcripta Deuter. cap. 6. dicens: *Audi Iſrael, Dominus tuus unus eſt; diliges Dominum Deum tuum*; & in lege gratiæ iterum præcipitur *Matth.* cap. 22. *Diliges Dominum Deum tuum*; & tandem præceptum, quod eſt omnium aliorum finis, & complementum, dicente *Apoſtolo* 1. ad *Timoth.* cap. 1. *Finis præcepti charitas eſt*. Et ad *Rom.* cap. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio*: ergo dum illam omiſit S. Doctor, evidens fit, quòd juxta ipſum ad Dei auctoris naturæ amorem non poteſt homo pro hoc ſtatu ſine gratia ſupernaturali ſanante.

85. Etiam artic. 4. inquirit D. *Thomas*: *Utrum homo ſine gratia per ſua naturalia legis præcepta implere poſſit?* Quæſtioni reſpondet in corpore articuli: *Quòd homo in ſtatu naturæ integræ poſſet omnia mandata legis implere*. At agnoſcens, quàm debiles ſunt pro hoc ſtatu vires

res noſtræ, addit: *Sed in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt homo implere omnia mandata ſine gratia ſanante*. Eſt namque obſervatio totius legis opus proprium hominis ſani, & integri; importatque ex parte modi operandi diuturnam uniformitatem, & conſiſtentiam in operando: ac proinde debet ſupponere inclinationem uniformem, & ex natura ſua conſiſtentem ad bonum; quod totum abſque gratia ſanante in hoc ſtatu naturæ corruptæ fieri nequit: ubi per gratiam ſanantem intelligit gratiam ordinis ſupernaturalis. Hìc namque comparat obſervantiam mandatorum ex propriis meritis utriuſque ſtatûs, ſive attentâ conditione hominis ſani, & infirmi: ex quo infert, quòd homo in ſtatu ſano, & integro gratiâ ſupernaturali ſanante non indigebat, ut poſſet implere mandata; quæ tamen neceſſaria eſt homini lapſo, & infirmo ob perpetuam rebellis concupiſcentiæ pugnam; ſed gratia neceſſaria, nè inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas his ſuccumbat, non eſt gratia ordinis naturalis, ſed ſuperioris ordinis, ut naturæ per peccatum graviter læſæ reſtituantur perditæ vires, ut reficiatur ipſa, reparetur, incrementum, roburque accipiat: ergo gratia ſanans ſupernaturalis eſt.

86. Conſtat id ipſum ex intento primi argumenti intendentis, *quòd per naturam ſine gratia poſſit homo præcepta legis implere*, ſub hac forma: *Dicit enim Apoſtolus ad Rom. Quòd gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt; ſed illud, quod naturaliter facit homo per ſeipſum, poteſt facere abſque gratia: ergo homo poteſt legis præcepta facere abſque gratia*. Cui argumento S. *Thomas* reſpondens, agnoſcit in Infidelibus gratiam ordinis ſupernaturalis: *Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de Spirit. & litter. Non moveat, quòd naturaliter dixit, eos, quæ legis ſunt, facere; hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis*; ſed gratia iſta ſupernaturalis eſt, & inſtauratur in nobis imago illa Dei, in qua naturaliter facti ſumus, mediâ dilectione ſummi illius, & incommutabilis boni: ergo gratia illa, quam in corpore articuli ſanantem dixit, eſt ordinis ſupernaturalis.

87. Hujus ratio, & fundamentum eſt; quia auxilio ſpeciali ordinis naturæ ſanari non poteſt vulnus impotentiæ, & ignorantiæ, ex malitia, concupiſcentia, & infirmitate coaleſcens: manifeſtum quippè eſt, inquit D. *Thomas* 1. part. q.95. art.1. Quòd in primo parente *illa ſubjectio corporis ad animam non erat naturalis; alioquin poſt peccatum manſiſſet; cum etiam in Dæmonibus data naturalia poſt peccatum permanſerint, ut Dionyſ. dicit cap. 4. de Divin. Nom. Unde manifeſtum eſt, quòd illa prima ſubjectio, quâ ratio Deo ſubdebatur, non erat ſolùm ſecundùm naturam, ſed ſecundùm ſupernaturale donum gratiæ; non enim poteſt eſſe, quòd effectus ſit potior, quàm cauſa*: ergo, cùm deperditâ gratiâ, ſoluta ſit obedientia carnis ad animam, requiritur gratia ſupernaturalis in anima, ut inferiora ei ſubdantur. Quæ conſequentia eſt evidens: nam cùm vulneratio hæc in naturalibus facta non ſit, niſi privatione doni ſimpliciter ſupernaturalis, & gratuiti; apertè conſtat, quòd vitium

natu-

naturalia bona contenebrans, & infirmans, illuminatione, & curatione aliâ, quæ ſupernaturalis non ſit, ſanari minimè poteſt.

88. Rurſus: auxilio ordinis naturalis liberari minimè valet ab illis duobus impotentiæ, & ignorantiæ vulneribus, ut nempè agnoſcat, & cogitet quantùm à Deo dependet; & ut ſe, ſuaque omnia in Deum conſtanti animo referat: ſic S. *Auguſtinus* lib. de perfect. juſtitiæ cap. 2. *Reſpondemus, vitari poſſe peccatum, ſi natura vitiata ſanetur gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; in tantùm enim ſana non eſt, in quantùm id, quod faciendum eſt, aut cœcitate non videt, aut infirmitate non implet*. Quâ ratione D. *Thomas* 1. 2. q. 100. artic. 10. ad 2. docet, præceptum charitatis non impleri ſine gratia: *Dicendum, quòd ſub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; & ideò præceptum charitatis implere non poteſt homo, niſi & omnia referantur ad Deum*. Et iterum: *Ad tertium dicendum, quòd obſervare omnia præcepta legis homo non poteſt, niſi impleat præceptum charitatis, quod non ſit ſine gratia, & ideò impoſſibile eſt, quod Pelagius dixit, hominem implere legem ſine gratia*; quia nempè excedit vires naturæ infirmæ, & corruptæ, propter concupiſcentiam perpetuò reluctantem, quam nemo viribus innatis compeſcere poteſt. Hinc, quia liberum arbitrium eſt per *Adæ* peccatum infirmum, & vulneratum ad bonum, Deum auctorem naturæ ſine gratia non poſſe diligere probat *Concilium Arauſicanum* 2. Canon. 25. dicens: *Hoc prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſteà aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, quod bonum eſſe poſſit, niſi eum gratia miſericordiæ divinæ præceſſerit*. Quibus verbis Synodus impotentiam hominis lapſi ad Deum ſuper omnia diligendum ſtatuit, non tantùm ex ſupernaturalitate actûs, ſed etiam ex infirmitate liberi arbitrii per peccatum contracta. Quare illud *ſicut oportuit* non intelligitur de dilectione, fide, & opere ſupernaturali, ac meritorio: aliàs malè probaret Concilium imminutionem virium naturalium ex eo, quòd homo non poſſet actus ſupernaturales elicere; ſed ſolùm, quòd homo non poteſt bona illa elicere, qualiter ad ſe convertendum ad ultimum finem, ad quem homo eſt ordinatus, opera illa ſunt neceſſaria. Qui enim Deum diligit ſuper omnia, profectò Deum, *ſicut oportet*, diligit; cùm Deum diligat, ſicut ipſe præcipit.

89. Ita ſuper hunc articulum obſervat *Sylvius* dicens: *Diligit autem Deum ſicut oportet, qui eum etiam ut naturæ auctorem abſolutè diligit ſuper omnia; ſic nimirum, ut omnia legis mandata propter illum ſervare velit, nec in ullo ejus amicitiam violare*. Quod & notat Mag. *Contenſon* lib. 8. diſſert. 2. cap. 1. confect. 2. *Dum ergo Sacra Concilia dicunt, neceſſariam eſſe gratiam ad amorem Dei, prout oportet, eliciendum, illius diſtinctionis Dei, ut beatificatoris, & ut principii, ſeu auctoris naturalis, & ſupernaturalis nullam rationem habuerunt. Pelagiani enim numquam negarunt neceſſitatem gratiæ ad Deum, ut beatifi-*

tifi-

tificatorem promerendum, vel potius numquam diſputarunt: An amor Dei, ut beatificatoris excedat naturæ vires? ſed loquebantur de amore ipſis Philoſophis, Gentilibus, utique Deum glorificatorem non cognoſcentibus, poſſibili. Itaque Concilia verba illa, ſicut oportet, in ipſo Auguſtini, undè deprompta ſunt, ſenſu intellexêre. Manifeſtum eſt autem, verba illa numquam adhibuiſſe Auguſtinum, ut amorem Dei caſtum naturæ corruptæ poſſibilem eſſe adſtrueret, ut ex ſuperioribus liquet, ſed ut amorem Dei caſtum à non caſto ſecerneret: qui amor non caſtus, amor quidem Dei eſt, ſed profectò non eſt, ſicut oportet. Qui tamen non fit, niſi per liberatricem gratiam Salvatoris. Videantur quæ ſuprà diximus num. 23.

90. Hoc magis confirmari poteſt; primò quia *Adam* poſt peccatum fuit averſus à Deo, tam ut auctore ſupernaturali, quàm naturali; & cùm averſio in poſteris, peccatum originale contrahentibus reperta, ſit omninò ſimilis averſioni, quæ fuit in ipſo *Adamo* poſt peccatum; hìnc fit, quòd in Poſteris in peccato originali conceptis, ſit averſio à Deo, ut fine ultimo, nedùm naturali, ſed & ſupernaturali; aliàs homines jam naſcerentur converſi ad Deum, ut finem ultimum naturalem, vel ſupernaturalem, quòd eſt falſiſſimum: ergo de ratione peccati eſt averſio à Deo auctore naturali, & ſupernaturali, & converſio ad bonum commutabile; ſed hujus pravi finis intentio commutari nequit in boni finis amorem, ſive in Deum, ut ſuum ultimum finem ſimpliciter talem, medio aliquo naturalis ordinis auxilio: cùm reſpectu hominis elevati ratio auctoris naturæ, & gratiæ ſic connectatur, ut non poſſit ad unum accedere, quin accedat ad aliud: ergo ex averſione à Deo auctore naturali, & ſupernaturali oritur neceſſitas gratiæ.

91. Secundò: quia cùm peccatum, ut diximus, ſit averſio à Deo, etiam ut auctore naturali, auferens ſecundùm affectum peccantis utramque rationem ultimi finis, tam naturalis, quàm ſupernaturalis, ſequeretur, quòd homo eſſet averſus à Deo, ut fine ultimo ſupernaturali, & nihilominùs converſus ad eumdem, ut finem naturalem; quod abſolutè implicat: vel quia haberet duos fines ultimos totales; vel quia daretur caſus, quòd aliquis in peccato originali exiſtens eſſet converſus ad Deum, ut finem naturalem, & moriens in illo, beatus beatitudine naturali, & ſimul miſer miſeriâ oppoſitâ beatitudini ſupernaturali, quod apertè implicat. Impoſſibile quippè eſt, eum, qui ſe beatitudine ſupernaturali privatum agnoſcit, (ut ſe privatum agnoſceret ille ſaltem poſt diem judicii) non experiri triſtitiam aliquam beatitudini oppoſitam: ergo ne detur hoc inconveniens, gratia ſupernaturalis requiritur, ut ſe convertat in Deum auctorem naturalem, & ſupernaturalem.

92. Tertiò: quia auxilia ad conſecutionem ſalutis, cùm ſint media intrinſecum ordinem dicentia ad finem, debent derivari ex voluntate illa antecedente, quâ *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*: ſed ex voluntate illa, quæ eſt providentia ſupernaturalis, quæ & reſpicit objectum ſupernaturale, non derivantur auxilia ordinis naturalis, ſive intra ordinem naturalem omnino circumſcripta; vel quia improportionata

ſunt

ſunt cum fine ſupernaturali; vel quia hæc auxilia ordinis naturalis potiùs debent dici munera creationis, quàm providentiæ ſupernaturalis: ergo donum ſimpliciter ſupernaturale neceſſarium eſt ad amorem Dei.

93. Tandem, quia homo in ſtatu naturæ lapſæ longè debilior eſt ad bonum morale operandum, quàm fuiſſet in ſtatu naturæ puræ; quem ſtatum poſſibilem propugnat Magiſter *Contenſon* lib. 8. diſſert. 1. ſpecul. 3. Et tamen quia in ſtatu naturæ puræ non datur gratia ſupernaturalis, quæ eſt ſtatui illi indebita, eſſetque illius ſtatûs deſtructiva, quâ homo poſſit Deum efficaciter ſuper omnia diligere, ſtatus ille puræ naturæ juxta providentiam Dei ordinariam planè repugnat: ergo à fortiori in ſtatu naturæ corruptæ requiritur ad amorem Dei auctoris naturalis gratia ſupernaturalis. Licèt ergo ſine gratia iſta dentur pro ſtatu elevationis naturæ corruptæ principia ſecundùm ſe, & in abſtracto conſiderata, quæ requiruntur, & ex ſe ſunt naturaliter ſufficientia ad amorem Dei ſecundùm id, quod per ſe, & ratione ſui exigit: attamen cùm funeſtiſſimo lapſu principia illa ſint ſauciata, colliſa, confracta, & graviter vulnerata, ut ſuprà vidimus, & expreſsè docet D. *Thomas* in 2. diſt. 30. q. 1. art. 1. ad 3. dicens: *Homo per peccatum factus eſt minus habilis, magis diſtans à finis conſequutione, & propter hoc etiam homo gratuitis ſpoliatus, dicitur in naturalibus vulneratus*; hinc fit, quòd quamvis non ſint principia naturalia extincta; ad benè operandum indigeant adjuvari Omnipotentis Dei auxilio ſupernaturali. Uno verbo; naturalium principiorum morbus nonniſi ſupernaturali medicinâ curatur.

94. Ad primam confirmationem conceſsâ maj. diſtinguenda eſt min. Vana, & commentitia eſſet illa diſtinctio, ſi non datur amor Dei auctoris naturæ, qui non ſit amor Dei auctoris ſupernaturalis ſecundùm id, quod per ſe, & ex parte objecti dicit, conc. min. Si ſolùm requiratur auxilium ſupernaturale ex parte ſubjecti, & ſtatûs, neg. min. & conſeq. Diſtinctionem utriuſqne amoris Dei tàm naturalis, quàm ſupernaturalis, egregiè explicat D. *Thomas* 1. ad *Corint.* 13. lect. 4. dicens: *Amor eſt quædam vis unitiva, & omnis amor in unione quadam conſiſtit. Unde ſecundùm diverſas uniones diverſæ ſpecies amicitiæ à Philoſopho diſtinguuntur. Nos autem habemus duplicem conjunctionem cum Deo. Una eſt quantùm ad bona naturalia, quæ hic participamus ab ipſo: alia quantùm ad beatitudinem, in quantùm hìc ſumus participes per gratiam ſupernæ felicitatis.... Et ſecundùm primam communicationem ad Deum eſt amicitia naturalis, ſecundùm quam unumquodque, ſecundùm quod eſt, Deum cauſam primam, & ſummum bonum appetit, & deſiderat finem ſuum: ſecundùm verò communicationem ſecundam eſt amor charitatis, quô ſolùm creatura rationalis Deum diligit.* Hæc D. *Thomas*: ex quibus cognoſcitur diſtinctio illa amoris naturalis, & ſupernaturalis. Cùm enim nihil ſit volitum, quin præcognitum, deturque cognitio Dei finis naturalis, & ſupernaturalis; indè fit, quòd bonitas Dei propoſita per Fidem eſt radix amoris ſupernaturalis per charitatem: & eadem bonitas cognita per diſcurſum natura-

ralem, ex effectibus creatis, & ſic propoſita voluntati, fundat amorem naturalem ipſius Dei. Eo nempe modo, quo excellentia ſupremi dominii Dei cognita diſcurſu naturali, quatenus Deus cognoſcitur primum principium rerum naturalium, fundat virtutem Religionis naturalis; & cognitus per Fidem, ut ſupremum principium rerum ſupernaturalium, Religionem ſupernaturalem.

95. Hoc ergo intellecto, dicimus bonam diſtinctionem amoris Dei naturalis, & ſupernaturalis. Amor ille naturalis dicitur, quia amatur Deus intra ordinem naturæ ſpectatus, id eſt, naturali lumine cognitus; quomodò dixit Apoſtolus, quòd Gentes cognoverunt Deum. Supernaturalis verò dicitur dilectio, quæ Deum ut auctorem gratiæ reſpicit, dum ut talis per Fidem proponitur. *Prima*, ut ait D. *Thomas* 2.2. q.26. art.3. *ſuper communicatione bonorum naturalium nobis à Deo facta fundatur. Poſterior verò ſuper communicatione donorum gratiæ.* Dicimus autem, quòd amor ille ita naturalis, ratione cognitionis illum attingentis, ut auctorem naturæ, non eſſet ſine auxilio ſupernaturali ſubjectivo; atque tota diſtinctio illa amorum inniteretur objectivis rationibus cognitionis. Hæc diſtinctio non vana, ſed commoda eſt, ut ex ea, ratio amoris ſine fide, ab amore ex fide diſtincta, dignoſcatur. Etſi enim ex parte objecti ſit quid naturale, rectè componitur, quòd in hoc corruptionis ſtatu, exigat principium ſupernaturale, quò natura debilis, & ſaucia ex vulnere peccati, promptior, & expeditior reddatur ad dilectionem Dei.

96. Nil majoris roboris habet utraque confirmatio; totumque argumentum abſolutè conceditur. Solùm probat, quòd ſuppoſitâ elevatione hominis ad ordinem ſupernaturalem, non requiritur ad diligendum Deum auctorem naturæ ſuper omnia, auxilium ſupernaturale, *per ſe*, nimirum, ex parte actus, & objecti; ut veriſſimè dicitur de Angelis, & primo Parente; cùm actûs ille naturalis ſit, & non ſupernaturalis. Cæterùm dum ſupernaturale auxilium ſtatuitur ad dilectionem Dei, non deſideratur præcisè illud ex eo, quòd homo eſt elevatus ad ordinem ſupernaturalem; ſed quia ſuppoſitâ illâ elevatione homines pro ſtatu naturæ lapſæ ſunt originali culpâ colliſi, & confracti, & in omnibus viribus graviter vulnerati. Si ergo voluntas eſt in naturalibus vulnerata, quid mirum, quòd adjutorio Dei indigeat, quò infirmitas ad elicientiam talis actûs adjuvetur?

97. Fateor, poſſe hominem gratiâ ſanctificante inſtructum, cum auxilio ſpeciali ordinis naturæ, diligere Deum, ut auctorem naturalem ſuper omnia, ratione dictâ; quòd auxilium hoc ſupernaturale non requiritur per ſe ex parte actûs, & objecti, ſed ſolùm ex parte ſubjecti, eò quòd habet impedimentum peccati: cùm ergo beneficio gratiæ ſanctificantis, quâ ornatus ſupponitur, & cui gratiæ actuales juxta uſitatum providentiæ Dei curſum reſpondent, veram habeat, expeditamque benè agendi facultatem; nullumque aliàs habeat intrinſecum impedimentum peccati, ratione cujus converſio ad Deum, ut auctorem naturalem, ſit ipſi ex vi ſtatûs impoſſibilis; ideo ad Deum auctorem naturæ

accedere poteſt viribus naturalibus auxilio illius ordinis adjutis, ut optimè advertit noſter Emin. Card. *Gotti* tom. 9. de neceſſit. grat. Divinæ dub. 6. §. 4. n. 38. ſequentibus verbis: *Sed homo juſtus non habet impedimentum peccati, & licèt habeat gratiam, & charitatem, poteſt illis non uti, & viribus naturalibus auxilio ſpeciali illius ordinis adjutis elicere actum amoris Dei finis naturalis, regulati per cognitionem naturalem; quemadmodum licèt habeat temperantiam infuſam, poteſt eâ non uti, & ex viribus naturalibus, ac motivo naturali elicere actum temperantiæ acquiſitæ*. Quod ſanè probat, non eſſe fictitiam, & vanam diſtinctionem illam amoris Dei naturalis, & ſupernaturalis. Cùm ergo in caſu quæſtionis infideles negativi careant omni gratiâ ſanctificante, ſanante, ac roborante, quâ ſit illis poſſibilis dilectio Dei auctoris naturæ, indigent auxilio ſupernaturali dante poſſe ſaltem remotum; etenim pro ſtatu naturæ lapſæ, *nullus*, ut docet Concilium *Arauſicanum* 2. can. 14. *de quantacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordiâ prævenitur*.

§. IV.

Aliud proponitur Argumentum, cujus occaſione exponitur axioma illud: Facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam.

98. Tandem objicies illud commune Theologorum axioma, *Facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam*, ex quo ſanè conſequens videtur, poſſe hominem ſolo auxilio ordinis naturalis ſe ad Deum convertere abſque omni gratia ſupernaturali. Idem quippe eſt dicere, *facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam*, ac dicere, ſi homo facit, quod eſt in ſe, Deus non denegabit gratiam; ſed veritas illius conditionalis exigit, ut actuum, & cognitionum bonarum principium ſit auxilium ordinis naturæ; cùm debeat præſupponi ad gratiam Dei: ergo.

99. Confirmatur: ideò in Infidelibus eſſet neceſſaria gratia præveniens ſupernaturalis, ut poſſent ſe præparare ad fidem, & gratiam juſtificationis habendam; ſed ad hoc minimè requiritur: ergo. Min. prob. ex D. *Thoma* in 2. diſtinc. 28. q. 1. artic. 4. ad 4. & in 4. diſtinc. 17. q. 1. artic. 1. quæſtiunc. 2. ad 4. aſſerente, puerum nutritum in ſylvis poſſe ſe præparare ad fidem, & ad gratiam, ſi per cognitionem naturalem, & amorem Dei convertatur in ipſum, hiſce verbis; *Finis ultimus, ſcilicet Deus, poteſt eſſe in intentione ejus, qui fidem non habet, per generalem, & naturalem cognitionem, quam de Deo habet. Unde etiam ille, qui fidem non habet, poteſt ſe ad fidem habendam præparare præparatione negativâ, & ad gratiam, ſi ſecundùm ſuam cognitionem peccatum ipſi diſpliceat, & in Deum affectus ejus feratur*; ſed actum illum dilectionis Dei ſuper omnia, actuſque contritionis abſque omni gratia ſu-

ſupernaturali elicitos præſupponit D. *Thomas*, cùm ſint merè naturales: ergo etiam Infideles abſque omni gratia ſupernaturali poſſunt ſe præparare ad fidem, & gratiam juſtificationis habendam.

100. Ante ſolutionem argumenti operæ pretium mihi facturus videor, ſi veriorem illius celeberrimi adagii, *Facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam*, explicationem attingam, à qua maximè pendet intelligentia eorum, quæ deinceps diſſerenda ſunt. Totus incumbit P. *Ludovicus Molina* in hoc propugnando, cùm ſit maximum doctrinæ ejus caput. In ejus defenſione inſudarunt & alii ejuſdem Societatis Theologi, qui mentem ſuam his duabus propoſitionibus nobis explicârunt. Prima eſt: *Axioma illud Theologicum: facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam: non ſolùm veriſſimum eſt, atque doctrinæ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum maximè conſentaneum; verùm etiam per illud ſignificatur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam facienti quod eſt in ſe; nec ſolùm facienti quod eſt ex viribus gratiæ, ſed etiam illi, qui cùm habeat gratiam, facit quod in ſe eſt viribus naturæ.* Secunda; *Quia tamen opera viribus ſolius naturæ elicita omninò ſterilia ſunt, atque incapacia merendi dona intrinſecè, ac theologicè ſupernaturalia, ideo dicimus, obligationem, quam Deus habet, conferendi gratiam facienti quod eſt in ſe viribus naturæ, ſeu viribus gratiæ purè naturalibus, ſive non theologicè ſupernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito, ſive condigno, ſive congruo, quod inſit illis operibus in ordine ad gratiam, ſed ex pacto inter Chriſtum fidejuſſorem noſtrum, & Patrem inito ad gratiam hominibus conferendam propter Chriſti merita, reſpiciendo ea naturalia opera, ut purum terminum, non ut meritum ullum, aut rigoroſam conditionem.* Quas duas propoſitiones gravi notâ confixit *Clerus Gallicanus* anno 1700. his verbis: *Hæ duæ propoſitiones, quâ parte cauſam diſcernendi inter juſtos, & non juſtos in opera merè naturalia referunt, Semipelagianiſmum inſtaurant, mutatis tantùm vocibus. Pactum autem, quod inter Deum, & Chriſtum aſſeritur, commentum eſt temerarium, erroneum, nec ſolùm tacente, ſed etiam adverſante Scripturâ, & Sanctorum Patrum traditione prolatum.*

101. Hoc ergo rejecto modo dicendi, aliter exponitur axioma illud à pluribus graviſſimis Theologis, videndis apud Auctores, & maximè apud eruditum Recentiorem, qui illorum mentem clariſſimè ſequentibus verbis exponit: *Sed ut omnis duritia, etiam quoad apparentiam, auferatur, notandum eſt, hanc propoſitionem: facienti quod eſt in ſe ex viribus naturæ Deus non denegat gratiam, ita ut nomine gratiæ intelligatur gratia vocationis ſupernaturalis Fidei, Spei, & aliorum, quæ requiruntur ad juſtificationem, poſſe multiplicem ſenſum habere. Primò, ſi ly, ex viribus naturæ, ſolùm importet ſufficientiam convenientem libero arbitrio ex vi creationis, ita ut ſine ulteriore auxilio, quo Deus donet, & operetur in nobis velle, & perficere, homo operetur quantum eſt in ſe; id eſt, quantum habet in ſuo dominio, & libertate; cùm ſit definitum contra ipſum, nempè Pelagium, in*

 Con-

Conciliis, non ſolùm à Deo nos habere poſſe velle, & operari bonum; ſed etiam ipſum velle, & operari bonum, hâc ratione non ſolùm Deus confert nobis adjutorium, ut poſſimus velle, & operari bonum, ſed etiam adjutorium, per quod fit, ut benè velimus, & agamus. De quo M. Parens ferè per totum librum de grat. Chriſti. Continet ſimiliter ſenſum Pelagianum, ſi taliter Deus homini facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ conferat auxilia ſupernaturalia ad credendum, ut illa ſint propriè ex meritis. Cùm ſit fide certum, fidem, & vocationem ad illam eſſe omninò gratuitam, nec dari ex meritis, ut patet ex illo Pauli ad Philipp. 1. Vobis donatum eſt pro Chriſto, ut credatis. Et rurſus: *Fides donum Dei eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* Rurſus idem Auctor: *Hinc ab oppoſito colligere licet, quòd ſi converſio ad Deum, ut auctorem naturæ in puero perveniente ad uſum rationis, & ſimiliter in Infideli jam adulto ſimul cum diſplicentia peccati, quatenus eſt offenſa Dei, ut auctoris naturæ, taliter adſtruantur elicita ex viribus naturæ, ut ly* ex *denotet ſolùm ſufficientiam indigentem ulteriori auxilio intrinſecè efficaci, & ſpeciali intra ordinem naturæ; & inſuper prædictis actibus dilectionis, & diſplicentiæ de omni peccato negetur, tum ratio meriti de condigno, tum etiam ratio meriti de congruo, congruitate, inquam, intrinſecâ fundante aliquod jus; eſtò imperfectum; tum denique ratio diſpoſitionis poſitivè diſponentis, & proportionantis ſubjectum, ut Deus conferat auxilia ſufficientia ad fidem, & ad ulteriores actus diſponentes ad juſtificationem, nihil duritiæ, aut aliqualiter conſonum errori Semipelagianorum adſtruitur; ſed ſolùm oſtenditur ſumma Dei miſericordia offerendo omnibus ſufficientiam ſaltem mediatam ex adjuncta Dei promiſſione, ut poſſint ſalvari, & ut nemo etſi barbarus, & infidelis ſit penitus extra ſtatum ſalutis æternæ.*

102. Hæc præclariſſimus iſte Magiſter, qui hoc pacto, hiſque conditionibus tuetur, quam citati Thomiſtæ propugnant ſententiam, puerum pervenientem ad uſum rationis, ſi convertatur ad Deum, ut auctorem naturæ, accepturum ab ipſo gratiam vocationis ad fidem, & ad alios actus diſponentes ad receptionem gratiæ. Idemque eſſe dicendum de Infideli jam adulto, & etiam in grandæva ætate, qui etiamſi dicto modo diligat, & doleat de peccatis propriâ voluntate commiſſis, accipiet à Deo auxilium, tum ad fidem, tum ad alios actus diſponentes ad juſtificationem, ut ſic prædicti Infideles non ſint extra ſtatum ſalutis.

103. Sed ſalvâ iſtius ſapientiſſimi Doctoris reverentiâ, diſplicet modus iſte dicendi; & quidem primò quando non occurreret alia probatio, illa deberet ſufficere, quòd intelligentiam hujus axiomatis ab ipſis datam totis viribus confligendam putarint majores noſtri, quos ſequi per omnia, & in illorum veſtigiis nos quoquè pedes noſtros figere æquum, & juſtum erit; nam licèt Fidei noſtræ dominari non debeant; in re tamen iſta ſat nobis eſt præfati axiomatis ſenſum aliter nobis tradidiſſe, ut contra ipſos infructuoſo labore non fatigemur: ſuper quo videri poſſunt Thomiſtæ communiter intelligentes hoc axioma de faciente quod eſt in ſe ex viribus gratiæ.

104. Se-

104. Secundò rejiciendus venit: quia modus iſte dicendi minùs conformis videtur menti Angelici Præceptoris, qui clariſſimè ſe explicat 1. 2. quæſt. 109. artic. 6. Ubi expreſsè aſſerit, præſupponi debere aliquod auxilium Dei interius animam moventis, ſive inſpirantis bonum propoſitum, ut ſe præparet homo ad ſuſceptionem gratiæ, dicens: *Et ideò quòd convertatur ad Deum, hoc non poteſt eſſe, niſi Deo ipſum convertente. Hoc autem eſt præparare ſe ad gratiam, quaſi ad Deum converti; ſicut ille, qui habet oculum averſum à lumine Solis per hoc ſe præparat ad recipiendum lumen Solis, quòd oculos ſuos convertit verſus Solem; unde patet, quòd homo non poteſt ſe præparare ad lumen gratiæ ſuſcipiendum, niſi per auxilium gratuitum Dei interiùs moventis*. Quod iterum firmat quæſt. 112. artic. 2. dicens: *Sed ſi loquamur de gratia, ſecundùm quòd ſignificat auxilium Dei moventis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quaſi præveniens divinum auxilium: ſed potiùs quæcumque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et ſecundùm hoc ipſe bonus motus liberi arbitrii, quó quis præparatur ad donum gratiæ ſuſcipiendum, eſt actus liberi arbitrii moti à Deo*. Quod iterum firmat artic. 3. ubi inquirit: *Utrum neceſſariò detur gratia ſe præparanti ad gratiam, vel facienti quod in ſe eſt*: nec non lect. 3. ſuper cap. 10. epiſt. ad Rom. *Si qui tamen eorum feciſſent, quod in ſe eſt, Dominus eis ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis prædicatorem Fidei, ſicut Petrum Cornelio Act. 1. & Paulum Macedonibus, ut habetur Act. 16. Sed tamen hoc ipſum, quòd aliqui faciunt, quod in ſe eſt, convertendo ſe, ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum*: quibus omnibus auxilii ſupernaturalis neceſſitatem ad hoc, quòd faciat quod eſt in ſe, ſatis demonſtrat D. *Thomas*.

105. Etenim auxilium Dei moventis exactum ad ipſam præparationem, ſeu actum diſponentem poſitivè, ſive imperfectè, ſive ultimò ad receptionem gratiæ habitualis, de qua docet dari ſe præparanti, quando ex intentione Dei moventis eſt, quòd perfectè ad illam ſe præparet, eſt auxilium entitativè ſupernaturale; quia in virtute illius, ſi homo faceret, quod eſt in ſe, conſequeretur gratiam ſanctificantem, ut ex ultimis verbis D. *Thomæ* citatis conſtat: ſed ad hoc auxilium non præcedit aliquis actus creaturæ, ut patet ex tota illa doctrina: ergo gratia ſupernaturalis exacta ad actus ſupernaturales, quibus homo diſponitur ad juſtificationem, non datur operanti per prius ex viribus naturæ adhuc ex auxilio ſpeciali, quo talis operatio ſit verè donum Dei. Prob. Maj. ex corpore illius artic. 6. Deus per tale auxilium efficienter facit, ut homo convertatur ad Deum, ut auctorem gratiæ, & finem ſupernaturalem: ergo eſt ſubſtantialiter in eodem ordine ſupernaturali, in quo eſt talis finis; quia ordo agentium eſt ſecundùm ordinem finium.

106. Secundò: quia hæc expoſitio ſanè ad nihil aliud deſervit, quàm ut quid obſcurum per obſcurius explicetur; cùm ſine tali recurſu ſolidè ad Angelico Præceptore ſolvantur argumenta, ob quæ hæc opinio excogitata eſt; nec uſquam ad illam recurrit Sanctus Doctor; quod

evi-

evidentiſſimum erit conſideranti argumenta, quæ ſibi contra reſolutionem artic. 6. propoſuit S. Doctor. Sic enim arguit 1. *Videtur, quòd homo poſſit ſe ipſum ad gratiam præparare abſque exteriori auxilio gratiæ. Nihil enim imponitur homini, quod ſit ei impoſſibile, ut ſupra dictum eſt: ſed Zachariæ 1. dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; nihil autem eſt aliud ſe ad gratiam præparare, quàm ad Deum converti: ergo videtur, quòd homo per ſe ipſum poſſit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio gratiæ.*

107. Secundò ſibi objicit: *Homo ſe ad gratiam præparat faciendo quod in ſe eſt, quia ſi homo facit, quod in ſe eſt, Deus ei non denegat gratiam: dicitur enim Matth. 7. Quòd Deus dat ſpiritum bonum petentibus ſe; ſed illud in nobis eſſe dicitur, quod eſt in noſtra poteſtate: ergo videtur, quòd in noſtra poteſtate ſit conſtitutum, ut nos ad gratiam præparemus.* Quartò ſibi objicit: *Præterea, Proverb. 16. dicitur: quòd hominis eſt præparare animam; ſed illud dicitur eſſe hominis, quod per ſe ipſum poteſt: ergo videtur, quòd homo per ſe ipſum ſe poſſit ad gratiam præparare.* Quibus omnibus ſatisfacit S. Doctor.

108. *Ad 1. ergo dicendum, quòd converſio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium, & ſecundùm hoc homini præcipitur, quod ſe ad Deum convertat; ſed liberum arbitrium ad Deum converti non poteſt, niſi Deo ipſum ad ſe convertente, ſecundùm illud Jeremiæ 31. Converte me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus. Et Threnor. ultimo: Converte nos Domine ad te, & convertemur. Ad 2. dicendum; quòd nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moveatur, ſecundùm illud Joann. 13. Sine me nihil poteſtis facere, & ideo cùm dicitur, homo facere quod in ſe eſt, dicitur, hoc eſt in poteſtate hominis ſecundùm quòd eſt motus à Deo. Ad 4. dicendum, quòd hominis eſt præparare animam, quia hoc facit per liberum arbitrium, ſed tamen hoc non facit ſine auxilio Dei moventis, & ad ſe attrahentis, ut dictum eſt.* Quibus liquidò conſtat, neminem poſſe facere, quod in ſe eſt, ut accedat ad Deum ſine gratia ſaltem movente; exponereque Divum *Thomam* dictum illud *facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam*, cùm homo facit, quod in ſe eſt cooperando gratiæ Dei, à qua movetur, qui eſt veriſſimus hujus axiomatis ſenſus.

109. Tertiò: quia hic modus dicendi non ſalvat doctrinam D. *Thomæ* 1. 2. quæſt. 89. artic. 6. ubi propugnat S. Doctor, quòd impoſſibile eſt, quòd peccatum veniale ſit in aliquo cum originali peccato, abſque mortali. Cujus ratio eſt, quia antequàm ad annos diſcretionis perveniat, defectus ætatis prohibens uſum rationis excuſat eum à peccato mortali, unde multò magis excuſat eum à peccato veniali, ſi committat aliquid, quod ſit ex genere ſuo tale. Cùm verò uſum rationis habere inceperit, non omninò excuſatur à culpa venialis, & mortalis peccati: ſed primum, quod tunc homini cogitandum occurrit, eſt deliberare de ſe ipſo; & ſi ſe ipſum ordinaverit ad debitum finem per gratiam, conſequetur remiſſionem originalis peccati. Si verò non ordinet ſe ipſum ad debitum finem, ſecundùm quòd in illa ætate eſt capax diſcretionis,

pecca-

peccabit mortaliter non faciens, quod in ſe eſt, & ex tunc non erit in eo peccatum veniale ſine mortali, niſi poſtquàm totum fuerit ſibi per gratiam remiſſum. Hæc ſanè mirabilis Angelici Doctoris doctrina minimè ſalvatur modo iſto dicendi. Enimverò juxtà hanc ſententiam ponitur caſus, quòd in inſtanti ultimo terminativo, in quo puer jam utitur ratione, ex ſpeciali auxilio ordinis naturæ convertatur de facto in Deum, ut auctorem naturæ. Quo poſito, in illo inſtanti non juſtificatur, ut eſt certum, quia ſine fidei actu non ſtat juſtificatio in adultis. Dicitur autem, quòd hoc pôſito, Deus vel per ſe ipſum, vel per Angelum, aut mittendo prædicatorem inſtruet de credendis neceſſariis ad juſtificationem.

110. Nunc ergo rogo ipſos: vel ultra illam legem per *Chriſtum* dandi gratiam ſupernaturalem facienti quod eſt in ſe ex viribus naturæ, quam ſine ullo fundamento in Scripturis, & Patribus ponunt, adſtruunt etiam alias leges ſpecialiſſimæ, imò miraculoſæ providentiæ; vel non? Illud primum à nemine dicitur. His autem legibus non appoſitis, non ſalvatur ſententia illa D. *Thomæ*. Etenim ſi Deus miraculosè non plenè inſtruit puerum illum in inſtanti immediatè ſequenti, aut ſpeciali providentiâ non tenet eum in toto illo tempore moraliter neceſſariò, ut juxta curſum regularem ipſe inſtruatur de credendis, cadet in peccatum veniale (cùm hoc facillimè committatur à viris heroicæ virtutis) etiam antequàm plenè ſit inſtructus de credendis neceſſariis, & conſequenter antequàm elicere poſſit converſionem ad Deum, ut auctorem ſupernaturalem, quæ ſit ultima diſpoſitio ad gratiam juſtificantem, & mundantem à peccato originali; nam poſt inſtans illud primum terminativum usûs rationis, capax ille puer eſt peccati venialis: ergo ſtabit in illo peccatum originale cum ſolo veniali; cùm ſupponatur, non peccaſſe mortaliter in primo inſtanti terminativo, cùm converſus fuerit ad Deum eo modo, quo tunc potuit, & quo tunc tenebatur converti. Mens ergo D. *Thomæ* in illo articulo eſt, quòd in ipſo inſtanti terminativo, vel convertitur converſione, quæ in illo inſtanti ſit connexa cum juſtificatione, vel in illo peccat mortaliter.

111. Quartò: Concilium *Arauſicanum* 2. cap. 3. pronuntiat, neminem poſſe advocare gratiam, niſi prius ab ipſa adjuvetur. Et Canon. 6. definit: *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus per infuſionem, & inſpirationem Sancti Spiritûs in nobis fieri confitetur ...... reſiſtit Apoſtolo dicenti* 1. *ad Corinth.* 4. *&* 15. *Quid habes quod non accepiſti? Et, gratiâ Dei ſum id quod ſum.* Ex quibus fit argumentum. Vel lex illa per Chriſtum latuit, & ignota penitus fuit PP. Concilii, vel non? Si primum: ergo lex iſta dandi gratiam facienti quod eſt in ſe, non eſt ad nos traditione tranſmiſſa; ſed ſolùm ad effugiendam argumentorum, quibus innitebatur Concilium, vim excogitata. Si dicatur ſecundum: ergo non rectè aſſerit Concilium, non

dari

dari gratiam facienti ex vigore naturæ omnia illa, quæ commemorat; quinimmò facilè refelletur, ſi adjungatur, talem vigorem adjuvari gratiâ ordinis naturæ per *Chriſtum*.

112. Urgetur hoc. Eo quippè loci Concilium perſtringit *Semipelagianos*, qui hæc omnia viribus innatis fieri autumabant. Sic *Fauſtus* ille Regienſis in lib. 2. cap. 19. poſt citatum illud ex cap. 7. *Matth. Quærite, & invenietis*, ſcribit: *Cùm enim ad videndum mens humana oculos aperuerit, ſtatim ſe deſideranti quæſita lex ingerit.* Cap. autem 8. exemplum de *Cornelio* protulerat, dicens: *In Centurione Cornelio, quia præceſſit voluntas gratiam, ita prævenit gratia regenerationem*. *Caſſianus* verò 13. Collatione cap. 8. ita ſcribit, loquens de Deo: *Qui dum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inſpexit, illuminat eam confeſtim, atque confortat, & incitat ad ſalutem*. Et cap. 11. *Cùm videt nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat. Ad vocem enim clamoris tui ſtatim, ut audierit, ut eſt Iſaiæ* 30. *reſpondebit tibi*; ſed ſi facienti, quod eſt in ſe viribus innatis auxilio ordinis naturalis adjutis Deus daret gratiam, vana & imbecillis eſſet Concilii argumentatio; cùm hanc ordinis naturæ gratiam per *Chriſtum* non negarent *Semipelagiani*: ergo.

113. Quintò: quia celebris eſt ſententia *Joann.* cap. 6. ubi *Chriſtus* ſic loquitur: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Rurſus cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*. Quæ duo loca urget S. *Auguſtinus* contra *Pelagianos* lib. 1. ad *Bonifacium* cap. 19. & lib. 2. ad eumdem cap. 18. ex quibus concludit, hominem quidquam aut magni, aut parvi ad ſalutem, prout oportet, conducentis, ſecluſò Dei auxiliô, non poſſe facere; *aliàs*, inquit, *non indigeret à Chriſto trahi*. Cujus tamen verificaretur contrarium, ſi eſſet lex dandi gratiam facienti quod eſt in ſe. Hic enim ad Deum accederet, etiamſi non eſſet tractus ab illo; hâc namque lege conſtitutâ, hæc conditionalis erit vera, *Si feceris quod in te eſt, ſinè me, id eſt, ſinè gratia mea ſupernaturali, ſeu ex viribus naturalibus auxilio ordinis naturalis adjutis, non deerit gratia mea*; quomodò ergo ſtabit illud, non poſſe ad Deum accedere, niſi Pater traxerit; aut quòd ſine ipſo ſupernaturaliter adjuvante nihil poſſumus facere, ad ſalutem, prout oportet, conducens?

114. Et tandem, quia lex illa de danda gratia facienti quod eſt in ſe viribus naturæ, ſine fundamento eſt; cùm contra ipſam militet experientia. Quot enim infideles viventes ſecundùm moralem, & naturalem juſtitiam Deus minimè à gentilitate traxit ad fidem? Et quot, iis relictis, perditæ vitæ viros ſibi, & Eccleſiæ conjunxit? Quod fecit Deus, inquit S. *Auguſtinus* lib. 2. de peccat. merit. & remiſs. cap. 18. *Ut homines cognoſcant, non à ſe ipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum*: ergo non datur talis lex.

115. Hoc ergo ſuppoſito, ad veram, & legitimam hujus axiomatis intelligentiam; ad 1. reſpondetur negando min. Illa namque conditionalis vera eſt, *Si ſequatur ductum rationis, juſtificabitur*; at quòd illa conditio purificetur, non erit niſi ex gratia ſupernaturali præveniente.

Sic

Sic *Joann.* 11. verſ. 40. dicitur: *Si credideris, videbis gloriam Dei*; & tamen Fides non eſt ex nobis. Sic *Joann.* 15. dicitur: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis*. Hìc denotatur connexio inter conditionem, & eventum; ſed non ponitur ab illis conditio, ſcilicet obſervantia totius legis, niſi præveniantur gratiâ ſupernaturali: ergo.

116. Hoc totum eleganter explicat D. *Auguſtinus* de dono perſeverant. cap. 7. num. 14. dicens: *Sicut operatur, ut accedamus, ſic operatur, ne diſcedamus .... Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra, ut non diſcedamus ab eo*. Et expreſsiùs lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 10. n. 32. *Denique ipſe qui dixit: ſi volueris, conſervabis mandata, in eodem lib. Eccleſiaſtico aliquantò poſt dicit: Quis dabit in ore meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum aſtutum, ne fortè cadam ab eo, & lingua mea perdat me? Jam certè mandata acceperat: cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Cùm ergo verum ſit, quod dixit, ſi volueris, conſervabis mandata; quarè quærit in ore ſuo dari cuſtodiam; ſimilis ei, qui dicit in Pſalm.* 140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo? Quarè non ei ſufficit mandatum Dei, & voluntas ſua, quandoquidem ſi voluerit, conſervabit mandata? Quàm multa Dei mandata ſunt contra ſuperbiam, jam novit ea, ſi voluerit, conſervabit ea. Quarè ergo paulò poſt dicit Eccl.* 23. *Domine Pater, & Deus vitæ meæ, elevationem oculorum ne dederis mihi? Jam dixerat ei lex: non concupiſces: velit ergo, & faciat, quod jubetur, quoniam, ſi voluerit, conſervabit mandata. Quarè ſequitur verſic.* 6. *& dicit: Concupiſcentiam averte à me? Contra luxuriam Deus quàm multa mandavit, faciat ea; quia, ſi voluerit, conſervabit mandata. Quid eſt, quod clamat ad Deum, ventris appetitio, & concubitus ne apprehendat me? Si hæc ei præſenti diceremus, rectiſſimè nobis reſponderet, & diceret; ex iſta oratione mea, quâ hæc à Deo peto, intelligite, quomodò dixerim: Si volueris, conſervabis mandata. Certum eſt enim nos mandata ſervare, ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantùm velimus, quantùm ſufficit, ut volendo faciamus*. Quibus verbis profundiſſimè explicat S. Doctor, quomodò Deus aliquid ſub conditione præcipit, & quòd hujus purificatio venit ex munere ejus.

117. Ad confirmationem dicimus, quòd D. *Thomas* non ita clarè de his diſſeruit in Sententiariis, ut obſervat Eminentiſſimus Cardinalis *Cajetanus* ſuper præfatum artic. 6. dicens: *Nec obſtat, quod communiter dicitur, quòd homo faciendo, quod in ſe eſt, diſponit ſe ad gratiam; quoniam hoc intelligitur de diſpoſitione, & præparatione, non ſimpliciter, ſed quantùm eſt ex parte ſua; & rurſus de diſpoſitione ſimpliciter accipiendo, intelligitur, ut faciat quod in ſe eſt, motus ſpecialiter à Deo, obſequendo ſcilicet motioni Divinæ, ut in reſponſione ad ſecundum Auctor hìc dicit, dicta ſua in ſecundo Sentent. ad meliorem ſenſum reducens, declarando, & addendo*. Videatur etiam ſapientiſſimus M. *Zumel* in diſputationib. ad 1. part. & 1. 2. tom. 3. quæſt. 1. conc. 5. Hoc ergo certum, quòd licèt D. *Thomas* in aliquibus prioribus operibus non ita expreſsè loquutus ſit, clariùs mentem ſuam ex profeſſo docet locis

ſuprà citatis: quinimmo & quæſt. 24. de veritat. rem iſtam dilucidè explicat art. 15. quæ cùm diſertiùs explicari nequeat, verba totius articuli reddo.

118. *Quintò decimò quæritur, utrum homo ſine gratia ſe poſſit præparare ad habendam gratiam, & videtur, quòd ſic, quia fruſtra inducitur homo ad hoc, quod facere non poteſt; ſed homo inducitur ad hoc, quòd ſe ad gratiam præparet, Zachar. 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Ergo homo ſine gratia ſe poteſt ad gratiam præparare.*

2. *Præt. Hoc videtur ex hoc, quod habetur Apo.4. Si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum. Ergo videtur, quòd ad hominem pertineat aperire cor ſuum Deo, quod eſt ſe ad gratiam præparare.*

3. *Præt. Secundùm Anſelmum, cauſa quarè aliquis non habet gratiam, non eſt quia Deus eam non det, ſed quia homo eam non accipit: hoc autem non eſſet, ſi homo ad gratiam habendam ſine gratia præparare ſe non poſſet. Ergo homo ſe poteſt per liberum arbitrium ad gratiam præparare.*

4. *Præt. Iſa. 1. dicitur: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: & ita in voluntate hominis eſt, ut ad Deum accedat, & gratiâ repleatur.*

Sed contra eſt quod dicitur Joann. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum.

2. *Præt. In Pſal. 42. dicitur: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt.*

3. *Præt. Orando, à Deo petimus, ut nos ad ſe convertat, ut patet in Pſal. 84. Converte nos Deus ſalutaris noſter: non autem eſſet neceſſe, ut homo hoc peteret, ſi per liberum arbitrium ſe præparare ad gratiam poſſet. Ergo videtur, quòd ſine gratia hoc non poſſit.*

Reſpond. dicendum, quòd quidam dicunt, quòd homo non poteſt ſe præparare ad gratiam habendam, niſi per aliquam gratiam gratis datam. Quod quidem non videtur eſſe verum, ſi per gratiam gratis datam, intelligant aliquod habituale gratiæ donum, duplici ratione. Primò quidem, quia propter hoc ponitur præparatio ad gratiam neceſſaria, ut oſtendatur aliqualis ratio ex parte noſtra, ex quo quibuſdam datur gratia gratum faciens, quibuſdam non. Si autem nec ipſa præparatio gratiæ ſine aliqua gratia habituali eſſe poteſt, aut iſta gratia datur omnibus, aut non: ſi omnibus datur, non videtur aliud eſſe, quàm aliquod naturale donum: nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire, niſi in aliquo naturali. Ipſa autem naturalia gratiæ dici poſſunt, in quantùm nullis præcedentibus meritis homini à Deo dantur. Si autem non omnibus datur, oportebit iterum ad præparationem redire; & eâdem ratione aliquam aliam gratiam ponere, & ſic in infinitum, & ita melius eſt, ut ſtetur in primo. Secundò; quia præparare ad gratiam alio modo dicitur facere quod in ſe eſt, ſicut eſt conſuetum dici, quòd ſi homo facit quod in ſe eſt, Deus dat ei gratiam: hoc autem dicitur in aliquo eſſe, quod eſt in poteſtate ejus. Unde ſi homo per liberum arbi-

arbitrium non poteſt ſe ad gratiam præparare, facere quod in ſe eſt, non erit præparare ſe ad gratiam. Si autem per gratiam gratis datam intelligant divinam providentiam, quâ miſericorditer homo ad bonum dirigitur, ſic verum eſt, quòd ſine gratia homo non poteſt ſe præparare ad habendum gratiam gratum facientem. Quod quidem patet duplici ratione. Primò, quia impoſſibile eſt, hominem incipere aliquid de novo, niſi ſit aliquid, quod ipſum moveat; ſicut patet per Philoſophum in 8. *Phyſic. quòd motus animalium poſt quietem neceſſe eſt præcedere alios motus, quibus anima excitatur ad agendum. Et ſic cùm homo ſe ad gratiam incipit præparare, de novo voluntatem ſuam convertendo ad Deum, oportet, quòd ad hoc inducatur aliquibus exterioribus actionibus, utpotè exteriori admonitione, vel corporali ægritudine, aut aliquo hujuſmodi; vel aliquo interiori inſtinctu, ſecundùm quòd Deus in mentibus hominum operatur, vel etiam utroque modo: hæc autem omnia ex Divina miſericordia homini providentur. Et ſic ex Divina miſericordia contingit, quòd homo ſe ad gratiam præparet. Secundò; quia non qualiſcumque motus voluntatis eſt ſufficiens præparatio ad gratiam, ſicut nec qualiſcumque dolor ſufficit ad remiſſionem peccati: ſed oportet, eſſe aliquem determinatum modum. Qui quidem modus homini notus eſſe non poteſt; cùm ipſum donum gratiæ cognitionem hominis excedat: non enim poteſt ſciri modus præparationis ad formam, niſi forma ipſa cognoſcatur. Quandocumque autem ad aliquid faciendum requiritur aliquis certus modus operationis ignotus operanti, operans indiget gubernante, & dirigente. Unde patet, quòd liberum arbitrium non poteſt ſe ad gratiam præparare, niſi ad hoc divinitus dirigatur. Et propter has duas rationes duplici modo loquendi in Scripturis Deus exoratur, ut hanc præparationem gratiæ in nobis operetur. Uno modo petendo, quòd nos convertat, quaſi ab eo, in quo erramus, ad ſe convertat; & hoc propter primam rationem, ut cùm dicitur: Converte nos Deus ſalutaris noſter. Secundò petendo, quòd nos dirigat, ut cùm dicitur; dirige me in veritate tua, & hoc propter ſecundam rationem.*

Ad primum ergo dicendum, quòd videtur nobis, quòd convertamus nos ad Deum, quia hoc facere poſſumus, ſed non ſine divino auxilio: unde ab eo petimus Threnor. quarto: Converte nos Domine ad te, & convertemur.

Ad ſecundum dicendum, quòd nos aperire cor noſtrum Deo poſſumus, ſed non ſine divino auxilio: unde ab eo petitur ſecundo Machabæorum primo: Adaperiat Dominus cor veſtrum &c. Et ſic dicendum eſt ad alia, nam nec præparare, nec velle homo poteſt, niſi hoc Deus in eo operetur, ut dictum eſt. En tibi ab Angelico Magiſtro poſitum, neceſſarium eſſe auxilium Dei moventis ad præparationem gratiæ ſanctificantis, eò quòd liberum arbitrium minimè ad id ſufficiat.

119. Ad confirmationem dicimus, quòd parùm aptè opponuntur nobis verba D. *Thomæ* tam ex 2. quàm ex 4. Sententiarum. Quæ enim in hoc poſteriori loco dixit D. *Thomas*, eadem ſtatuerat in primô de-

ſumpto ex 2. Sententiarum. Verba illius ſunt: *Ad 4. dicendum, quòd etiam ad fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt per id, quod in naturali ratione eſt; undè dicitur, quòd ſi aliquis in barbaris natus nationibus, quod in ſe eſt faciat, Deus ſibi revelabit illud, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando, vel doctorem mittendo. Undè non oportet, quòd habitus fidei præcedat præparationem ad gratiam gratum facientem: ſed ſimul homo ſe præparare poteſt ad fidem habendam, & ad alias virtutes, & gratiam habendam.* Ex quibus nihil in oppoſitum deduci poteſt. Dum enim dixit, quòd ad fidem habendam aliquis ſe preparare poteſt per id, quod in naturali ratione eſt, hoc intelligendum eſt ex Divino auxilio, non tamen ſolis naturæ viribus. Conſtat primò ex ſolutione ad 2. ubi hoc expreſsè pronuntiat: *Ad 2. dicendum, quòd homo non poteſt ſe ad gratiam præparare, nec aliquod bonum opus facere ſine Dei auxilio: & ideò rogandus eſt, ut nos ad ſe convertat.* Cùm ergo hoc tàm clarè proponat in ſolutione ad 2., non erat, cur idem expreſsè ſtatueret in ſolutione ad 4.

120. Secundò: quia dum aſſerit, eſſe diſpoſitionem ad gratiam, abſque dubio intellexit, illam diſpoſitionem ex priori auxilio gratiæ fieri. Quid namque apud Theologos magis certum, quàm quòd diſpoſitio eſt ejuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit? Sed forma, ad quam diſponit, eſt gratia juſtificans, & habitualis: ergo & diſpoſitio debet provenire à gratia, quæ ſit ejuſdem ordinis cum illa.

121. Tertiò: quia loquitur D. *Thomas* de homine faciente quod eſt in ſe, vel, ut ſe explicat q. 14. de verit. art. 11. ad 1. de homine nutrito in ſylvis, qui ſequitur ductum rationis in proſecutione boni, & fuga mali; & non qui ſolùm in aliquo ſequitur ductum rationis, ſed qui in omnibus implet legem naturalem: ſed ad totius legis naturalis obſervantiam requiritur Dei auxilium: ergo loquitur de homine faciente quod eſt in ſe, ex viribus gratiæ. Et hic obſervandum, quòd opera naturalia *S. Thomas* vocat diſpoſitiones remotas ad gratiam, non propriè, quia propriæ diſpoſitiones remotæ, juxta eumdem S. Doctorem, debent eſſe, ut modò diximus, ejuſdem ordinis cum forma, & ab eodem agente, quod tamen operibus naturalibus reſpectu gratiæ repugnat. Quare, ut dicit M. *Lemos* tom. 4. p. 1. tract. 5. cap. 24. num. 377. *Nomine diſpoſitionis remotæ intelligit minorem indignitatem, & repugnantiam. Undè etiam in Summa limatiùs loquitur, nec illa opera vocat diſpoſitiones ad gratiam.* Hæc eſt doctrina S. Doctoris, quo docente non audiri deſidero, contentus eum audire, qui Eccleſiam mirâ eruditione clarificat; & in cujus laudem dixit *Vincentius Baronius* lib. 1. *Apologetico* ſect. 1. art. 2. §. 1. ſequentia: *Doctoris communis nomen aſſequutus eſt, quia viam tritam Patrum calcavit ſemper, & fugit diverticula. Singulariſſimus quidem eſt Doctor, & multa recondita, & ſuperioribus ſæculis, ac Doctoribus occulta invenit. Sed hoc Doctoris communis titulo nulla ratione adverſatur. Duo enim in quolibet Doctore diſtinguenda ſunt, nempè ſententia, & argumenta quibus propugnatur. Communiſſimus eſt Thomas ſententiis, quia via regia incedit, duce*

duce verbo Dei veſtigia Patrum ſequutus. Singulariſſimus eſt inventione argumentorum, in quibus nihil eſt periculi, ſi deficeret; plurimum eſt laudis, ſi efficacia ſint. Antequam bos ille mutus loqueretur, adivit, & conſuluit oracula Scripturæ, quibus exceptis, mugire cœpit, habenas ingenio ſuo laxavit ſine lapsûs, aut erroris periculo, qui ſecutus erat viæ, quâ incedebat, tritæ Patrum, à qua ne latum quidem unguem permiſit ſibi recedere.

DUBIUM II.

Utrum Infidelibus negativis detur Gratia remotè, vel proximè ſufficiens quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, quæ ſit propriè, & ſtrictè Gratia Chriſti?

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis, ſtatuitur Concluſio.

1. AD expeditam dubii reſolutionem præmittendum eſt, poſt lapſum naturæ indigere ipſam ægram, vulneratamque naturam ſupernaturali medicinâ, ut jam præcedenti Dubio ſtatuimus; non quia illa gratia aliquam ſufficientiam ſemper tribuat ad ſupernaturalia; ſed quia etiam ad rectitudinem naturalem non poteſt exurgere natura, niſi ſupernaturali virtute. Hæc namque infirmitas naturæ, & rebellio appetitûs, etiam eſt circa bonum naturale, & rationis. Ex quo meritò reprehenſus fuit *Pelagius* à Patribus Concilii Carthaginenſis, quòd negaret neceſſariam gratiam, tam ad ſupernaturalia, quàm ad omnia præcepta naturalia implenda. Propterea medicina hæc tribuens ſufficientes vires ad operandum in iis omnibus actionibus, quæ infirmæ naturæ poteſtatem excedunt, agnoſci debet in hominibus, ſive illi fideles ſint, ſive poſitivè, aut etiam negativè infideles. Nam, ut ſuperiùs diximus, ad infidelitatem negativam non pertinet ſupernaturali adjutorio carere; ſed carere invincibiliter fide Divinâ, aut inculpabiliter fidei notitiâ. Hinc quantùm ad ſufficientiam gratiæ, illa gratia admittenda eſt in omni ſtatu, ex Dei miſericordia, quæ ſufficit ad faciendum id, quod ratione, ſive revelatâ, ſive naturali, debere fieri agnoſcitur. Itaque infidelibus negativè talibus fatemur, regulariter loquendo, tribui à Deo vires illas, quæ ad rectè ſecundùm naturam operandum ſufficiunt. Dixi *regulariter*; quia ſi Deus non tribuat, nemini injuriam facit; alioquin non eſſet gratia, quæ jure deberetur; atque etiam, quia etſi multis tribuat, poteſt tamen rectiſſimo ſuo judicio aliis non tribuere. Quare *Paulus* clamare non ceſſat ad *Rom.* 11. *Quis enim agnovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt*

ſunt omnia ; ipſi gloria in ſæcula . Et 1. ad Corinth. 4. humanæ comprimens præſumptionis audaciam dicit: *Quis enim te diſcernit ? Quid autem habes , quod non accepiſti ? Si autem accepiſti , quid gloriaris , quaſi non acceperis ? Cùm nos oporteat humiliter* , ait Auguſt. *ſalubriterque cognoſcere, pariter & fateri , gratiâ Dei nos eſſe quod & ſumus, ſi tamen aliquid ſumus .*

2. Deinde eſt animadvertendum, quòd ſufficientia illa ad opera honeſta infidelibus negativis , non eſt ſufficientia ad operandam ſalutem , ſive opera ſalutaria facienda ; nec ullo modo dici poteſt diſpoſitio ad fidem ; non enim habet fides aliquam naturalem diſpoſitionem . Quæ veritas credenda eſt, non probanda . Quare cùm S. *Auguſtinus* lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 7. ſibi opponeret communem modum loquendi , quo dici ſolet de aliquo viro probo , ac pio ad fidem converſo: *Ideo credere meruit , quia vir bonus erat antequàm crederet . Quod de Cornelio dici poteſt , cujus acceptæ ſunt eleemoſynæ , & exauditæ orationes , antequàm credidiſſet in Chriſtum .* Huic argumento reſpondet S. Doctor : *Nec tamen ſine aliqua fide orabat , & donabat - Nam quomodò invocabat , in quem non crediderat ?* Quibus ſatis oſtendit, homines per opera moraliter bona intra naturæ ordinem non ſe diſponere ad impetrandam fidem : ſi namque illa eſſent ſufficiens diſpoſitio ad impetrandam fidem , non eſſet , cur *Auguſtinus* in caſu illo raro *Cornelii* quæreret fidem ante opera moraliter bona . Conſonat S. *Thomas* 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. & 3. p. q. 69. art:4. ad 2. dicens : *Cornelius , & alii ſimiles , conſequuntur gratiam , & virtutes per Fidem Chriſti , & deſiderium Baptiſmi implicitè, vel explicitè : poſtmodùm tamen in Baptiſmo majorem copiam gratiæ , & virtutum conſequuntur .*

3. Conſtat ergo ; quòd fides non habet in hominibus aliquam naturalem diſpoſitionem; propterea, quamvis illi rectè quandoquè operentur , non tamen merentur ad fidem vocari ; quia ipſi faciunt tantùm , quod ſecundùm rationalem naturam debent : & hoc integrè ſuppoſito , & completo , adhuc vocatio erit omninò gratia , & beneficium indebitum . Quamobrem licèt meritis *Chriſti* obtineatur inſcientibus gratia illa ſufficiens ad opera naturalia honeſta ; tamen non dicitur propriè gratia *Chriſti ;* hoc enim nomine venit intelligenda gratia ordinans ad æternam hominis ſalutem , & elevans ad opera ſupernaturalia . *Undè Chriſti gratia , juxta phraſim S. Auguſtini* , ut inquit Emin. Card. *Aguirre* tom.3. Theolog. S. *Anſelmi* diſp.128. ſect.1. num.60. *Propriè, & preſsè dicta , ſolùm eſt illa , quæ ejuſdem Chriſti cognitionem , & fidem involvit; quàm certè non affert gratia illa communiter Gentilibus data ante prædicationem .* Iſta enim ſolùm ſe habet per modum medicinæ ex indigentia naturæ ad rectè operandum intra naturales vires ; ſolùmque habet connexionem cum ſolis operibus lumine naturæ honeſtis : hinc fit, ut nullo modo dici poſſit ſufficiens ad ſupernaturalia opera; quia omnis ſufficientia tam proxima, quàm remota eſt ſupra omnem naturæ ſphæram , & ordinem .

4. Etiam adhuc diligentiùs obſervandum venit , ut terminorum , qui-

quibus uti debemus, perſpicua ratio habeatur, primò: quid ſit diſcriminis inter capacitatem, & potentiam. Eſt enim capacitas ſemper in voluntate, ut à Deo elevetur, & ordinetur ad finem ſupernaturalem, antequàm homo cognoſcat ejuſmodi finem. Hæc autem aptitudo nequaquàm eſt potentia ad illum, quia potentia ſive proxima, ſive remota, importat neceſsariò finis cognitionem. Tunc enim quis potens eſt, quando taliter eſt conſtitutus, ut nihil addendum ſuperſit ad veram conſtitutionem ſubjecti proportionati reſpectu finis, vel operis; licèt indigeat adjutoriis. Manifeſtum eſt autem, quòd deficiente cognitione finis, deficit principium neceſſarium veræ proportionis in finem. Suppoſitâ ergo conſtitutione principii rationaliter operaturi per finis cognitionem, erit potentia proxima, ſi viribus undequaque ſufficientibus, & æquè convenientibus inſtruatur; remota verò, ſi adhuc ulterioribus viribus indigeat, ut expeditè poſſit. Undè licèt homo in ſtatu infidelitatis negativæ, ea, quæ legis naturæ ſunt, faciat (ſi tamen omnia) à Deo adjutus; tamen non ideò habebit aliquid ad finem ſupernaturalem, præter quamdam proximam capacitatem, quæ, per ſe loquendo, potentia neque remota quidem eſt, ad ſupernaturaliter operandum.

5. Secundò: quò mens mea circa extenſionem gratiæ ad omnes homines clariùs pateat, & ſiniſtrâ omnis interpretatio præcaveatur, ac præoccupetur, in memoriam revocamus tritum eſſe apud Theologos, gratiam non deſtruere, ſed perficere, immò imitari naturam: quin Deus in diffuſione Fidei Evangelicæ eundem ordinem ſervaſſe deprehenditur, quem in diffuſione lucis Solaris, in prima rerum omnium creatione ſervavit. Ut enim Sol primos lucis ſuæ radios ſpargit, deinde ad Meridiem pergit, ac tandem per Occaſum ad Antipodas noſtros deſcendit: ita Fides Evangelica, ab ipſo ſole juſtitiæ *Chriſto* in Judæa prædicata, primò ſuos radios in Oriente ſparſit; indè in Africam ad Meridiem vehementiſſimos calores diffudit; ac tum per Occidentem ad Antipodas noſtros pervenit: ſic *Chriſtus*, qui eſt vera lux mundi; lux increata, æterna, eſſentialis, & omnis lucis origo, omnes homines illuminat; *non ſecùs ac Luna, atque Planetæ Solis luce irradiati refulgent*, ut ex *Origine*, *Ammonio*, & *Cyrillo* inquit eruditiſſimus *Calmet* cap. 1. ſup. *Joan.* Sicut autem Sole exiſtente in noſtro Hemiſpherio Antipodes noſtri non omninò luce privantur; vident enim Stellas fixas, ac errantes, quæ lumen ipſis communicant; non tamen dicuntur gaudere luce Solis, etſi lumen, quod habent, ſaltem ab errantibus Stellis, non ſit niſi lumen Solis reflexum: ita homines illi, quibus Fides nondum eſt promulgata, non omninò deſtituuntur gratiâ ſupernaturali, quæ etiam ſit gratia *Chriſti*, hoc ſenſu, quòd per merita *Chriſti* ipſis detur; cùm nulla detur gratia niſi per *Chriſtum*: at non dicitur gratia *Chriſti*, hoc alio ſenſu, quòd per eam conſtituantur potentes proximè, ſivè remotè ad opera ſupernaturalia; quâ ſalvamur ab infirmitate; quâ ad non peccandum, juſtèque vivendum adjuvamur; & quæ datur, ut concupiſcentias, tentationeſque vincere poſſimus: ut enim S. *Auguſtinus* *Julianum* arguit

guit lib. 6. operis imperf. cap. 11. *Puto quòd non adeò deſipis, ut in his dicas eſſe ſtatûs priſtini libertatem*. Non ergo datur in Infidelibus gratia, quæ propriè & ſtrictè poſſit dici gratia *Chriſti*, quâ poſſint venire ad *Chriſtum*, id eſt proximè, aut remotè ſufficiens; licèt dici poſſit ſufficiens remotiſſimè; ſi namque Infidelis hâc benè utatur, non denegabit Deus gratiam, quæ propriè eſt gratia *Chriſti*, & quâ mediante, poſſit venire ad *Chriſtum*: ſicut ipſe Caducifer, ut infrà videbimus, fatetur dari *inter gratias ſufficientes, proximas, & proximiores, remotas, & remotiores, juſta diſtantia & quidem judicio Dei calculanda*. Dicamus plus. Sole noſtrum Horizontem illuſtrante, inveniuntur tamen nonnulli, qui aut ob naturæ defectum, aut ob hominum aliorum malitiam, aut ex juſto judicio, aut propriâ eorum electione lucem Solis non vident, nec proximè aut remotè videre poſſunt, licèt remotiſſimè eam videre poſſint: ita etiam in illis regionibus, ubi Fides eſt promulgata, inveniri aliqui poſſunt, qui aut naturæ vitio, ut pueri in uteris maternis morientes, filii Judæorum perpetuò amentes; aut hominum aliorum malitiâ, puta Hæreſiarcharum, aut Parentum Judæorum, aut Hæreticorum nequitiâ contra Fidem inſtigati; aut juſto Dei judicio, ut ii, qui rebelles Divino lumini, propriâ electione, & obſtinatione, lumen Fidei nec vident; nec proximè aut de propinquo videre poſſunt; quibus tamen omnem omninò gratiam non denego: ut enim inquit *Zacharias* apud *Lucam* cap. 1. v. 79. Salvator in mundum venit *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*. Quem Textum exponit ſuprà laudatus *Calmet*, dicens: *Sanctus Evangeliſta tenebrarum nomine omnes homines hìc, citra omnem exceptionem, complectitur*. Sed prætendo gratias illas, quas ſuô tempore, & locô Deus illis communicat, non proximè, aut remotè, ſed remotiſſimè ſolùm ad *Chriſtum* ducere: & quàmvis ob merita *Chriſti* ipſis dentur, non tamen vocari gratias *Chriſti*, propriè, aut ſtrictè. Hæc enim teſte *D. Auguſtino* lib. 4. contra Epiſt. *Pelag.* cap. 5. num. 11. eſt, *Inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus, quæ propriè gratia Dei eſt*.

6. Prænotandum tandem quid diverſum eſſe Deum præparare, & offerre omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, & ea omnibus de facto conferre. Sicut enim *Joannes* cap. 3. v. 16. explicans magnam amoris Dei vehementiam, ejuſque ineffabilem pietatem, inquit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*; ubi *dare* contraponitur ad *recipere*, dixit enim cap. 1. *In propria venit, & ſui eum non receperunt*, nempè Redemptorem à Deo Patre miſſum, ut ad Fidem illuminarentur, quem rejecerunt ingrati: ſic & Deum dare auxilia omnibus ſufficientia poteſt accipi, prout *dare* correſpondet ad *recipere*; aut per hoc ſolùm, quòd Deus omnibus auxilia ſua præparet, & offerat, quin ea recipiantur ab omnibus: in quo ſenſu non procedit quæſtio. Etenim Deum bonitatis & miſericordiæ ſuæ indeficientes divitias in omnes effundere, gratiaſque ad ſalutem ſufficientes offerre, nedùm ut certum ſupponimus, ſed ut certiſſimum de Fide aſſerimus: ſed ſolùm

agi-

agitur de auxiliis remotè aut proximè ſufficientibus, quæ ſint propriè & ſtrictè gratia Chriſti.

7. His poſitis, quærimus, an Infidelibus negativis regulariter loquendo, & ſecundùm ordinariam providentiam tribuat Deus, præter ſuperiùs memoratam ſufficientiam ad ea, quæ ſunt ordinis naturæ, aliam ſufficientiam poteſtatis ad opera ſalutis, ſeu gratiam Chriſti propriè talem? Qua in re duplex opinandi modus temporibus noſtris invaluit. Nam qui ſecundùm *Janſenii* ſyſtema diſcurrunt, non agnoſcentes adjutoria gratiæ ad opera ſupernaturalia, neque proximè, neque remotè in ejuſmodi infidelibus, & aliunde nullam virium ſufficientiam in hominibus, præter ejuſdem adjutoria poſt lapſum naturæ agnoſcentes, opinati ſunt manere in illis naturam invalidam, & inermem. Alii gratiam ad naturaliter honeſtum, cum gratia ad opera ſalutaria, ſicut Janſeniſtæ, confundunt; & ſicut iſti negant Infidelibus gratiam ſufficientem ſupernaturalem ad naturaliter honeſtum, quia deficit eis gratia ad opera ſalutaria; ut contra ipſos Dubio præcedenti vidimus; è contra illi volunt, omnibus dari auxilia ad fidem ſufficientia, ex quo omnibus datur auxilium ſufficiens ſupernaturale ad bonum naturaliter honeſtum; quod idem habeat ſimul ordinare ad ſupernaturalia hominum voluntates. Quem modum dicendi moderni Doctores propugnant. Pater *Van Grinſven* in theſibus propugnatis Lovanii die 28. Novembris 1714. poſit. 4. *de Gratia*: *Omnibus item, & ſingulis Infidelibus, ut Judæis, Paganis, Hæreticis, tota non denegatur gratia ſufficiens, ſaltem opportuno tempore ad Fidem, & conſequenter ad ſalutem obtinendam*. P. *Platel* 1. p. cap. 4. §. 3. num. 188. *Deus adultis omnibus, injuſtis, etiam Infidelibus, ac Barbaris, quandiu in via ſunt, & ſtatu moraliter operandi, providet ſuo tempore media, proximè, vel remotè ſufficientia ad converſionem, & juſtificationem. Eſt nunc communiſſima, & multis certa, non tamen de Fide*.

8. At illam eſſe de Fide propugnat P. *Paulus Lugdunenſis* Ordinis PP. *Capucinorum* in Epiſt. 1. ad Illuſt. *Graſſenſem* Epiſcopum art. 6. his verbis: *Duæ ſpecies Hæreticorum, inquit Bellarminus, ſibi invicem valde licèt oppoſitæ, conveniunt in oppugnanda gratia ſufficiente omnibus hominibus data, ad operandam ſalutem. Primi Pelagiani, & Semipelagiani, qui non agnoſcebant gratiæ interioris abſolutam neceſſitatem ad reprobandum malum, & eligendum bonum; vel qui affirmabant, eam omnibus hominibus præparatam, dummodò propriis viribus eam petere velint. Alii ſunt Lutherani, Calviniſtæ, & Janſeniſtæ, qui nullam differentiam ponentes inter gratiam ſufficientem, & efficacem, docent, quòd Deus non det gratiam verè ſufficientem ad ſalutem æternam, niſi illis, qui de facto ſalvantur, id eſt, ſolis prædeſtinatis, non reprobis. Contra hos duos oppoſitos errores tenemur credere cum tota Eccleſia Catholica, quòd non detur homo in mundo, cui Deus non det ſuo & loco, & tempore, mediatè, vel immediatè, proximè, vel remotè, gratias ſufficientes ad ſe convertendum in Deum, ad evitandum peccatum, & acquirendam gloriam æternam. Hæc eſt veritas Catholica*

tam certa, & extra omnem diſputationem poſita, ut negari nequeat; quin incidatur in errorem craſſiſſimum in materia Fidei, & ſi quidem liceat privatam ſententiam pandere, addere poſſum, abſque eo quòd verè lædatur fides. Verum quidèm eſt, hanc veritatem non eſſe de numero earum veritatum Fidei, quas Theologi immediatè revelatas vocant; cùm non videatur clarè revelata in Scriptura, nec expreſsè definita in aliquo Concilio Generali ab Eccleſia recepto: attamen dicere audeo, quòd ſit de numero earum, quæ mediatè revelata dicuntur, quatenus intimè colligata eſt, imò eſſentialiter incluſa aliis, quæ non poſſunt ſubſiſtere ſine illa. Hæc ille.

9. At, ſalvâ debitâ huic erudito viro reverentiâ, ex quo Traditionis fonte hanc Catholicæ Fidei doctrinam hauſerit, ipſe nos doceat: aut qualiter ipſa eſt cum principiis revelatis ita certò connexa, ut eam humiliter confiteri teneantur Catholici omnes. Hoc namque ſcimus, quòd non Spiritus Sanctus ipſi, aut alteri datus eſt, ut proponat, & definiat credenda in Scripturis, & Traditione contenta; ſed unicè ad Eccleſiam ſpectat, ut in his diſputationibus judicet inter nos, veritatem oſtendat, dirigat, & ordinet articulos Fidei; cùm ſit infallibilis columna veritatis. Licèt ergo viri, aliàs litterati, conſequentias perutiles ex revelatis deducere poſſint, non tamen eò uſque pervenit eorum auctoritas, ut obligent Fideles, abſque Eccleſiæ determinatione, ad aliquid tanquàm de Fide credendum. Sed de his Dubio ſequenti. Nos autem mediâ viâ incedentes, utrumque extremum rejicimus; quare omnem confuſionis, & fortè æquivocationis cauſam depellentes, ſtatuto jam Dubio præcedenti, gratiam ſupernaturalem omnibus dari, quâ poſſint bonum honeſtum ordinis ſaltem naturæ operari, modò aſſerimus, non dari regulariter loquendo in Infidelibus negativis, quibus non eluxit prædicatio Evangelii, gratia, quæ ſit propriè gratia *Chriſti*, & quâ ſint ſufficientes ad ſalutariter operandum, vel ad accedendum ad fidem; niſi ulteriùs ex ſpecialiori beneficentia Dei vocentur. Quâ vocatione ſuppoſitâ, excedent ſtatum infidelitatis negativæ.

10. Concluſionem iſtam communiter defendunt Thomiſtæ, & inter omnes audiendus Emin. *Aguirre* laudatâ ſuprà diſputatione 128. dicens num. 58. *Ejuſmodi verò fides explicita in Chriſtum, ac proinde invocatio ipſius, nequit ſecundùm ordinariam Dei providentiam haberi, niſi audiendo illam ab aliquo homine, qui mittitur ad prædicandum illam; vel ſecundùm providentiam extraordinariam ab aliquo Angelo, & circa ejuſmodi fidem fatemur, non eſſe auxilia proximè ſufficientia his Gentilibus, ſive Infidelibus, quibus nondum prædicatum fuit Evangelium.*

11. Et cùm num. 59. ſequens ſibi objiceret argumentum: *Aſſenſus ille, quo Gentiles poſſunt credere exiſtentiam unius Dei remuneratoris, aut eſt naturalis, aut ſupernaturalis. Si naturalis, nequit ullo modo inchoare ſalutem, ut fide ſancitum eſt contra Semipelagianos, ut ſupra vidimus diſput.* 114. *Si autem eſt ſupernaturalis, inquiritur præterea, an ſit, aut non ſit vera, & Theologica fides? Si non eſt vera Theo-*

Theologica fides, nequit eſſe initium ſalutis, juxta Tridentinum ſeſſ. 6. *cap.* 8. *ubi definitur, Fidem eſſe humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radicem omnis juſtificationis. Si autem eſt vera & Theologica Fides; erit utique Fides Chriſtiana, ac proinde hæc habebitur nemine prædicante, contra quàm Apoſtolus docet eo loco*: ſic argumento reſpondet; *aſſenſum illum revera eſſe ſupernaturalem, ſicuti & auxilium gratiæ excitantis, ac prævenientis, ex quo oritur, ac proinde eſſe initium aliquod ſalutis. Deinde idem aſſenſus eſt veræ, & Theologicæ Fidei, ſed inchoatæ ſolùm, & imperfectæ; neque porrigentis ſe ad myſteria Fidei Chriſtianæ, quâ explicitè creditur Incarnatio, & myſterium Trinitatis, aliaque ejuſmodi, quæ nequeunt diſtinctè credi, niſi audiantur, nec audiri, niſi prædicante aliquo, ut loquitur Apoſtolus. Itaque per auxilia illa divinæ gratiæ, initio fiunt inchoationes quædam Fidei conceptionibus ſimiles, ut loquamur verbis Auguſtini lib.* 1. *ad Simplicianum q.* 2. *initio. Illa verò Fides inchoata, & imperfecta, eſt ſufficiens initium, ut dirigente, & adjuvante Deo ſpecialibus auxiliis, homo per pios, & ſalutares affectus, operationeſque impetret ab ipſo prædicatorem aliquem, ſive Angelum, à quo plenè inſtruatur, & ſubinde accipiat plenam Chriſti Fidem.* Hæc Emin. iſte; cui & nos libenter ſubſcribimus.

12. Primum concluſionis argumentum deſumitur ex Traditione Patrum. Probatur primò ex Epiſtola *Epiſcoporum Africæ* in Sardinia exulum cap. 9. dicentium: *De gratia non dignè ſentit quiſquis eam putat* OMNIBUS HOMINIBUS DARI; *cùm non ſolùm non omnium ſit fides, ſed adhuc nonnullæ Gentes inveniantur, ad quas fidei prædicatio non pervenit .... Non itaque* GRATIA OMNIBUS DATUR, *quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui fideles eſſe non poſſunt, nec poſſunt credere, ad quos invenitur ipſe fidei auditus minimè perveniſſe.* En qualiter Infidelibus negativis, ſive illis, ad quos fidei auditus non pervenit, negant poteſtatem, ut fideles ſint, & poſſint credere; ſed gratia, quâ homo poſſet credere, & eſſe fidelis, eſt gratia *Chriſti*, quæ involvit cognitionem ejuſdem: ergo Infidelibus negativis non datur gratia *Chriſti* proximè ſufficiens ad fidem: *quando quidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt ... ad quos invenitur ipſe Fidei auditus minimè perveniſſe.*

13. Favet D. *Auguſtinus* Epiſt. 217. num. 6. dicens: *Pervenimus ad ea quæ ad* FIDEM VERAM ET CATHOLICAM *pertinere certiſſimè ſcimus. Quoniam ergo propitio Chriſto* CHRISTIANI CATHOLICI *ſumus .... Scimus, gratiam* NON OMNIBUS HOMINIBUS DARI, *& quibus datur, non ſolùm ſecundùm merita operum non dari, ſed nec ſecundùm merita voluntatis eorum, quibus datur, quod maximè apparet in parvulis.* Quod repetit *S. Doctor* oper. imperfect. contra *Julianum* lib. 1. cap. 83. *Gratia Dei Chriſtianis eſt propria, non Chriſtianis, Gentilibuſque communis.* Et ſerm. 26. num. 4. *Communis eſt omnibus natura, non gratia: Natura non putetur gratia, ſed etſi putetur gratia, ideò putetur gratia, quia & ipſa gratis conceſſa eſt.* Et ſerm. 154. *Pa-*

gani non habent gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et lib. de *Præd.* SS. cap. 8. *Cur ergo non omnes docet, ut veniant ad Chriſtum, niſi quia omnes quos docet, miſericordiâ docet; quos autem non docet, judicio non docet*: quod & firmat *S. Doctor* aliis adductis teſtimonis præcedenti dub. 1. §. 3. num. 53. Sed in his omnibus loquitur *S. Doctor* de gratia proximè ſufficiente ad fidem. Ut enim ipſe inquit lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 15. *Gratia per fidem Jeſu Chriſti eorum tantummodò eſt, quorum eſt ipſa fides*; ſed gratia, quæ eſt per Fidem *Jeſu Chriſti*, eſt gratia *Chriſti*, quæ involvit ejuſdem Redemptoris cognitionem: ergo hujuſce gratiæ non ſunt participes Infideles negativi. Hæc *Auguſtini* verba immediata confirmant. *Audite ergo, & intelligite: fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Chriſtianorum Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, quod eſt à nobis, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; ſed charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum præſupponit cognitionem Dei auctoris ſupernaturalis: ergo gratia, quæ non eſt Chriſtianis, Gentilibuſque communis, eſt gratia fidei.

14. In eamdem ſententiam dictum eſt eleganter à S. *Proſpero* Carmine de ingratis cap. 14.

Dic unde probes, quòd gratia Chriſti
Nullum omninò hominem de cunctis, qui generantur
Prætereat, cui non regnum, vitamque beatam
Impertiri velit.

Non hìc loquitur S. *Proſper* de gratia utcumque ſupernaturali, ſed de gratia propriè *Chriſti*, quam non eſſe omnibus communem affirmat. Redarguit enim *Semipelagianos* aſſerentes gratiam *Chriſti* ſtrictè talem eſſe omnibus communem. Conſtat de *Fauſto* id apud S. *Auguſtinum* lib. 1. de grat. & liber. arbit. cap. 4. aſſerente, quod gratiam *omnibus offert, & ingerit ad ſalutem*. Et ibi cap. 17. impietatis verè reum pronuntiat, qui contrarium audeat aſſerere: *Ille verè impius eſt, qui gratiam non omnibus ingeri, non omnibus teſtatur impendi*. Et lib. 2. cap. 3. *Veniendum eſt ad eos, qui dum gratiam aliis dari, aliis negari aſſerunt, munus gratiæ cum Pelagio perdiderunt*. Quod & prius docuerat *Caſſianus*, ut conſtat ex eodem *S. Doctore* ibi cap. 17. *Præſto eſt quotidiè Chriſti gratia, quæ cunctos abſque ulla exceptione vocat.* Quam *Semipelagianorum* doctrinam invictè rejicit *D. Proſper*, dicens:

Nec enim vel tempore noſtro
Omnibus in terris jam certum inſinuatum eſt
Chriſti Evangelium: nec dicam, exordia doni
Non potuiſſe ſimul toto decurrere mundo.

Conſtat id ipſum ex cap. 1. lib. 1. de *Vocat. Gentium*: *Quæritur cur hoc donum, ſine quô nemo ſalvus eſſe poteſt, ab eô qui omnes ſalvari vult, non omnibus conferatur?* Et ex cap. 17. ubi diſtinctionem ponit inter gratiam *Chriſti*, & auxilium illud gratiæ communis Chriſtianis, & Gentilibus; *In extremis*, inquit ille, *mundi partibus ſunt aliquæ natio-*

tio-

tiones, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit.... quibus tamen illa menſura generalis auxilii, quæ deſuper omnibus hominibus eſt præſtita, non negatur. En ubi apertiſſimè utramque contradiſtinguit gratiam illam Fidei ab hoc generali auxilio deſuper omnibus conceſſo. Conſtat idem ex cap. 12. *Quod ſi aliquos*, inquit, *ſicut videmus accidere, ſalvantis gratia præterierit, & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit, ad occulta juſtitiæ divinæ judicia referendum, & agnoſcendum eſt, ſecreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non poſſe*. Idem docet cap. 21. 22. 23. & 55. Sed maximè cap. 31. *Dicendo, Qui eſt Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem: adjiciendo autem, Maximè Fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito Fidei divinitus inſpiratæ ad ſummam, atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur*. Et ad excerpta Genuen. cap. 1. *Sicut non poſſumus conqueri de eo, quod in præteritis ſæculis dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas, ita juſtam non haberemus querelam, ſi cum eis, quibus nobis fuit cauſa communis, ceſſante adhùc gratiâ periremus*.

15. Ecce quàm apertiſſimè loquitur de gratia fidei, quæ involvit cognitionem Salvatoris, & quam Eccleſia pro Infidelibus petit; quæ ſi omnibus non datur, ad judicia Dei incomprehenſibilia referendum dicit: ergo licèt omnibus hominibus detur auxilium illud ſufficiens, quô adjuvantur à Deo, ut honeſtè operentur ea, quæ naturalem cognitionem non excedunt, ut Parentes honorare, & alia id genus; non tamen in omnibus datur gratia *Chriſti*, quæ ejuſdem *Chriſti* cognitionem involvat, aut aliquam diſpoſitionem ad fidem ex ſe importet: alioquin opera honeſta intra naturæ terminos, ſeclusâ ſupernaturali Dei cognitione, haberent rationem meriti ad fidem, & ſalutem. Et proptereà quamvis Philoſophi, & alii Gentiles opera plura bona effecerint, vel efficere ſaltem potuerint, ut definitum eſt contra *Bajum*, illa fecerunt aut facere potuerunt, citra omnem ſupernaturalem Dei notitiam, aut ad fidem præparationem: neque enim Deus injuriam faceret, ſi adhuc ad fidem, & ſalutem, quæ haberi nequit ſine cognitione *Chriſti*, illos non ordinaret. Rectè quidem præſumitur ex Dei miſericordia, quòd ille, quem juvare ad rectè prorsùs naturalia agenda dignatur, ſi ita fecerit, nullis præcedentibus meritis, illuminabitur, etiam mittendo Angelum de Cœlo, ut inquit Sanctus *Thomas*. Sed hoc extra præſentis diſquiſitionis limites procedit.

16. Rem eamdem ſtatuit D. *Fulgentius* lib. 1. de verit. prædeſt. & grat. cap. 14. dicens: *Quidam non leviter errant exiſtimantes* (gratiam) *omnibus hominibus æqualiter dari*. Et cap. 15. *Dignum eſt, ut in ſingulis quibuſque ſententiis, in quibus nubilo cujuſquam obſcuritatis ambigimus, Sanctorum Patrum definitionibus hæreamus, quos præveniens miſericordia Dei gratis illuminavit, & ſequens inſtruxit ſpiritualiter, ut docerent. Hi enim Apoſtolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem certiſſimè cognoverunt, cognoſcendumque libris, & Epiſtolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter*

dari.

dari. Et cap. 17. *Non omnibus gratiam dari quiſquis piè quærit*, ELOQUIORUM SANCTORUM ADTESTATIONE *cognoſcet*. At quis non colligat ex toto contextu loqui *Fulgentium* de gratia fidei? Conſtat ex cap. 16. ubi explicans, qualiter Deus per gratiæ ſuæ illuminationem mutat hominis voluntatem, quæ mutatio eſt non humani arbitrii, ſed dexteræ Excelſi, ſic habet: *Scriptum eſt enim, quia præparatur voluntas à Domino Proverb.8. A' vero enim lumine, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum bona voluntas datur, ut homo in Deum credat, Deumque fideliter diligat, à quo ipſa voluntas jugiter gubernatur, & regitur, ut nec fides hominis deficiat, nec charitas refrigeſcat. Unde Salvator Petro dicit Luc.22. Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Fides autem ipſa eſt Sanctorum, quæ per charitatem operatur.*

17. Preſſiùs Capite eodem *Deum quoque*, inquit *S. Doctor*, *in nobis operari non ſolùm ut velimus, verùm etiam, ut quod benè volumus faciamus, Apoſtolus docet ad Philipp.2. dicens: Cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini. Deus eſt enim, qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate. Hujus bonæ voluntatis initium in fide conſiſtere, liber Canticorum oſtendit, ubi Chriſtus dicit Eccleſiæ: Venies, & pertranſies ab initio fidei. Quam tamen fidem non omnibus dari B.Paulus aſſerit Teſſ.2.3.dicens: Non enim omnium eſt fides: & rurſus: Non omnes obediunt Evangelio. Quibus autem datur, non æqualiter dari, eodem docente ad Rom.* 12. *cognoſcimus, qui ait; Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*: Et infrà: *Ut ergo Apoſtoli crederent, voluntas non defuit, ſed in eis ipſam voluntatem Dominus præparavit. Nam ut homo non credat, ex ſe habet infidelitatem: ut autem in Deum credat, à Deo accepit fidem, & ut in eo fides augmento ſubſequente perficiatur, non hoc virtus humanæ voluntatis, ſed divina gratia facit; quia Deus ſicut voluntatem ad credendum per gratiam præparavit, ſic ipſam voluntatem gratiâ operante conſummat: & ſicut fidem non habentibus ipſe donat, ſic in illis etiam, qui habent, ipſe multiplicat. Propter quod in Epiſtola, quæ ad Hebræos eſt ſcripta, ſic dicitur: Deponentes igitur omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus propoſitum nobis certamen, adſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum*. Ex quibus concludit *S. Doctor*: *His, atque hujuſmodi teſtimoniis oſtenditur, nec omnibus dari gratiam, nec quibus datur, æqualiter dari, ſed ſecundùm menſuram donationis Chriſti*. Evidens ergo eſt, quòd ſolùm loquitur de gratia, quâ Deus voluntatem præparat ad credendum, & quæ involvit cognitionem auctoris fidei, quem eſſe *Chriſtum* Eccleſia confitetur, & quam Deus miſericorditer donat, qui non pro meritis retribuit, ſed gratis dat, ut homo ad æternam vitam tendat.

18. Hæc eſt *Auguſtini*, *Proſperi*, & *Fulgentii* germana mens. Quare mirari ſatis non poſſum dictum P. *Vazquez*, qui ſe ab *Auguſtini*,

ni, *Proſperi*, ac *Fulgentii* doctrina ſegregem fatetur diſp. 97. in 1. p. D.*Thomæ* cap. 3. dicens: *Fateor ſanè ſuſpecta mihi eſſe teſtimonia Proſperi, & Fulgentii, quòd diligentiſſimè, & exactiſſimè Auguſtini diſcipuli ſint, & oppoſitam videntur ſequi ſententiam, ut ex teſtimoniis ſuperiori capite in prima claſſe relatis liquet. Locis ergo nunc à nobis allegatis, forſan gratiam exteriorum ſignorum, & beneficiorum, medicinas etiam exteriores peccati conceſſerant; in aliis verò auxilium interioris inſpirationis, de quo nunc eſt præſens controverſia, negarunt. Verùm enim verò, cùm de Dei miſericordia multa, magnaque jure præſumere debeamus, tamque egregia, & præclara Scriptura prædicet, atque ex ſola Dei voluntate pendeat tale auxilium alicui denegare, niſi nobis de hac voluntate manifeſtè conſtet, id nullo modo affirmare debemus. Ea verò voluntas non aliundè, quàm Scripturâ, aut revelatione, ſeu traditione poteſt innoteſcere. Cùm ergo nullo ex his modis Dei propoſitum nobis notum ſit, temerè affirmabimus, illud auxilium aliquibus denegari; atque ab Auguſtino, & aliis qui id docuerunt petere poſſumus, undenam hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti?*

19. Quo animo inſurgat Doctor iſte in *Proſperum*, & *Fulgentium*; cur ſuſpecta ſint illi *Proſperi*, & *Fulgentii* teſtimonia, eò quòd diligentiſſimè, & exactiſſimè *Auguſtini* ſint diſcipuli, alii judicent. Ego contra ipſum non audacter dicam, quòd ſicut non debemus eſſe tam imprudentes, ut quodlibet Patrum aſſertum fidenter teneamus, quaſi quod unius, vel alterius teſtimonium irrefragabilis ſit auctoritatis; non tamen ita nobis temerè fidentes ſimus, quòd illos apertè poſſimus reprehendere, cùm diſcere potuerit ex verbis ſuprà citatis D.*Fulgentii*, quanti æſtimanda ſit Patrum ſententia, & quàm magnam auctoritatem tribuat illi eorum ſanctitas, & eruditio. Commodiùs ergo fuiſſet illi horum Patrum mentem accuratiùs recognoſcere, quàm ſic liberè eos offendere, quorum videtur ignoraſſe mentem: qui non gratiam interiorem communem negant, ſed, ut diximus, gratiam *Chriſti* propriè talem, quâ præparantur homines, & proximè conſtituuntur ſufficientes ad Fidem. Non ergo petat ille ab *Auguſtino*, undenam hanc Dei voluntatis non dandi omnibus gratiam proximè ſufficientem acceperit? Facilis namque erit *Auguſtini* Diſcipulis reſponſio; at non ita facilis, ſi quæratur ab eo, an crediderit ille, feliciùs potuiſſe in hoc invenire rationem, quæ Sanctum Patrem latuit *Auguſtinum*.

20. Conſentiunt & alii SS. PP. id ipſum ſtatuentes *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* verſans textum *Iſaiæ* cap. 5. *Catech.* 13. edit. Pariſienſ. pag. 197. dicit: *Hæccinè Domino redditis? Hæc offers, vinea, Domino? Juſtè igitur vos olim deplorabat Iſaias, dicens:* VINEA FACTA EST DILECTO IN CORNU, IN LOCO PINGUI: *& ut nè omnia recitemus*, EXPECTAVI, *inquit*, *v.* 2., UT FACERET UVAM, SITIVI, UT DARET VINUM: IPSA AUTEM FECIT SPINAS. *Quid ergo deinceps ſtatuam?* NUBIBUS PRÆCIPIAM, NE PLUANT SUPER IPSAM IMBREM, *ut ibi dicitur v.*6. *Ablatæ ſunt enim ab eis nubes, videlicet Prophetæ; nè pluerent aquam*, animabus lucem infundentem; gratiam enim Spiritûs Sancti aquæ nomi-

mine intelligi debere docet ipſe *Cyrillus* Catech. 16. num. 12. *Quid autem cauſæ eſt, quòd Spiritûs gratiam aquæ vocabulo nuncupavit?* Exponens illud *Joan.* 4. v. 14. *Sed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam.* Cui reſpondet: *Quod videlicet per aquam omnia conſiſtunt; quod herbarum, & animantium effectrix eſt aqua; quod ex Cœlis imbrium aqua deſcendit &c.* Id ipſum expreſſit *Catech.* 3. num. 2. his verbis: *Sponſus omnes ſine diſcrimine vocat, quoniàm liberalis, & larga eſt gratia, & altâ præconum voce omnes colliguntur: ipſe verò poſteà diſcernit, qui in nuptias ingrediuntur;* ſed nuptialis illa, & candida veſtis eſt ipſa Dei gratia: ergo ſi illa nuptialis, & candida veſtis non eſt omnibus commùnis, nec gratia. Infidelibus etiam propter indignitatem, quia ſuos oculos occluſerunt Divino lumini, gratiam & Evangelii lumen auferri refert, & probat *Cyrillus Catech.* 6. num. 28. dicens: *Manes hæc contra: Et qualiſnam Deus excæcat? Pauli enim verba ſunt* 2. *ad Cor. cap.* 4. *v.* 4.: *In quibus Deus ſæculi hujus excæcavit cogitationes Infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii. Archelaus verò præclarè ſubjiciens: Quæ paululum antecedunt, inquit, lege v.* 3. QUOD SI ETIAM OPERTUM EST EVANGELIUM NOSTRUM, IN IIS, QUI PEREUNT, EST OPERTUM. *Cernis in pereuntibus opertum eſſe? Non enim danda ſunt Sancta canibus. Præter eà, ſolus nè antiqui teſtamenti Deus, excœcavit cogitationes infidelium? Nonnè Jeſus ipſe dixit Matth.* 13. IDEO IPSIS IN PARABOLIS LOQUOR, UT VIDENTES NON VIDEANT? *Numquid ex odio volebat, ut non viderent? An potiùs propter eorum indignitatem, quandoquidem oculos ipſi ſuos occluſerunt?* UBI ENIM VOLUNTARIA PRAVITAS EST, IBI ET GRATIÆ SUBDUCTIO. HABENTI ENIM, *inquit Matthæus cap.* 25. *v.* 29. DABITUR; AB EO AUTEM, QUI NON HABET, ETIAM QUOD HABERE SE PUTAT, AUFERETUR. En quàm apertè fatetur Cyrillus gratiam denegari, vel auferri ab iis, qui oblatam voluntariè reſpuunt juſtâ indignatione, & duritiei cordis punitione, nè ii, quibus in Parabolis loquebatur, viderent.

21. Idem loquutus eſt *Cyrillus Alexandrinus* in Comment. ſuper cap. 5. *Iſaiæ* tom. 2. Edit. Pariſ. 1638. lib. 1. pag. 52. ubi de Judæis loquens, inquit: *Quod etiam ſupernorum, Divinorum donorum amiſſione afflicti, & mentis, animique bonis orbati fuerint, docet his verbis:* ECCE DOMINATOR DOMINUS SABAOTH, AUFERET A JUDÆA, ET HIERUSALEM ROBUSTUM, ET ROBUSTAM: *Loquitur nunc Propheta, non de corporea fortitudine (eſt enim ineptum hoc ſic intelligere) ſed de ea potiùs quæ ſub intelligentiam venit, quæ ad mentem, & cor pertinet: quâ rectè virtutem exercére conſuevimus; pugnat enim caro contra Spiritum, & Spiritus contra carnem: hæc namquè diſſident inter ſe, & plurimæ mundanæ, ac immundæ voluptates humanam mentem demergunt, & ad peccata abripiunt. Opus igitur eſt fortitudine, quæ è ſupernis venit, & à Deo... Hanc autem tollendam à Judæis* dicit, quod *etiam res ipſæ clamitabunt... Expoſita etenim eſt, & proſtituta quodammodò omnium mens* TAMQUAM BETA SEMICOCTA, *juxta Prophe-*

phetæ vocem: non enim poteſt dicere, OMNIA POSSUM IN EO, QUI ME CONFORTAT. *Auferetur etiam ab illis fortitudo panis, & fortitudo aquæ: panis rursùs non ſenſibilis, nec aquarum in uſu communi poſitarum: ſed ejus veriùs, de quo David ait:* PANEM COELI DEDIT EIS, PANEM ANGELORUM MANDUCABIT HOMO: *Aquas iterùm memorare eum dicimus, quæ mentis ſunt, & intelligentiæ, quarum ipſemet Propheta Iſaias meminit:* ET HAURIETIS AQUAM CUM GAUDIO DE FONTIBUS SALVATORIS. *Et porrò ipſe Salvator Joann.*4. OMNIS, QUI BIBIT EX AQUA HAC, SITIET ITERUM: QUI AUTEM BIBERIT EX AQUA, QUAM EGO DABO ILLI, ERIT ILLI FONS AQUÆ SALIENTIS IN VITAM ÆTERNAM. *Cæterùm diligenter obſerva verba Prophetæ: non enim dixit ſimpliciter ſublatum iri à Judæis panem, & aquam; ſed robur panis, & robur aquæ.... Privati utique ſunt Judæi hujuſmodi bonis.* Quænam ſunt illa ſuperna, & cœleſtia mentis animique bona, quorum amiſſione afflicti erant Judæi, niſi divinæ gratiæ dona, quibus ornati fuerunt? Quod eſt illud robur panis, & robur aquæ, niſi ipſamet gratia Dei, quâ poſſent proximè accedere ad ipſum Deum, quæ è ſupernis venit, & quâ rectè virtutem exercere poſſint? Quæ meritò eis, veritatis lucem rejicientibus, ablata eſt, ut totus ſignificare videtur contextus.

22. Idem loquutus S. *Baſilius* ſuper idem cap. 5. *Iſaiæ*, dicens: *Quarè intra Synagogam illam hodiè conticeſcit verbum Dei, nec eſt jam Propheta, non Princeps, non item Dux; ſed intoleranda ſiccitas aeris, nec quicquam habeat Cœleſtis nebulæ; atque adèo ſententia veteris illius maledicti adversùs eàm pronuntiata*, Deuteron. 28. v. 23. & 24., *confirmatur. Nimirum hæc:* SIT COELUM, QUOD SUPRA TE EST, ÆNEUM, ET TERRA, QUAM CALCAS, FERREA. DET DOMINUS IMBREM TERRÆ TUÆ PULVEREM; ET DE COELO DESCENDAT SUPER TE CINIS, DONEC CONTERARIS: quæ ſatis oſtendunt, quàm Deo inviſa erat terra, ſive corda eorum, qui mandavit, ne deſcenderent in eos aquæ cœleſtes gratiæ Dei, gratias ſuas illis ſubtrahens. Idem locuti ſunt, S. *Iſidorus Peluoſita* lib. 4. Epiſt. 101. S. *Gregorius Magnus* lib. 11. Moral. cap. 5. S. *Joannes Damaſcenus* lib. 2. de Fide Orthodox. cap. 29. S. *Bernardus* ſerm. 73. ſuper Cantic. n. 7. Et ſerm. 54. n. 10. S. *Anſelmus* lib de concord. lib. arbitr. q. 3. pag. 129. S. *Iſidorus Hiſpalenſis* lib. 2. cap. 6. Qui omnes conſtanter affirmant, gratiam proximè ſufficientem ad fidem non eſſe omnibus indiſcriminatim communem. Ex quibus validum in Adverſarios inſurgit argumentum. Datur quippe juxta Patres vera Dei gratia, quæ non eſt omnibus communis; atqui juxta Adverſarios ipſos non loquuntur Patres de gratia ab intrinſeco efficaci, cùm juxta illos, quibuscum agimus, ex mente SS. PP. talis non detur; nec inſuper loquuntur illi de gratia remotè ſufficienti ad bonum honeſtum ordinis naturæ; cùm gratiam iſtam à Deo liberaliter omnibus conceſſam ex mente Patrum cum nobis propugnent illi: ergo gratia, quæ non eſt omnibus communis, eſt gratia ſufficiens ad Fidem: illa nempe, quâ incipit homo, & eſt aut diſpoſitus, & per ſe remotè potens, aut potens proximè Deo credere, vel internâ, vel externâ

admonitione motus ad fidem, ut dicit S. *Auguſtinus* lib. 1. ad *Simplicianum* q. 2.

23. Veritatem hujus aſſerti egregiè probat illùd *Apoſtoli* ad Romanos cap. 10. verſ. 14. & 15. *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante?* Ac ſi diceret *Apoſtolus*: Quomodò ergo invocabunt tanquam auctorem ſalutis, & Dominum omnium, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, ſive in eum, viâ ordinariâ, quem, id eſt, de quo non audierunt; cùm fides ex auditu naſcatur, ſeu viâ ordinariâ non habeatur, niſi per auditum. Etenim pauciſſimis donatum eſt, ut nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Deum, vel per Angelos Cœlorum, doctrinam ſalutis accipiant: multis verò donatum eſt, ut Deo per homines credant. En argumentum, quod ſibi format *Apoſtolus* probare intendens, excuſabiles eſſe *Judæos*, quòd nomen *Chriſti* non invocent. Cui illicò ſatisfacit, dicens: *Sed dico: Numquid non audierunt? Sed dico; Numquid Iſrael non cognovit?* Ac ſi diceret, quæ excuſatio poteſt eſſe ipſis, cùm Evangelii prædicationem jam audierint, & clariùs cognoverint, quàm Gentiles. Quorum legitimam cauſam concluſit ibidem *Apoſtolus* v. 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*: quia nempe fides eſt ex hoc, quod mens concipit per auditum.

24. At ex his ſequens deducitur probatio. In voluntate non eſt poſſibilis potentia elicitiva alicujus actûs ſupernaturalis, niſi in intellectu præcedat cognitio illius ſupernaturalis, ad quod terminaretur actus voluntatis, ut eſt evidens; ſed in eo, qui nihil de Fide audivit ab hominibus, nonniſi miraculosè, & per extraordinariam providentiam poteſt dari cognitio alicujus objecti ſupernaturalis: etenim ſecluſô miraculô, & extraordinariâ providentiâ Dei, nihil cognoſcimus, niſi quod repræſentatur naturaliter per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus ex ſenſibilibus; quæ ſpecies, præcisâ revelatione Dei aliquo modo expreſsâ, nihil ſupernaturale poſſunt repræſentare; cùm ſolùm poſſint repræſentare id, cum quo habent connexionem, & cum ſupernaturali quoad ſubſtantiam nullam poſſunt habere connexionem ſenſibilia, ex quibus ſunt acceptæ ſpecies: ergo in infidelibus, qui nihil de fide audierunt, non datur potentia ſive remota per ſe diſpoſitiva ad fidem, ſive proxima, integrè, & completè elicitiva alicujus actûs ſupernaturalis; & ſi non datur ejuſmodi potentia, per conſequens nec datur gratia ſupernaturalis per ſe ad ſalutem ſufficiens.

25. Diſertiora ſunt *Auguſtini* verba, quàm ut ſilentio mitti poſſint. Explicat S. Doctor de Corrept. & Grat. cap. 7. qualiter Divinâ in æternum damnatione ſunt digni, qui non accepto perſeverantiæ dono relapſi ſunt, & in vita perdita uſque ad mortem perſeverârunt, quin ullam adducere poſſint excuſationem, & inquit: *Nec ſe excuſabunt dicentes, ſicut modò dicunt: Quare corripimur? Ità tunc, quare damnamur, quandoquidem ut ex bono reverteremur ad malum, perſeverantiam non accepimus, quâ permaneremus in bono? Nullo modo hâc*

hác excuſatione à juſta damnatione ſe liberárunt. Si enim, ſicut veritas loquitur, nemò liberatur à damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per Fidem Jeſu Chriſti; & tamèn ab hac damnatione non ſe liberabunt, qui poterunt dicere, non ſe audiſſe Evangelium Chriſti, cùm fides ex auditu ſit: quantò minus ſe liberabunt, qui dicturi ſunt, perſeverantiam non accepimus. Juſtior enim videtur excuſatio dicentium: Non accepimus audientiam, quàm dicentium: Non accepimus perſeverantiam: quoniam poteſt dici: Homo, in eo, quod audieras, & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles; nullo modo autem dici poteſt: Id quod non audieras, crederes, ſi velles.

26. Clariſſimam doctrinæ propoſitæ confirmationem præbet *S. Auguſtinus* de peccat. merit. & remiſs. lib. 1. cap. 22. verſans quæſtionem illam obſcuriſſimam, cur aliquibus prædicatus ſit *Chriſtus*, & non aliis, dicens: *Vnde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes cæteras provectior, aptiorque conſurgat; & tamen eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit. Quomodò enim invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, & facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut ſi detentus hic fuerit, laudabiliter hic vivat? Vbi duo iſti tam diverſa merita contraxerunt, non dico, ut iſte credat, ille non credat, quod eſt propriæ voluntatis, ſed ut iſte audiat, quod credat, ille non audiat; hoc enim non eſt in hominis poteſtate.* Intra hujus quæſtionis anguſtias coarctatus, & hærens, ad inſcrutabilia judicia Dei, & inveſtigabiles vias ejus recurrit S. Doctor: nullam quippe dignam reſponſionem agnoſcit: quarè exclamat: *Quid hìc reſpondeant omninò non video, qui volentes humanis conjecturis juſtitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ fabulas improbabiles texuerunt.* At ſi infidelibus iſtis collata ſint auxilia proximè ſufficientia; minùs rectè profundam quæſtionem iſtam vocitat, cùm facilis ſit reſponſio, alios ex non uſu gratiæ dignos ſe reddidiſſe, qui non audirent Evangelium; quarè quòd non audierint, præcedentium peccatorum eſt pœna. At non ſic argumento reſpondet S. Doctor, ſed ad altitudinem, & inſcrutabile judicium Dei recurrit, *O altitudo!* Ergo pro priori ad auditum Evangelii nullam agnoſcit in Infidelibus illis proximè gratiam ſufficientem; ſed gratiam, & miſericordiam Dei commendat, qui dedit uni, ut audiat, quod credat; alteri verò negavit, eam ſibi prædicari gratiam, quâ poſſet à ſecundæ mortis pernicie liberari: cùm eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit. *Qu m dò enim invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante?*

27. Non diſſimilis eſt S. *Auguſtino* D. *Thomas* ſcribens ſuper ea, quæ dicit *Apoſtolus*. Aſſerit quippe lect. 2. *Eſt autem duplex auditus, unus quidem interior, quò quis audit à Deo revelante, juxta illud*

 Pſal. 84.

Pſal. 84. AUDIAM QUID LOQUATUR IN ME DOMINUS DEUS. *Alius autem auditus eſt, quò quis audit ab homine exteriùs loquente. Primus autem auditus non pertinet ad omnes, ſed propriè ad gratiam prophetiæ; ideò relinquitur, ut hoc dictum Apoſtoli ſit intelligendum de ſecundo auditu, & ideò ſubdit: quomodò ergò audient ſine prædicante?* En qualiter D. *Thomas* negat, quòd illuminatio interna proximè ſufficiens ad fidem ſit omnibus communis: & cùm Infidelibus negativis deficiat alter auditus, quô quis audit ab homine exteriùs loquente, ſequitur, quòd non eſt in illis gratia ſufficiens quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, quâ ſint proximè potentes accedere ad Fidem, aut ad illam, abſque ulteriori lumine, & adjutorio ſe diſponere.

28. Hujus ratio, & fundamentum eſt; quia ſi conſideretur Deus, ut lumine rationis naturalis cognoſcibilis eſt, cognitio operantis, atque ejus intentio ſolùm poteſt dirigi rectè in aliquem finem naturalem honeſtum, ut habetur ex D. *Thoma* 2. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 2. Finis autem naturaliter tantùm cognitus, aut cognitio ejus, non importat, neque explicitè, neque implicitè rationem finis ſupernaturalis, aut cognitionis ejus, quæ ſolùm poteſt haberi ex fide, revelante Deo. Unde ante *Chriſti* Fidem, credebant ſaltem implicitè antiqui ejus myſteria, & redemptionem ſub aliqua explicita ratione revelata, etſi confuſa; alioquin eſſent omninò impotentes credere, ſicut oportet, & ad ſalutem accedere. Hoc etiam modo credebat *Cornelius*, ſcilicet implicitè; quia noverat ſub aliqua expreſſione revelationis Divinæ, quæ ita credebat, ut notavimus num. 2. At nec ſic poteſt (ſcilicet implicitè) deprehendi ſine revelatione, id quod neceſſarium eſt ad ſalutem. Solo namque lumine fidei tantus hujus divinæ ſupernaturalis lucis cernitur fulgor. Sola fides illa tenet, cùm ea nec oculi cernant, nec aures audiant ſine prædicatione Evangelii; nec in cor hominis aſcendant, cùm rationibus non demonſtrentur humanis. Quomodò ergo hi, qui nunquam de his rebus audierunt, erunt potentes in ſtatu infidelitatis negativæ, in quo ad eos ſonus Apoſtolicæ prædicationis non pervenit, hæc ſupernaturalia credere? Quarè objicit *Apoſtolus*: *Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti: Quomodò ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante? Quomodò verò prædicabunt, niſi mittantur?*

29. Præterea, loquendo de Deo remuneratore ſupernaturali, adeò ſuper naturæ vires eſt eminens, ut ſit ſapientia in myſterio abſcondita, quam nullus hujus ſæculi ſapiens in naturæ lumine cognoſcit: quarè dixit *Apoſtolus*. QUOMODÒ AUDIENT SINE PRÆDICANTE? QUOMODÒ VERÒ PRÆDICABUNT, NISI MITTANTUR? Excuſat ergo ignorantia invincibilis Dei auctoris ſupernaturalis infidelem negativum, quem non excuſaret, ſi haberet ſibi aut proximam credendi poteſtatem, aut in ſua poteſtate diſpoſitionem, ſive poteſtatem per ſe remotam in ſupernaturali ordine, ut ad fidem accederet. Hic præcepta legis Evangelicæ ignorat neceſſariò, & inculpabiliter; obligatio quippè præcepti ſuper-

ſupernaturali, ſolùm in hominibus datur in vi hujus diſcurſûs: *Deo præcipienti eſt obediendum; ſed Deus præcipit mihi hìc, & nunc obſervantiam præcepti ſupernaturalis: ergo ei præcipienti obedire teneor*: atqui in Infidelibus negativis non datur ſimilis diſcurſus, nec æquipollens cognitio; cùm non ſit dictamen ſolius rationis naturalis, ſed Concluſio Theologica illata ex una præmiſſa naturali, & alia de Fide, & per Fidem cognita: ergo in ipſis excuſabilis eſt omiſſio præcepti ſupernaturalis: ac per conſequens ſolùm auditò Evangeliò obſervantia talis præcepti non eſt ipſis impoſſibilis: at auditò Evangeliò ſufficienter ipſis propoſitò, deſtruitur infidelitas negativa; cùm fides ſit ex auditu: ergo Infidelibus negativis, pro ſtatu talis infidelitatis nulla eſt conceſſa gratia ſupernaturalis, quâ adimpletio præcepti ſupernaturalis ſit ipſis proximè, vel remotè poſſibilis.

30. Secundum argumentum petitur ex D. *Thoma* 2. 2. quæſt. 2. art. 5. qui ſibi ſequentem objectionem proponit. *Videtur quòd non teneatur homo ad credendum aliquid explicitè. Nullus enim tenetur ad id, quod non eſt in poteſtate; ſed credere aliquid explicitè non eſt in hominis poteſtate: dicitur enim ad Rom.* 10. *Quomodò credent in illum, quem non audierunt? Quomodò audient ſine prædicante? Quomodò autem prædicabunt, niſi mittantur: ergo credere aliquid explicitè homo non tenetur.* At quid ad hoc argumentum D. *Thomas* reſpondet? Non hìc reponit S. Doctor falſitatem minoris, nempe, poſſe hominem explicitè credere, cùm Infidelibus data ſint auxilia proximè ſufficientia, quibus expedita eſt præcepta adimplendi poſſibilitas, ſed reſpondet. *Ad primum ergo dicendum, quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid, excluſò auxiliò gratiæ* (ſcilicet ordinantis ad finem ſupernaturalem, de qua ibi diſputat Sanctus Doctor) *ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos Fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ; quod quidem auxilium quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & grat. cap.* 5. *&* 6. (Ita etiam legimus cap. 11.) *Si autem hoc adjutorium, cum primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo perſeverare non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum.*

31. En clara, eliquata, & ab utroque S. Doctore definita, & ſtatuta doctrina, ad quam recurrit D. *Thomas* pro ſolutione argumenti loquens de negatione gratiæ ſufficientis, cùm de iſta quæſtionem habeat *Auguſtinus*, quem hujus ſui reſponſi patronum advocat D. *Thomas*. At vana, & imbecillis foret reſponſio, jamque à Scholis releganda doctrina: ineptè, & inutiliter prorſus fieret ad peccatum perſonale, vel originale recurſus, ſi viatoribus omnibus, etſi Infidelibus negativè talibus

bus, collata eſſet gratia ſufficiens quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, quâ nuſquam homines deſtituuntur, & quæ ad implenda præcepta, ut oportet, eſt ſufficiens. Ad quid ergo ad peccatum recurſus, cùm perverſæ voluntatis merito, abutentis gratiis ſufficientibus, juſtè imputari poſſit non adimpletio præcepti? ergo vel deſerenda eſt hæc utriuſque S. Doctoris doctrina, vel illo S. Doctoris effato diſcimus, dari homines interdum auxiliis ad fidem, & ſalutem per ſe ſufficientibus deſtitutos.

32. Juvat hoc confirmare aliâ ejuſdem S. Doctoris doctrinâ 2. 2. quæſt. 10. art. 1. ubi inquirit, *Utrum infidelitas ſit peccatum?* Cui reſpondet negativè in corpore dicens: *Aliô modo poteſt intelligi infidelitas ſecundùm contrarietatem ad fidem, quia ſcilicet, aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam, ſecundùm illud Iſaiæ* 53. QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO? *Et hôc propriè perficitur ratio infidelitatis, & ſecundùm hoc infidelitas eſt peccatum. Si autem accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ, quia talis ignorantia ex peccato primi Parentis conſecuta eſt. Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidèm propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit Joann.* 15. SI NON VENISSEM, ET LOCUTUS EIS NON FUISSEM, PECCATUM NON HABERENT. *Quod exponens Auguſtinus, dicit; quòd loquitur de illo peccato, quô non crediderunt in Chriſtum.* Ecce clariſſimè S. Doctor admittit in iſtis Infidelibus gratiam, quâ poſſent non peccare contra rationem naturalem; quamobrem puniuntur; & tamen nullam in illis agnoſcit ſufficientiam ad fidem; & ideò propter peccatum infidelitatis non puniuntur. Illa ergo gratia ad rectè naturaliter operandum, neque in remota hominis poteſtate ponit fidem; alioquin infidelitas eſſet ei imputabilis.

33. Pari ſenſu quæſt. 34. art. 2. ad 2. loquitur Angelicus Præceptor: *Dicendum quòd ipſa infidelitas non habet rationem culpæ, niſi in quantùm eſt voluntaria.* Et in 2. diſtinct. 39. art. 2. ad 4. *Dicendum quòd infidelitas non eſt peccatum in intellectu exiſtens, niſi ſecundùm quòd actus intellectus eſt imperatus à voluntate. Sic enim & fides in eo eſt, quia ſecundùm Auguſtinum credere non poteſt homo, niſi volens: ſimiliter etiam niſi homo voluntariè omittat quod facere debet, in infidelitatem non incideret, quia ſi quod in ſe eſt, faceret, Deus revelaret ſibi, quod credere deberet.* Ecce quod ſuprà num. 2. diximus de Dei miſericordia; quia quamvis comprincipia operandi, quæ habentur in infideli negativo non tribuant illi potentiam, ſeu proximam, ſive remotam credendi; tamen Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, illum elevaret, ſi quæ in ſua poteſtate habet, faceret. Rurſus idem S. Doctor ad *Rom.* 10. lect. 3. poſtquam dixit: quòd illi, qui loquentem Dominum per ſe, vel per ejus diſcipulos non audierunt, excuſationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei conſequentur, *ut ſcilicet juſtificentur ab aliis peccatis, vel quæ naſcendo contraxerunt, vel malè vivendo addiderunt, & pro his meritò damnantur.*

34. Hæc

34. Hæc D. *Thomas* mutuò accepta, & delibata ab *Auguſtino*, qui idipſum docet tract. 89. in illud *Joann.* 15. SI NON VENISSEM, ET LOCUTUS EIS NON FUISSEM, PECCATUM NON HABERENT. Cùm enim num. 1. dixiſſet: *Quid eſt ergo ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent? Numquid ſine peccato erant Judæi, antequàm Chriſtus in carne veniſſet? Quis hoc vel ſtultiſſimus dixerit?* num. 2. proſequitur: *Sed quod adjunxit, atque ait, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, poteſt movere quærentes, utrum hi, ad quos non venit Chriſtus, nec locutus eſt eis, habeant excuſationem de peccato ſuo? Si enim non habent, cur hìc dictum eſt, propterea iſtos non habere, quia venit, & locutus eſt eis? Si autem habent, utrum ad hoc habeant, ut à pœnis alienentur, an ut mitiùs puniantur? Ad hæc inquiſita pro meo captu, Domino donante, reſpondeo: Habere illos excuſationem, non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quò in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus. Sed non in eo numero ſunt hi, ad quos in diſcipulis venit, & quibus per diſcipulos eſt locutus, quod & nunc facit; nam per Eccleſiam ſuam venit ad gentes, & per Eccleſiam loquitur gentibus.*

35. Deinde quærens: utrum hi qui priuſquàm *Chriſtus* per Eccleſiam veniret ad gentes, & priuſquàm Evangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi ſunt, ſeu præveniuntur, poſſint habere hanc excuſationem? Reſpondet: *Poſſunt planè*. Epiſt. 105. num. 194. ad *Sixtum* cap. 6. *Ipſa ignorantia, in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem, qui non potuerunt, peccati pœna*. Cujus invictam rationem affert lib. de nat. & grat. cap. 67. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis*. Vides hic, minimè infidelibus negativis vitio verti infidelitatem; ſed de infidelitate excuſationem habituros; quia nempe non credunt, eò quòd credere non poſſunt; ſed ſi eſſent auxiliis per ſe ſaltem remotè ſufficientibus ad ſupernaturalia muniti, eſſet in ipſis credendi ſufficientia, quæ ſecum affert obligationem credendi; ergo carent hujuſmodi auxiliis. Minùs ergo utriuſque S. Doctoris doctrinæ conſulunt, qui infideles negativos gratiâ ad credendum ſufficiente ornatos agnoſcunt.

36. Tertium hujus Concluſionis momentum petitur ex maximo illo diſcrimine, quod circa intelligentiam gratiæ ſufficientis datur inter modum, quo à Thomiſtis propugnatur, & illum, quo in Syſtemate Scholæ Societatis ſtatuitur, & intelligitur gratia ſufficiens. Thomiſtæ paci attendentes, & ne ſolùm grammaticalis ſignificatio vocetur in controverſiam, quæ parum moleſtiæ, aut ſollicitudinis afferre debet, dum clarè conſtat de intelligentia rei ſignificatæ, ut dixit M. P. *Auguſtinus* contra *Creſconium* cap. 13. num. 16. *Ne etiam nos verbi controverſia torqueat, cum res ipſa intelligitur, minus laborandum quid eam hominibus vocare placuerit*, ſolùm in præſenti theologicè accipiunt gratiam, quam ſufficientem dicunt, quia nempè in genere principii non requiri-

tur

tur præter eam, ullum aliud principium, quod tribuat poſſe rectè operari, quamvis aliud ſit neceſſarium, ut illud poſſe reducatur ad actum; & ut is, qui per illam gratiam effectus eſt potens in actu primo, actualiter operetur: ſicut in ſententia Adverſariorum, gratia congrua, quæ ſolùm eſt efficax à conſenſu creaturæ, abſolutè ab ipſis dicitur *gratia efficax*: cùm tamen efficacia propriè, & attentâ grammaticali ſignificatione convenire debeat ſubjecto ex ſe efficaciam habenti, & quod non hanc ab alio accipit. Gratiam ergo illam conſtituentem ſufficientiam poteſtatis nos bifariam ponimus; ſcilicet ad opera honeſta intra ordinem naturæ; quæ poteſtas per opera honeſtè naturalia, ad quæ Deus etiam efficaciter adjuvat, completur; & ad opera ſupernaturalia, quæ differt à priori illa ſufficientia totâ ordinis ratione. Itaque omnis ratio ſufficientiæ ſupernaturalis per ſe, & intrinſecè talis, eſt extra illam priorem ſufficientiam. Quare agnoſcentes in infidelibus negativis illam primam, negamus illis ſecundam. E contra verò Doctores Societatis ſufficientis gratiæ genus ſtatuunt, quod undequaquè ſufficiat, nihilque novi à Deo poſtulandum putent, ut integra converſio perficiatur, modò peccator ſufficientem gratiam, addito conſenſu, reddiderit efficacem: nequit enim aliàs dici ſufficiens, quando terminus iſte ſignificat idem, ac id, quod ſatis eſt ad agendum. In quo ſenſu, quem pro nunc ſupponimus, hanc ſufficientem poteſtatem minimè adeſſe infidelibus negativis propugnamus.

37. Quis namque credat, homines, nondum gratiæ myſteriis, ſaltem confuſâ aliquâ notitiâ eruditos, ſedentes in tenebris, & habitantes in regione umbræ mortîs, ita gratiâ munitos eſſe, ut ex eorum voluntate ſit, quòd exeant de poteſtate tenebrarum, & ſe transferant in regnum dilectionis Dei? Qui fieri poteſt, ut ſalvari poſſint homines totâ veritatis Catholicæ luce privati, Dominum *Jeſum*, & verum Deum, & verum hominem non credentes? An qui ſolùm ea, quæ ſenſibus percipiunt, aut ex ita perceptis naturali ratione deducunt, agnoſcunt, poſſunt ad Deum ſolâ voluntate, prout oportet, accedere, quin fulgentior veritatis radius eorum corda perdoceat? Non omnibus Nationibus annuntiata fuerunt credenda per Theologicam Fidem. Conſtat ex illo Pſal. 147. *Qui annuntiat verbum ſuum Jacob, juſtitias, & judicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni Nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Ex quo Nationibus cæteris verbum, mandatumque Dei non fuiſſe annuntiatum, ſatis clarè deducitur. Hæc namque fuit gloria, hæc felicitas Iſrael, ut probat illud Deuter. cap. 4. v. 7. *Non eſt alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi &c.* Et v. 32. *Interroga de diebus antiquis . . . Ex die quâ creavit Deus hominem ſuper terram à ſummo Cœlo uſque ad ſummum ejus* &c. ac ſi diceret: mentis acie percurrite tempora omnia, & loca diverſarum Nationum, quæ à ſummo Cœlo uſque ad ſummum ejus diſperguntur; vel ut legit *Vatablus*: *ab Oriente uſque ad Occaſum*, & videbitis, *quòd non fuit alia Natio*, quæ Deum haberet ita proximum ſibi, & cui tot beneficia Deus fuerit largitus, ut per ſigna, atque portenta ſciret, quoniam Dominus

minus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum, de Cœlo faciens audire vocem ſuam, ut doceret eam, &.ut bonis operibus ad gloriæ ſibi paratæ faſtigium perveniret.

38. Si erga alias Nationes Deus non in ea liberalitate, in qua erga Populum *Iſrael* permanſit, illas per ſigna, atque portenta, ſicut Populum iſtum, in fide obfirmans: ſi noluit, ut & aliis annuntiaretur Evangelium, uti conſtat ex illo *Matth.* 11. v. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*. Super quæ verba dicit Eminentiſs. *Cajetanus*: *Tyrus, & Sidon Civitates Gentilium erant, quibus non prædicabatur*. Nec minùs perſpicuè ex cap.16. Actuum v. 6. & 7. *Tranſeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem vetati ſunt à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Aſia. Cùm veniſſent autem in Myſiam tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus Jeſu*. Quare dicit *Paulus* ad *Rom.* cap.16. v. 22. *Propter quod & impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc*. Quem textum verſans *D. Thomas* lect. 3. ſic exponit. *Et prohibitus ſum uſque adhuc. Quòd quidem poteſt referri ad multitudinem occupationum, quas in aliis locis habuerat, vel etiam ad Divinam providentiam, per quam Apoſtoli impediebantur, ne pervenirent ad quoſdam, & dirigebantur in ſalutem aliorum, ſecundùm illud Actuum 16. Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem vetati ſunt à Spiritu Sancto loqui verbum in Aſia*. Ergo ſi his Nationibus negavit Deus verba exteriora, ſigna, atque portenta, aliaque gratiæ ſuæ beneficia, quæ largiùs, & fuſiùs Populo Hebræo, aliiſque donavit, ut ipſum verum Deum agnoſcerent; ſi & negavit eis externam fidei prædicationem, quâ ad ejus obedientiam adduci poſſent; à fortiori credendum, quòd negaverit ipſis,ut interiùs de credendis erudirentur per ipſum illuminatione,quæ eſſet proximè vel remotè ſufficiens ad ſalutem. Ad quid enim negaretur externa Evangelii prædicatio, ſi jam erant ipſi interiùs de credendis per ipſum ſufficienter inſtructi? Immò neſcio,quomodò poſſet ita rectè ſentiri de Dei miſericordia, qui illuminando interiùs vocaret ad id, cujus prædicationem negaret. Sed ille, qui nec exteriùs, nec interiùs audivit myſteria noſtræ Fidei, non eſt potens proximè credere fide theologicâ, cùm careat auxiliis ſufficientibus, quibus conſtituatur proximè potens credere; eò quòd auditus myſteriorum noſtræ Fidei,juxta communem hanc providentiam, præmittitur ad elargitionem auxiliorum ſufficientium dantium poſſe proximum, integrum, & expeditum: ergo infideles illi negativi carent auxiliis, quibus conſtituantur proximè vel remotè, immediatè, & formaliter liberi ad credendum fide theologicâ.

39. Hoc ſanè nobis difficillimum videtur, & magis creſcit difficultas, ſi attentiùs perpendamus, quot ſint orbis imperia, quot regna, quot in ipſis Provinciæ, ad quas Evangelii prædicatio non pervenit? Credibile nè eſt, quòd cùm omnes ſint gratiâ ſufficienti muniti, nullus ante, & poſt adventum *Chriſti*, Deum, prout oportet, quæſiverit,

quòd à nullo *Chriſtus* inveniri potuerit, & quòd nullus invocaverit eum? Dum omnes, nullò exceptò, gratiâ ſuâ proximè (ut Adverſarii dicunt) ſufficiente vocat: & nedùm ſuarum dona gratiarum in ipſos effundere paratus eſt; ſed reverâ hæc ſic effundere dignatus ſit, quòd jam ultra neceſſaria non ſit alia efficax Dei gratia? Siccine homines toto orbe terrarum tam increduli, tam infideles Dei promiſſis, tam ingrati beneficiis, tam rebelles vocationi? Siccine in omnibus ad perditionem conſtans, & obſtinata voluntas? Talis nè in omnibus cordis incredulitas, durities, & contumacia, & vitæ, morumque pravitas, quòd ſemper Deo contradicant, & non tempore aliquo, ſed toto vitæ curriculo ſint Deo repugnantes? Sic nè etiam omnes rei incredulitatis, ſive infidelitatis ſunt, ut ab hoc peccato excuſari non poſſint, ejuſque ſint æternas pœnas daturi? Hoc ſanè, inquient, congruit gratiæ, pietati, & miſericordiæ Dei, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. At ſi ita intelligenda eſt illa Dei voluntas: ergo aliquis ſaltem de tot millibus erit, qui per viam ſalutis ambulare volens, pro ſolo nutu voluntatis, ſalvus factus fuerit, vel ſalvari poterit. Quid namque ipſis deficit? In omnibus eſt integra, proxima, & expedita poteſtas: ulteriori efficaci Dei adjutorio non eſt opus, quod, ipſis opinantibus, deſtrueret libertatem. Nihil opus eſt cognitione, aut Fide *Chriſti*, aut ſi aliquâ, habent illi omnia neceſſaria ad eam collatis ſibi donis acquirendam: ſemper eadem eſt virium proportio, & æqualitas ad tentationis victoriam, & conſecutionem ſalutis: ſemper præſens, & inhærens eſt ipſis gratia, quæ vim, & neceſſariam virtutem habeat ad productionem effectûs ſalutaris, quâ, pro voluntate ſua benè utente homine, in re eſt poſſibilis illi, ex ſuo bono uſu, ſalus.

40. Clariùs rem explico in horum Theologorum principiis. Licèt tot imperia, & Nationes à vero Dei cultu impius adhuc error avertat; ſinguli tamen homines, nullo excepto, ſunt in æquilibrio conſtituti, ut poſſint ſe ad Deum auctorem ſupernaturalem convertere, illumque diligere ſuper omnia. Quis ergo ſibi facilè in animum inducat ſuum, ſi in omnibus ſic libertatis libra per æqualia momenta fuerit ſuſpenſa, quòd nullus ex tot hominibus, ſupernaturalibus viribus proximè, vel remotè ſufficientibus inſtructis, ſtateram ex parte ſalutis propriâ voluntate inclinaverit? Quod ſanè prorſus mirabile eſt, ac ſtupendum videri debet, dum legimus *Senecas*, *Catones*, *Platones*, totque alios clariſſimos viros, tanti, tamque ſolliciti virtutum omnium moralium ſtudii, qui de virtutibus, & vitiis tam ſolidè, ac ſapienter ratiocinati ſunt; & qui imitandi meritò proponuntur. Undè ſcripſit *S. Auguſtinus* Epiſt. 99. modò 164. ad *Evodium*, in libris Ethnicorum quaſdam laudabiles vitas legi: *Ut excepto Dei cultu, in quo erraverunt .... imitandi meritò proponantur*. An omnes iſti ita parùm fuerunt de ſalute ſolliciti, quòd cùm eſſent omnes auxiliis proximè, vel remotè ad ſalutariter operandum ſufficientibus inſtructi, nullus trutinam in auctorem ſalutis protruderit? Ergo etiam judicari poterit, quòd ſaltem unus ſtateram ex parte ſalutis propriâ voluntate inclinaverit; & quòd ſine cognitione *Chriſti* potuerit

tuerit

tuerit ſalvari, ſeu habuerit effectum ejuſdem gratiæ *Christi* Redemptoris proximè ſufficientis. Quòd ſi unus, cur non & alii infideles negativi? Non hìc de inſcrutabilibus Dei judiciis audeo judicare. Cur in una, eademque cauſa, ſuper alium veniat miſericordia ejus, ſuper alium maneat ira ejus: aut cur iſtum potiùs, quàm illum Deus liberet, aut non liberet? *Scrutetur*, inquit *S. Auguſtinus*, in toties laudata Epiſt. ad *Sixtum*, *qui poteſt, judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium*. Sed ſolùm, ſi omnes ſunt æquè proximè potentes ad converſionem; cur unus ex vi ejuſdem gratiæ *Chriſti* ſalvari poterit, & non omnes? Maximè dum minimè ipſis imputari poteſt, quòd non obedierint Evangelio, cujus prædicatio non ab hominum voluntate pendet, cùm ſit donum Dei, quod quibuſdam datur, quibuſdam non datur. Salvi nè ita eſſe potuerunt? Profectò evacuatum fuiſſet myſterium *Chriſti*, paſſionis ejus, & Fidei noſtræ.

41. Argumento eodem, quo *Paulus* ad *Galat.* 2. uſus eſt adversùs illos, qui dicebant, legem poſſe juſtificare: *Si enim per legem juſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*; ac ſi diceret: cur *Chriſtus* paſſus, ſi aliunde lex ſufficit ad obſervantiam præceptorum? Quo etiam argumento uſus eſt & S. *Auguſtinus* de nat. & grat. cap. 2. cujus ſunt hæc aurea verba: *Non enim injuſtus Deus, qui juſtos fraudet mercede juſtitiæ, ſi eis non eſt annuntiatum Sacramentum Divinitatis, & humanitatis Chriſti, quod manifeſtum eſt in carne. Quomodo enim crederent quod non audierunt, aut quomodò audient ſine prædicante?* Fides enim ex auditu, *ſicut ſcriptum eſt*, auditus autem per verbum Christi. Sed dico, *inquit*, numquid non audierunt, in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum? *ſed antequàm hoc inciperet fieri, antequàm denique uſque ad finem totius orbis terræ prædicatio ipſa perveniat, quoniam non deſunt adhuc ultimæ gentes, ut perhibetur, pauciſſimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum: quid faciet humana natura, vel quid fecit quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit actum, niſi credendo in Deum, qui fecit cœlum, & terram, à quo & ſe factam naturaliter ſentit, & rectè vivendo, ejus impleat voluntatem, nulla fide Paſſionis Chriſti, & Reſurrectionis imbutam? Quòd ſi fieri potuit, aut poteſt, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apoſtolus:* Ergo Christus gratis mortuus est. *Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Judæorum, quantò juſtiùs dicitur de lege naturæ, quam accepit univerſum genus humanum: ſi per naturam juſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt: ergo omnis humana natura juſtificari, & redimi ab ira Dei juſtiſſima, hoc eſt à vindicta, nullo modo poteſt, niſi per fidem, & Sacramentum Sanguinis Chriſti*. Sic inſtamus & nos. Si ex donis gratiæ proximè (ut ajunt, & intelligunt) ſufficientis implere legem infideles poſſunt abſque novo Dei munere, & cognitione *Chriſti*: ergo & per eamdem gratiam ſufficientem abſque cognitione *Chriſti* ſalvari poterunt: ergo extra Eccleſiæ Fidem, extra eam Matrem, cujus pars debet eſſe quis, ut ſalvetur, datur ſufficiens ſupernaturalis illuminatio,

 quâ

quâ poſſit proximè accedere ad Deum auctorem gratiæ, vel ut minimum, quâ poſſit homo, etſi non trahatur à Patre, venire ad Filium, acquirendo proximam credendi poteſtatem, atque ipſum aſpicere auctorem fidei, & remuneratorem in patria, ut loquitur *Apoſtolus* ad *Hebræos* cap. 12. v. 2. quod ſanè falſum eſt, & vergit ad evacuandam gloriam Crucis *Chriſti*, & aperiendam infidelibus portam, quâ ſine Fide Divina, quæ non eſt ſine auditu, atque ante Fidem, abſque ſpeciali Divinæ vocationis beneficio, ad ſalutem pervenire poſſunt.

42. Quæſtionem iſtam S. *Auguſtinus* non obiter, ſed ex inſtituto tractat, atque reſolvit lib. 4. contra *Julianum* num. 17. his verbis: *Sed abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem, ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex Fide. Juſtus enim ex Fide vivit. Quis porrò eorum, qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi ſoli Pelagiani, aut in ipſis etiam fortè tu ſolus, juſtum dixerit infidelem, juſtum dixerit impium, juſtum dixerit Diabolo mancipatum? Sit licèt ille Fabricius, ſit licèt Fabius, ſit licèt Scipio, ſit licèt Regulus, quorum me nominibus, tamquam in antiqua Romana Curia loqueremur, putaſti eſſe terrendum. Verùm tu in hac cauſa, etſi ad Scholam Phythagoræ provoces, vel Platonis, ubi eruditiſſimi, atque doctiſſimi Viri multò excellentiores cæteris, Philoſophiâ nobilitati veras virtutes non eſſe dicebant, niſi quæ menti quodammodò imprimuntur à forma illius æternæ, immutabiliſque ſubſtantiæ, quod eſt Deus: etiam illic adverſus te, quantùm donat, qui nos vocavit, pietatis libertate, clamabo: nec in iſtis eſt vera juſtitia. Juſtus ex Fide vivit. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti: finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti. Quomodò ſunt verè juſti, quibus vilis eſt humilitas veri juſti? Quò enim propinquaverunt intelligentiâ, inde ſuperbiâ receſſerunt; quia cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Quomodò eſt in eis vera juſtitia, in quibus non eſt vera ſapientia? Quam ſi eis tribuerimus, nihil erit cauſæ, cur non eos ad illud regnum pervenire dicamus, de quo ſcriptum eſt: Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad Regnum. Ac per hoc Chriſtus gratis mortuus eſt, ſi homines ſine Fide Chriſti ad Fidem veram, ad virtutem veram, ad juſtitiam veram, ad ſapientiam veram, quâcumque re aliâ, quâcumque ratione perveniunt. Prorſus ſicut de lege veriſſimè ait Apoſtolus: ſi per legem juſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt; ità veriſſimè dicitur. Si per naturam, voluntatemque juſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Si per doctrinas hominum qualiſcumque juſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Per quod enim eſt vera juſtitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipſe, quod abſit, erit injuſtus, ſi ad ejus regnum verus non admittitur juſtus: cùm & ipſum ejus regnum juſtitia ſit, quemadmodum ſcriptum eſt, non eſt regnum Dei eſca, & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium. Porrò ſi veram juſtitiam non habent impii; profectò nec alias virtutes comites ejus, & ſocias, ſi quas habent, veras habent:*

(*quia*

(*quia cùm non ad ſuum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipſo mali his utentes efficiuntur injuſti:*) *ac per hoc nec continentia, ſivè pudicitia vera virtus eſt impiorum.* Eccè quàm apertè *Auguſtinus* gratiam involventem cognitionem *Chriſti*, ut quid ad ſalutem neceſſarium, agnoſcit; quâ ſeclusâ, ſi homo ſalvari poteſt, verum erit dicere, quòd *Chriſtus gratis mortuus eſt.*

43. Sed abſit hoc conſequens, cùm explicita *Chriſti* Fides neceſſaria ſit ad ſalutem, ut tot Sacræ Scripturæ teſtimoniis definitum legimus. Conſtat ex illo *Joann.* 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Et *Joann.* 3. *Qui non credit in eum, jam judicatus eſt; quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.* Et *Joann.* 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Et *Joann.* 8. *Si enim non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Et *Joann.* 14. *Creditis in Deum*, inquit Chriſtus, *& in me credite.* Et *Joann.* 17. *Hæc eſt vita æterna: ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Adverſatur conſequens illud *Apoſtolo* ad *Rom.* 3. dicenti: *Juſtitia Dei per Fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio; omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei, juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per Fidem in Sanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ.. .. Juſtificans eum, qui eſt ex Fide Jeſu Chriſti.* Et ad *Rom.* cap. 10. v. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam.* Et cap. 13. v. 28. *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem.* Et ad *Timot.* 2. *Unus eſt enim Deus Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus.* Et ad *Epheſ.* 2. *Gratia enim eſtis ſalvati per Fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Et 1. ad *Corint.* 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus:* quibus ſatis ſuperque conſtat Fidem *Chriſti* explicitam neceſſariam eſſe ad ſalutem.

44. Idem legitur *Actuum* 1. v. 12. *Et non eſt in alio aliquo ſalus, nec aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Et *Actuum* 15. *Teſtimonium perhibuit Deus illis* (Gentibus) *dans illis Spiritum Sanctum ſicut & nobis, & nihil diſcrevit inter nos, & illos fide purificans corda illorum.* Quare *Marci* ultimo intonat Chriſtus Dominus: *Prædicate Evangelium omni Creaturæ ... qui non crediderit, condemnabitur.* Quid autem eſt credere Evangelio *Chriſti*, niſi Fidem explicitam habere de *Chriſto*? Quibus omnibus conſtat, quòd ſicut Fides explicita in Deum eſt medium ad juſtificationem, & ſalutem neceſſarium, ita Fides explicita, & diſtincta in *Chriſtum*, poſt Evangelii promulgationem, eſt medium neceſſarium ad ſalutem, & juſtificationem; nec etiam poſtquàm homo eſt in gratia, requiritur alia expreſſior ejuſdem nominis cognitio ad gloriam. Eo maximè quòd illa ſalutis diſtinctio, quòd alia ſit hìc per gratiam, & alia in Cœlo per gloriam, nuſquam apud antiquos Theologos neceſſaria reperitur. Imò verò una eſt, & eadem ſalus diverſos habens ſtatus. Salus enim incipit hìc per Fidem

dem & gratiam, & in patria conſummatur per viſionem: cum hac tamen differentia; quòd ſalus hìc habet ſtatum mutabilem per noſtrum liberum arbitrium, in patria verò habet eſſe fixum, & immobile.

45. Hoc magis conſtans, & exploratum erit, ſi conſideretur, quòd, ut adulti infideles ſint proximè potentes ad credendum Fide divinâ, non requiritur, quòd Fides ſit eis prædicata voce externâ, ſed ſufficit, quòd ipſis innoteſcat per internam prædicationem, quâ Deus per ſe, aut per Angelos eos inſtruat de myſteriis credendis. At cùm modus iſte inſtruendi de credendis ſit extraordinarius, & miraculoſus, uni vel alteri conceſſus, non eſt credibile, quòd Fides ita annuntiata ſit tot Regnis, Imperiis, & Nationibus; cùm non ſit fundamentum dicendi, quòd hoc miraculum in ordine gratiæ tam generale, & commune ſit: ergo ſi omnibus infidelibus negativis promiſcuè conceſſa eſt gratia ſufficiens, quâ ſint proximè potentes ad ſalutem, & quam omnes illi pro nutu, & ingenita facultate efficacem reddere poſſunt, etiam ante fidem acceptam ſalvari poſſunt, aut in eorum ſaltem poteſtate eſt habere Fidem, quamvis nullo modo externo, aut interno inſtruantur.

46. Ad hæc accedit, quòd difficillimè percipitur hæc poteſtas proximè ſufficiens ad ſalutem in illis, qui nondum ſunt de poteſtate tenebrarum eruti, & profundâ Dei auctoris ſupernaturalis ignorantiâ laborant, qui nec propriam liberi arbitrii infirmitatem, nec medicinam, nec medicum ſalutis agnoſcunt. Ut enim eſſent integrè potentes ad ſalutem, deberent priùs agnoſcere liberum arbitrium originali culpâ infirmum, ſauciatum, & vulneratum; medicinam peccati, & ſalutis medicum: ſicut fideles potentes ad ſalutem propriæ infirmitatis conſcii, Medicum *Chriſtum* ſibi à Deo oblatum, ejuſque gratiam, quâ ſe tantoperè egere ſentiunt, tantò ardentiori animo petere debent, quantò propriâ edocti experientiâ cognoſcunt, ſe eâ magis indigere, ut ab impotentia ex peccatis orta, & maximè originali, curentur. At infideles negativos, etiam ipſoſmet Gentiles Philoſophos, latuit & infirmitas originali culpâ contracta, & medicina gratiæ, & ſalutis medicus ſupernus; cùm hæc ratione naturali cognoſci minimè poſſint. Audiendus S. *Auguſtinus* de Trinit. lib. 13. cap. 19. ſuper *Apoſtoli* textum: *Inviſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, dicens: *Illi autem præcipui Gentium Philoſophi, qui inviſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicere potuerunt: tamen quia ſine Mediatore, id eſt, ſine homine Chriſto* (& ideò ſine gratia) *philoſophati ſunt, quem nec venturum Prophetis, nec veniſſe Apoſtolis, crediderunt, veritatem detinuerunt, ſicut de illis dictum eſt, in iniquitate.* Patuit ergo illis, inter cæteras veritates, quæ lumine naturali cognoſci poſſunt, iſta: *Deus exiſtit*, quam eſſe lumine naturali cognoſcibilem probat D. *Thomas* lib. 1. contra Gentes cap. 2. & 55. At Sapientes Gentium, qui inter ipſos excellentiſſimi fuerunt, nec Deum auctorem ſupernaturalem, nec *Chriſtum* audierunt: cùm minimè conſtet, propoſitionem hujus objecti factam eis fuiſſe ante Evangelium ab homine prædicante, vel ab Angelo, vel ab ipſo Deo interiùs revelante. Quomodò ergo datur

tur in ſimilibus gratia proximè ſufficiens ad ſalutem? Vel ſi pro priori ad auditum Evangelii hæc datur, redit argumentum factum, quòd poſſibilis erit illis ſalus, non auditò Evangelio: quod, ut exilitatem ingenii mei fatear, intelligere, aut perſuadere mihi nunquam potui: imò, ut bonâ veniâ auctorum oppoſitum propugnantium dicam, arbitror, abſque ullo fundamento dictum.

§. II.

Quædam argumenti ſolutio proponitur, & rejicitur.

47. HUic argumento nonnulli reſpondent, falſum ſupponere, nempè quòd infidelis negativus cum ſola gratia conſtitutiva libertatis, abſque novo ex parte Dei auxilio, bonum aliquod conducens ad ſalutem operari poſſit; cùm præter illam gratiam conſtituentem voluntatem proximè, vel remotè potentem, neceſſaria inſuper ſit gratia Divini concurſûs, ſive interim prævius putetur cum Thomiſtis, aut ſimultaneus cum aliis; ſine quo nulla eſt unquam tentationis victoria, nullus in quantumlibet bonum opus ſecundùm Deum conſenſus opportunus ad ſalutem; qui Dei concurſus non omnibus datur, ſed ſolùm fidelibus.

48. Verùm ſolutio pluribus momentis rejicienda venit. Et omiſsô, quòd gratia illa concomitans eſt per ſe ipſam indifferens, quæ nec phyſicè, ac realiter movet voluntatem, ſubjiciendo illam ſibi; & quòd Deus adjutoriô illô verſatili, quô nos uti poſſumus, non dat nobis pro ſua voluntate velle, & perficere; rejicitur primò. Quia in infidelibus negativis agnoſcit potentiam gratiâ ſufficiente conſtitutam ad victoriam tentationis, quin tamen victoria pro ſtatu illo infidelitatis negativæ aſſequibilis ſit, ſine novo Dei concurſu, nempe concurſu ſpeciali ſimultaneo, qui non omnibus datur, ſed ſolùm fidelibus: ergo inconſequenter redarguunt Thomiſtas, gratiam ſufficientem ab illis propugnatam inanem vociferantes, eò quòd cum ipſa nullum unquam opus factum eſt, nec fiet uſquam abſque novò auxilio.

49. Secundò: quia certiſſimum eſt, fidem eſſe donum Dei, pro quo orare tenemur; ut dicit S. *Auguſtinus* Epiſt. 217. ad *Vitalem* num. 5. *Si ergo ita præpararet, atque ita operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodò legem ſuam, atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illâ altâ, atque ſecretâ ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem legi, atque doctrinæ accommodaret aſſenſum, proculdubio eam legere, vel legendo intelligere, vel etiam exponere, ac prædicare ſufficeret, nec opus eſſet orare, ut Deus ad fidem ſuam Infidelium corda converteret, & converſis proficientem perſeverantiam ejuſdem gratiæ ſuæ largitate donaret. Si ergo hæc à Domino poſcenda eſſe non renuis, quid reſtat, frater Vitalis, niſi ut ab illo ea donari fatearis, à quo poſcenda eſſe conſentis? Si autem negas, ab illo nos poſcere iſta debere, eidem doctrinæ ipſius contradicis; quia & hoc in ea didicimus, ut ab illo iſta po-*

ſca-

ſcamus. Sed ſuppoſitâ ſufficientiâ proximâ ad credendum in infideli ſtulta eſſet oratio, quâ peteret à Deo concurſum ſimultaneum, ut converteretur ad ipſum, ſuprà, & infrà dicemus. Nam qui habet in poteſtate conſenſum, eodem jure habet in poteſtate quidquid identificatur cum conſenſu; & cùm concurſus ſimultaneus apud ipſos identificetur cum conſenſu, eodem pariter jure, quô homo ille habet in poteſtate conſenſum, & ideò conſenſum non valet prudenter petere (quòd ſecundùm illationem ex oppoſita ſententia dico; nam conſenſum ipſum à Deo petere debemus, juxta Catholicam Fidem) habet etiam in poteſtate concurſum ſimultaneum, quem prudenter poſtulare non valet, ut illum obtineat. Secundò: Poteſtas libera, & ſufficientia conſtitutiva libertatis includit conſtitutivè præter auxilia gratiæ, in eorum principiis, omnipotentiam à Deo paratam, & applicatam ad concurrendum cum voluntate, ut concurſus non exiſtat pro dominio, & determinatione Dei, ſed unicè pro determinatione, ac dominio voluntatis: nec iſtâ applicatione ſuppoſitâ, ſine qua ſufficientia vera non intelligitur, Deus poteſt vel ſuſpendere, vel concurſum elargiri, niſi ad nutum voluntatis: ergo cui ſupponimus adeſſe ſufficientiam, habet in poteſtate concurſum Dei ſimultaneum: ergo ſtultiſſimè oraret Deum, ut concurſum præberet ſimultaneum. *Nam quid ſtultius, quàm orare Deum, ut tibi det, quod in poteſtate habes?*

50. Hoc maximè verum in ſententia illorum, qui apertè fatentur, ſalutem eſſe in viribus liberi arbitrii per gratiam ſufficientem proximè, & expeditè potentis operari abſque eo, quòd opus ſit illâ ulteriori Dei gratiâ præveniente. Cujus opinionis inſpectio licèt generalis difficultatis ſit ad omnia opera ſalutaria, tamen non abs re in præſenti diſquiſitione inculcabitur, ubi difficilior omninò mihi apparet. Exprimit ergo illam ita P. *Leſſius* diſſert. de grat. efficac. cap. 18. num. 7. dicens: *Quòd ex duobus ſimiliter vocatis, alter oblatam gratiam acceptet, alter reſpuat, rectè dici poteſt, ex ſola libertate provenire*. (Ego prorſus ignoro, quâ ratione ſententia iſta cohærere valeat cum Fidei principiis.) Sed ad rem: Ergo ex ſola libertate, & non ex alia præveniente Dei gratia ab excitante realiter diſtincta provenit conſenſus vocationi illi, quâ conſtituitur proximè potens credere. Et diſſertat. de prædeſtinat. & reprob. ſect. 5. num. 54. *Gratia præparata electis non diſtinguitur à gratia reproborum, niſi effectu, & cooperatione, quæ pendet à libertate noſtra*, (quæ propoſitio tutior certè non eſt, quàm præcedens.) Si ergo pendet à voluntate noſtra cooperatio gratiæ, cur infidelis pro priori ad Fidem gratiâ ſufficiente conſtitutus proximè, & expeditè potens ad ſalutem, non poterit eidem gratiæ cooperari? Et num. 84. inquit ille: *Juſſiſti nos ſecuros ex parte tua, præparato nobis auxilio, quò certiſſimè juſtitiam retinebimus, & ſalvi erimus, niſi per nos ſteterit, niſi auxilium oblatum neglexerimus, & tuæ nos gratiæ ſubtraxerimus. Poſuiſti omnia in arbitrio noſtro, proinde ac ſi ſolis naturæ viribus Regnum obtinendum eſſet. Juſtificati enim per gratiam tuam non minus facilè in juſtitia accepta perſeverare, vel legem Divinam implere poſſunt,*

ſunt, quàm hominibus politicis per naturam facile eſt, juſtitiam politicam, externamque in ſe tueri, & legem civilem implere. Collocaſti itaque & perſeverantiam, & prædeſtinationis complementum, & totam ſalutem noſtram in arbitrio noſtro, ut, ſi velimus, ſalvi ſimus, & ſi velimus, pereamus. En qualiter gratiæ uſus, bonum opus, perſeverantia, & prædeſtinationis complementum ita ſunt arbitrio noſtro relicta, ac ſi ſolis viribus naturalibus poſſet homo ſalutem quærere: *ut, ſi velimus, ſalvi ſimus.* Non opinor, liberrimam iſtam pronuntiandi facilitatem graviſſimis aliis Theologis Societatis probari, nec abſque moderatione ulla ipſos omnia tribuere libero arbitrio. Credunt enim certiſſimâ fide nobiſcum, diſcretionem in negotio ſalutis à Deo fieri, atque opera bona noſtra eſſe dona ſua. Sed tamen, eâ ſuppoſitâ, licet inferre: Ergo Infidelis negativus proximè potens ad conſenſum, volens cooperari gratiæ Dei, ſecurus erit, quòd ſimultaneè Deus cooperabitur ad hoc, ut præparatô ſibi auxiliô, ſalutem conſequatur.

51. Tertiò: Fides eſt Dei donum, ut iterum teſtatur *Auguſtinus* Retract. lib. 1. cap. 23. dicens: *Quòd ergo credimus, noſtrum eſt: quòd autem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus dat Spiritum Sanctum ...... Manifeſtum eſt ergo, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei eſſe, quòd benè operamur.* Et infrà: *Legimus, dicente Apoſtolo,* MISERICORDIAM CONSECUTUS SUM, UT FIDELIS ESSEM: *non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, ſed data eſt etiam, ut eſſet fidelis.* Sed hoc verificari nequit de concurſu ſimultaneo: non enim Deus tali concurſu miro modo agit in cordibus noſtris, ut credamus; etenim illo non adjuvando influit in voluntatem, ſed immediatè, & ſimul cum voluntate influit in conſenſum: cùm concurſus iſte non ſit prior, nec poſterior naturâ concurſu voluntatis, ſed ſimul cum illo; nec ſit in cauſam operativus, ſed in effectum: ut fatetur P. *Molina* Diſput. 26. pag. 110. dicens: *Quo fit, ut concurſus Dei generalis, non ſit influxus Dei in cauſam ſecundam, quaſi illa prius eo mota agat, & producat ſuum effectum, ſed ſit influxus immediatè cum cauſa in illius actionem & effectum*: ergo non datur, ut ſit fidelis, ſed potiùs Deus concurrit cum voluntate, quia illa vult, non ut velit. Quid namque magis inintelligibile, quàm quòd concurſus ille, qui eſt ipſa actio, ſeu actus fidei, ſit immutativus voluntatis, ut ſit fidelis; & quòd Deus faciat voluntatem operari per concurſum, qui exiſtit ex libera determinatione voluntatis? Hoc potiùs eſt, voluntatem facere, quòd Deus faciat, ipſam eſſe fidelem, quàm quòd Deus faciat, ut ipſa fidelis ſit.

52. Hoc benè agnovit S. Doctor laudatâ Epiſtolâ 217. ad *Vitalem*, dum dixit: *Recognoſcis, me, ut puto, in iis, quæ nos ſcire dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent commemorare voluiſſe: ſed ea tantùm, quæ pertinent ad eam, quæ inter nos agitur de Dei gratia, quæſtionem: utrum præcedat hæc gratia, an ſubſequatur hominis voluntatem: hoc eſt, ut planius id eloquar; utrum ideò nobis detur, quia volumus; an per ipſam Deus hoc efficiat, ut velimus.* Ergo idem eſt, juxta D. *Auguſtinum*, gratiam non præcedere hominis voluntatem, ac

ipſi eam dari, non ut velit, ſed quia vult: ergo cùm concurſus ſimultaneus voluntatem non præcedat, medio tali concurſu Deus non adjuvat illam, ut velit, ſed quia vult. Hæc conſequentia *Auguſtini* irrefragabilis eſt: non enim Deus adjuvat voluntatem, ut velit, illo concurſu, quô non dominatur voluntati, ſed quô utitur voluntas, ut explicet dominium libertatis, cujus uſus definitivè eſt applicatio rei ad opus; at concurſu non præcedente actum voluntatis, ſed qui eſt cum illo, Deus non dominatur voluntati, nec ex illo eſt, quòd voluntas applicetur ad velle: ergo tali concurſu Deus non adjuvat, ut velit, ſed quia vult. Verum ergo eſſet dicere, quòd homo gratiâ ſufficiente ornatus, vult à ſe ipſo eſſe, quòd credat: quaſi componat cum Deo, ut partem fidei primùm ſibi vindicet, atque illi partem relinquat: & quod elatius eſt, primam credentis diſcretionem tollat ipſe, ſequentem det illi, & in eo, quòd dicit fidem eſſe amborum, hominis volentis, & Dei ſimultaneè concurrentis, priorem ſe faciat, poſteriorem Deum; cùm Deus ſimultaneè concurrat, quia iſte vult: quod claris Sacræ Scripturæ teſtimoniis repugnare affirmat *Auguſtinus* de prædeſtinat. Sanctorum cap. 2. num. 6.

53. Et tandem rejicitur ſolutio, quia concurſus ſimultaneus non eſt ſufficiens, ut verificentur verba *Apoſtoli* ad Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Eodem argumento, quo utitur S. *Auguſtinus* in Enchirid. cap. 23. dicens: *Si proptereà dictum eſt: non volentis, neque currentis, quia id voluntas hominis ſola non implet: cur non & è contrario rectè dicitur: non volentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis?* Etenim cùm homo etiam concurrat cum Deo, & Dei gratia, ita verè poſſet dici, non eſt Dei volentis, ſed hominis, ſicut dicitur, velle non eſſe volentis, ſed Dei miſerentis: ergo non ſufficit concurſus ſimultaneus, ſed alia requiritur gratia diſtincta à tali concurſu, quæ ſit præveniens, & diſcretiva credentis à non credente, quâ liberaliter à Deo non conceſsâ, infidelis ambulans in tenebris pro priori ad fidem eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſalvus non erit.

§. III.

Solvuntur argumenta.

54. Arguitur primò: nedum præceptis naturalibus, ſed etiam præceptis ſupernaturalibus obſtricti ſunt infideles negativi, cùm in lege nova habeatur præceptum credendi, *Marc.* ultim. verſic. 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Et ad *Hebræos* 11. verſic. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Quod credendi præceptum fuit in lege veteri, & ante omnem legis promulgationem traditum, tam *Adamo* poſt lapſum, quàm poſteris ejus, vel per ipſius inſtructionem, vel per internam illuſtrationem. Undè *Paulus* citato loco oſtendens, veteres Patres in fide teſtimonium conſecutos eſſe, verſ. 4. incipit ab *Abel*, dicens:

Fide

Fide plurimam hoſtiam Abel..... per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus &c. Ex quibus ſequens elicitur argumentum: Deus impoſſibilia non jubet, & nemo peccat in eo, quod cavere nullô modô poteſt; atqui niſi dentur infidelibus gratiæ proximè ſufficientes, & mandata Dei ipſis impoſſibilia erunt, & peccabunt in eo, quod cavere nullô modô poſſunt: nec enim eſt obſervantia præceptorum poſſibilis ſine gratia proximè ſufficiente: ergo ne mandata ſint ipſis impoſſibilia ad obſervandum, debet in Infidelibus dari gratia proximè, vel remotè ſufficiens.

55. Confirmatur doctrinâ S. *Auguſtini*, lib. 3. *Oper. Imperfecti* num. 112. docentis: *Nemo niſi per gratiam Chriſti, ad bonum quod vult agendum, & ad malum, quod odit, non agendum, poteſt habere liberum voluntatis arbitrium.* En juxta S. Doctorem gratia *Chriſti* æquè neceſſaria tàm ad bonum agendum, quàm ad malum non agendum; ſed Infideles negativi peccare poſſunt; ergo debet in eis dari gratia proximè ſufficiens.

56. Urgetur hoc. Si obſervantia mandatorum Dei in omnibus hominibus eſt poſſibilis, & gratia proximè ſufficiens debet eſſe communis; cùm poſſibilitas iſta non ſit ſine gratia Dei; ſed obſervantia præceptorum eſt omnibus poſſibilis: ergo & gratia proximè ſufficiens debet eſſe omnibus hominibus communis. Vel aliter: Abſurdum eſt dicere, quòd infidelibus negativis ſint poſſibilia mandata Dei ſine gratia actuali proximè ſufficiente, & quòd juſtis ſint ſolùm gratiâ actuali proximè ſufficiente poſſibilia: ergo vel ejuranda eſt hæc veritas fidei, quòd juſtis ſint per gratiam proximè ſufficientem mandata poſſibilia; vel aſſerendum, quòd ut mandata infidelibus negativis ſint poſſibilia, neceſſaria eſt Dei gratia actualis proximè ſufficiens.

57. Ad hoc argumentum reſpondetur, certiſsimum eſſe præcepta ſupernaturalia non eſſe lumine naturali cognoſcibilia; nec peccare infidelem negativum in omiſsione rei præceptæ. Etiam veriſsimum eſt, quòd præcepta novæ legis omnes, & ſingulos homines obligant, quibus ſufficiens facta ſit, vel externa, vel interna manifeſtatio. Eſt namque *Chriſtus* ſupremus legifer univerſalis, cujus legi novæ omnes homines parère tenentur; adeò ut nemo ſit exemptus à dominatione ejus, nec alia ſit ſub Cœlo data Lex hominibus, in qua oporteat, eos ſalvos fieri, dicente Domino *Joann.* cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Hæc tamen fidei præcepta innoteſcere debent, aut per externam promulgationem, aut per interiorem revelationem, ut habeant vim obligandi. Quamobrem Dominus ea verba nobis objecta protulit, cùm præcepiſſet: *Prædicate Evangelium.* Obligant ergo eos, quibus fuerit prædicatum. Quo ſuppoſito in forma reſpondetur, negando Minorem: ad cujus probationem conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: ut ſint poſsibilia debet dari eis gratia ſufficiens pro eo tempore, quo inſtat, & urget obligatio præcepti, concedo conſequentiam, pro eo tempore, quo fides non eſt eis propoſita, nego conſequentiam.

 58. Con-

58. Confirmatio veram *Auguſtini* mentem involvere, & occultare conatur. Non hic *Auguſtinus* veram Dei gratiam deſiderat, ut abſolutè poſsit non peccare; conſtat ex ſequentibus verbis num. 120., quibus id expreſsè negat, dicens: *Ad malum liber eſt, qui voluntate agit mala, aut opere, aut ſermone, aut ſola cogitatione; hoc autem grandioris ætatis quis hominum non poteſt? Ad bonum autem liber eſt, qui voluntate bonâ agit, bona etiam ipſe aut opere, aut ſermone, aut certè ſolâ cogitatione; ſed hoc ſine gratia nullus hominum poteſt*. Solùm ergo loquitur S. Doctor de victoria gravis tentationis, quæ haberi nequit cum carentia gratiæ ſupernaturalis, ut apertiſsimè probant priora verba ejuſdem num. 112. *Qui per legem, quam videt in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ, & captivantem ſe ſub lege peccati, clamat, non quod volo, facio bonum, ſed quod odi malum hoc ago; debet utique dicere, quomodò non rapiatur ad malum voluntas captiva. Ut enim ſecundùm vos interim loquar, ſi ſub mala iſte conſuetudine gemit, nondum ſicut dicitis, ſub Chriſti gratia conſtitutus; habet iſte, an non habet liberum voluntatis arbitrium? Si habet, quarè non facit bonum quod vult, ſed malum, quod odit, agit? Si autem propterea non habet, quia ſub gratia Chriſti nondum eſt, ecce quod jam dixi, iterum dico, & vobis video ſæpè dicendum; Nemo niſi per gratiam Chriſti ad bonum, quod vult, agendum, & ad malum, quod odit, non agendum, poteſt habere liberum voluntatis arbitrium: non ut voluntas ejus ad bonum, ſicut ad malum captiva rapiatur, ſed ut à captivitate liberata ad liberatorem ſuum liberali ſuavitate amoris, non ſervili amaritudine timoris adtrahatur*. Quo ergo jure ſuum eſſe in objecto teſtimonio *Auguſtinum* jactitat arguens, qui ſolùm ad victoriam gravis tentationis gratiam expoſcit, vel ut operetur bonum ex motivo charitatis, ut ſit evidens ex illis verbis, *liberali ſuavitate amoris*. Neceſſaria ergo eſt Infidelibus gratia ſupernaturalis, vel, ut ſuprà diximus, ut eliciant actum, in quem nequit prorumpere natura debilis, corrupta, & ſauciata, niſi ſanata per gratiam ordinis ſupernaturalis; vel ad victoriam gravis tentationis, non tamen, ut abſolutè peccare poſſint.

59. Eodemque modo reſpondetur ad id, quô urgetur argumentum; conceſsâ Majori, diſtinguo Minorem: ſed obſervantia præceptorum eſt in omnibus poſſibilis, dum fides eſt eis ſufficienter propoſita, concedo Minorem: deficiente ſufficiente fidei propoſitione, nego Minorem, & conſequentiam. Et ad id, quod ſuperadditur, conceſſis præmiſſis, diſtinguo conſequens: dum urget obligatio præcepti, & Fides eſt ſufficienter propoſita, concedo conſequentiam, dum talis non datur obligatio præcepti, neganda eſt conſequentia.

60. Credimus quippe, quòd, ubi primùm prædicatum eſt Infidelibus Evangelium, ipſi gratiâ ſupernaturali illuſtrentur, ut quicumque ad fidem, & ad Baptiſmum accedere voluerint, accedere poſſint; niſi ipſi rebelles ſint Divino lumini. Conſtat ex eo, quod legitur Actuum 2.v.12. & 13. *Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: Quid nam vult hoc eſſe? Alii autem irridentes dicebant: quia muſto*

ſto pleni ſunt iſti. Et rurſus ibidem cap. 16. verſ. 14. & 15. *Die autem Sabbathorum egreſſi ſumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio eſſe, & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. Et quædam mulier nomine Lydia .... audivit, cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur à Paulo*. Et cap. 17. verſ. 2. *Paulus introivit ad eos, & per Sabbatha tria diſſerebat eis de Scripturis adaperiens, & inſinuans, quia Chriſtum oportuit pati....* Et verſ. 4. *Quidam ex eis crediderunt*. Et verſ. 32. *Cùm audiviſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.* Et verſ.34. *Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt*. En ubi fides eſt ipſis propoſita, & auditum eſt ab eis Evangelium, datum fuit illis auxilium ſupernaturale, quô poſſent accedere ad credendum: niſi eam irridentes abjiciant, & gratiæ Dei fideliter cooperari nolint.

61. An non etiam *Cornelius*, de quo dicitur Actuum cap.10.verſ.2. *Quòd erat religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleëmoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper*; & verſ. 4. *Orationes tuæ, & eleëmoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*, antequàm Angelum Dei humano vultu, ac veſte lucidâ obviam haberet, à quo Dei juſſu monitus eſt, ut miſſis Joppem nuntiis, *Simonem Petrum* in domo, quam idem Angelus deſignavit, accerſeret, habuit Dei gratiam? Quis ergo neget, illum ullâ adjutum fuiſſe gratiâ ſupernaturali actuali, ut Deo placeret? Dicente D. *Auguſtino* de prædeſt.Sanctor. cap. 6. num. 12. *Quidquid igitur & antequàm in Chriſtum crederet, & cùm crederet, & cùm crediďiſſet, benè operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, nè fortè quis extollatur*. Hoc etiam probat illud *Lucæ* 8. verſ. 48. *Chriſti* Domini ad mulierem, quæ acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus; *Filia, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace*. An non etiam mulier hæc, antequàm in *Chriſtum* crederet, fuit gratiâ Cœleſti adjuta? Vel enim mulieri data fuit gratia ſupernaturalis, ut crederet, vel non? Hoc ſecundùm Pelagianum eſt; cùm fides naturæ viribus haberi non poſſit. Data ergo fuit illi gratia ſupernaturalis præveniens, ut eſſet potens ſe ad Fidem convertere: ſed hæc præveniens Dei gratia non eſt ipſa Fides; cùm præveniens Dei gratia ſit opus ſolius Dei: Fides autem eſt opus Dei, & hominis: ergo gratiâ præveniente fuit illuſtrata, quâ poſſet accedere ad fidem.

62. Et omnium ratio eſt, quia infidelis, cui vera Fides proponitur ſufficienter, ex præceptô Fidei tenetur per poſitivum aſſenſum intellectum ſubjicere Deo revelanti; cùm obligatio credendi tunc utique urgeat, dum certè illius veritatem agnoſcit: quare peccatum infidelitatis eſt maximum peccatum illi imputabile ad culpam, ut docuit *S. Auguſtinus* tract.89. in *Joann.* exponens hanc Chriſti ſententiam; *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*. Super quæ verba *S. Doctor*: *Magnum quoddam peccatum, quaſi ſub generali nomine vult intelligi. Hoc eſt enim peccatum, quô tenentur cuncta peccata*. Sed ſi non daretur gratia ſufficiens illis, ut poſſent credere, præ-

ceptum

ceptum hoc redderetur impoſſibile: ergo datur illis. At tunc non ſunt illi, auditô Evangeliô, infideles negativi, ut ſuprà diximus n.7. Quid ergo mirum, quòd in illis detur gratia proximè ſufficiens?

63. Secundò objicies: licèt infideles negativi non habeant fidem explicitam Dei auctoris ſupernaturalis, ſalvi fieri poſſunt utentes benè auxiliis ſufficientibus ex fide ſaltem implicita Jeſu *Chriſti* veri Dei, & Hominis, & myſteriorum fidei: ergo nullatenus requiritur, quòd detur gratia *Chriſti* proximè ſufficiens ad ſalutem, ut ſalvari poſſint. Antecedens probatur. Etenim homines cum fide implicita potuiſſe ſalvari, docet D. *Thomas* 2.2. q.1. art.7. in corp. dicens: *Sed quantùm ad explicationem crevit numerus articulorum: quia quædam explicitè cognita ſunt à poſterioribus, quæ à prioribus non cognoſcebantur explicitè.* Et q. 2. art. 7. ad 3. his verbis: *Dicendum, quòd multis Gentilium facta fuit revelatio de Chriſto, ut patet per ea, quæ prædixerunt. Nam Job 19. dicitur. Scio quòd Redemptor meus vivit. Sybilla etiam prænuntiavit quædam de Chriſto, ut Auguſtinus dicit: invenitur etiam in hiſtoriis Romanorum, quòd tempore Conſtantini Auguſti, & Helenæ Matris ejus inventum fuit quoddam ſepulchrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua ſcriptum erat. Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in Eum. O ſol, ſub Helenæ, & Conſtantini temporibus iterum me videbis. Si qui tamen ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide Mediatoris: quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes, Deum eſſe liberatorem hominum ſecundùm modos ſibi placitos, & ſecundùm quòd aliquibus veritatem cognoſcentibus Spiritus revelaſſet, ſecundùm illud Job.35. c. Qui docet nos ſuper jumenta terræ.* Et 3.p. q.69. art.4. ad 2. ubi de *Cornelio* Centurione ait: *Ante baptiſmum Cornelius, & alii ſimiles conſequuntur gratiam, & virtutes per fidem Chriſti, & deſiderium Baptiſmi implicitè, vel explicitè*: Et eodem modo illi ſalvi fieri poſſunt fide implicitâ Dei auctoris, & remuneratoris ſupernaturalis.

64. Ad quod reſpondetur, quòd fides in *Chriſtum* Redemptorem, ac Mediatorem omni tempore ad ſalutem fuit neceſſaria; cùm eumdem Spiritum fidei habeamus, quem antiqui Juſti habuerunt; non enim per hoc, quòd tempora, & ſacramenta variata ſunt, variata eſt fides. Eamdem ergo fidem Incarnationis, quæ illis prænuntiabatur, habemus & nos, cùm illi crediderint in *Chriſtum* venturum, quem nos veniſſe credimus: quare per eamdem fidem liberati ſunt, per quam liberamur & nos. Diſtinctam, atque explicitam myſteriorum *Chriſti* fidem habuerunt *Patriarchæ*, & *Prophetæ*, non tamen reliquus Populus, qui ſolùm myſteriorum fidem implicitam, & velatam habuit. At poſt Evangelicæ legis promulgationem neceſſaria omnibus eſt fides explicita: *Quæ enim*, ut inquit S. *Auguſtinus* Epiſt. 157. aliàs 89. ad *Hilarium*, *tempore ſcilicet veteris Teſtamenti velabatur, tempore novi Teſtamenti revelatur.* Idemque docet D. *Thomas* 2. 2. q. 2. art.7. *Poſt tempus gratiæ revelatæ, tàm Majores, quàm Minores* (id eſt, tàm Paſtores,

res, & Sacerdotes, quàm Populus) *tenentur habere fidem explicitam de Myſteriis Chriſti, præcipuè quantùm ad ea, quæ communiter in Eccleſia ſolemnizantur, & publicè proponuntur; ſicut ſunt articuli Incarnationis.*

65. Fides quoque explicita, & diſtincta Trinitatis omnibus, & ſingulis hominibus neceſſaria eſt ad ſalutem, ut ibidem docet D. *Thomas* art. 8. *Dicendum, quòd myſterium Incarnationis Chriſti explicitè credi non poteſt ſine Fide Trinitatis: quia & in Myſterio Incarnationis Chriſti hoc continetur, quòd Filius Dei carnem aſſumpſit.... Et ideo etiam poſt tempus gratiæ Divinæ tenentur omnes ad explicitè credendum Myſterium Incarnationis: & omnes qui renaſcuntur in Chriſto, hoc adipiſcuntur per invocationem Trinitatis, ſecundùm illud Matth. ultimo: Euntes docete.* Quare *Apoſtolus* ad Hebræos 11. dixit: *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: accedentem enim ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*; ubi eodem tenore requirit utriuſque veritatis fidem: ſed explicita Dei fides eſt neceſſaria neceſſitate medii: ergo & fides explicita Redemptoris eſt neceſſaria neceſſitate medii. Et licèt his verbis nullam mentionem faciat de *Chriſto*, ubi de credendis loquitur, nihil refert; quandoquidem tota Epiſtola eſt de *Chriſto*, quem cap. 1. prædicat, dicens: *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus eſtis locutus eſt nobis in Filio.... per quem fecit & ſæcula*, de quo & loquitur cap. 12. ſequenti. Quare *Innocentius XI.* ſequentem damnavit propoſitionem: *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

66. At hoc, quod falſiſſimum eſt, dato, & non conceſſo, ſufficere fidem implicitam myſteriorum fidei, ſeu Dei remuneratoris, rogo, quæ fides in infidelibus negativis implicita Dei auctoris ſupernaturalis, *Chriſti*, & Trinitatis dari poſſit? Implicitè aliquid credere, eſt illud credere ſolùm in univerſali; & ut contentum in alio univerſali explicitè, & diſtinctè cognito. Sic cognoſcens principium, dicitur habere cognitionem implicitam eorum, quæ in principio continentur. Etiam fidelis, qui ex animo credit totum id, quod credit Eccleſia, implicitè credit reliqua fidei myſteria, quæ in illo generali cognito præcontinentur. Ita fidem explicitam, & implicitam explicat D. *Thomas* q. 24. de verit. art. 11. *Implicitum*, inquit, *propriè dicitur eſſe illud, in quo quaſi in uno multa continentur: explicitum autem, in quo unumquodque ipſorum in ſe conſideratur... Unde ille, qui cognoſcit principia univerſalia, habet implicitam cognitionem de omnibus concluſionibus particularibus: qui autem concluſiones actu conſiderat, dicitur ea explicitè cognoſcere: unde & explicitè dicimur, aliqua credere, quando eis actu cogitatis adhæremus: implicitè verò, quando adhæremus quibuſdam, in quibus ſicut in principiis univerſalibus iſta continentur: ſicut qui credit, fidem Eccleſiæ veram eſſe, in hoc quaſi implicitè credit ſingula, quæ ſub fide Eccleſiæ continentur.* Sed Deus, ut auctor ſupernaturalis, cùm ſit principium, & fundamentum omnium credibilium, non poteſt

teſt implicitè credi in alio explicitè cognito, in quo contineatur: ergo non datur talis cognitio implicita Dei auctoris ſupernaturalis.

67. Hoc maximè verum in infidelibus negativis, à quibus ſolùm Deus, ut auctor naturæ cognoſcitur, prout reſplendet in rebus à ſe conditis, cùm ſint vero fidei lumine privati: ſed cognitio Dei, ut auctoris naturæ, ad quam ex effectibus creatis directè, & expreſsè pertingit ratio naturalis, non continet ſub ſe cognitionem ejuſdem, ut auctoris gratiæ: ergo Deus, ut auctor gratiæ, nec implicitè cognoſci poteſt ab illis. Si ergo in illis non datur fides explicita, aut implicita Dei auctoris ſupernaturalis, & juxta Adverſarios gratiâ proximè ſufficiente ornati infideles, abſque alio Dei munere pro nutu voluntatis poſſunt ſalutem conſequi, cur & iſti ſine fide Salvatoris ſalvari non poterunt? Quod conſequens & in Deum remuneratorem, & in *Chriſti* mediatoris nomen, contumelioſum, erroneum, & hæreticum eſt: quare meritò damnatæ ſunt an. 1712. à Vicario Generali *Mechlinienſis* Diœceſis ſequentes propoſitiones, quæ anno 1711. *Lovanii* ſub die 24. Martii, & 25. Novembris propugnatæ fuerunt. 1. *Fides explicita myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis non eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, probabilius etiam promulgato Evangelio.* 2. *Idem de myſterio Incarnationis.* 3. *Actus ſpei probabilius non eſt neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem.* 4. *De actu charitatis ſuper omnia idem eſto judicium.* 5. *Fides explicita Dei, ut remuneratoris extrinſeci, eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, non tamen, ut vindicis malorum.* Animadvertendum autem volo, quòd ſi aliquis habeat implicitam fidem myſteriorum etiam neceſſariorum ad ſalutem; jam ille non eſt negativè infidelis, de quo diſputamus; ſed ſe habebit ſicut *Cornelius*, ut ſupernaturalibus non careat ad ſalutem adjutoriis. Vide D. *Thomam* à nobis ſupr. citat. n. 2.

68. Tertiò objicies: ex ratione probativa concluſionis ſolùm arguitur, quòd infidelibus negativis non tribuantur ſemper, aut frequenter auxilia proximè ſufficientia, quibus immediatè poſſint credere, aut ſe convertere ad *Chriſtum*; quia iſta regulariter pendent à prædicatione Evangelii facta per homines, qui non ad regiones omnes, & ſingulos in iis habitantes mittuntur: at non probat, quòd omnibus iis regionibus, & ſingulis earum Incolis pro loco, & tempore, non dentur auxilia proximè ſufficientia ad ſalutem, mediis quibus excitari, & præveniri poſſint ad credendum de Deo, quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Quod ſolùm videtur eſſe intentum *Apoſtoli*, dum dixit: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante? Quomodò verò prædicabunt niſi mittantur.* Etenim verſ. 1. dixit: *Inviſibilia Dei à Creatura hujus mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.*

69. Abſona prorſus eſt argumentatio iſta; cùm *Apoſtolus* in illis verbis nullam agnoſcat, nec admittat fidem, niſi habitam miniſterio

ali-

alicujus Prædicatoris, quo plurimi Gentiles deſtituti ſunt, & fuerunt: ac proinde, cùm in illis locus non ſit fidei, nec auxilium ſufficiens proximum, quod ſit vera gratia *Chriſti*, & quod ejuſdem *Chriſti* cognitionem, & fidem involvat, agnoſcit. Nam de hac fide explicita in *Chriſtum* & procedit quæſtio, & locutus eſt *Apoſtolus*, ut conſtat ex verſ. 9. ubi dixit: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jeſum Chriſtum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.* Si ergo fides explicita in *Chriſtum*, ac proinde invocatio ipſius, nequit ſecundùm ordinariam Dei providentiam haberi, niſi audiendo illam ab homine, vel ſecundùm providentiam extraordinariam ab Angelo, ad ejuſdem fidem non dantur auxilia ſufficientia in Gentilibus, quibus nondùm eſt prædicatum Evangelium.

70. Et ratio eſt evidens: quia ſi ante prædicationem Evangelii Gentiles, juxta beneplacitum Dei, præveniuntur auxilio aliquo gratiæ excitantis, & prævenientis, quo poſſint proximè credere exiſtentiam unius Dei auctoris ſupernaturalis, & quòd ſupernaturalis remunerator ſit; aſſenſus iſte ſupernaturalis debet eſſe, ſicut eſt auxilium gratiæ excitantis, ac prævenientis, ex quo oritur: maximè cùm aſſenſus ille debeat eſſe initium ſalutis. Debet ulteriùs eſſe aſſenſus veræ, ac Theologicæ fidei, licèt non perfectæ, ſaltem inchoatæ, ut ſuprà diximus ex Eminentiſſimo Cardinali *Aguirre*, quæ fides inchoata non eſt omnibus communis, dicente D. *Auguſtino* lib. de Præd. Sanct. cap. 8. *Fidem & inchoatam, & perfectam donum Dei eſſe, quod quibuſdam datur, quibuſdam non datur*; ſed fides inchoata deſtruit infidelitatem negativam; cùm ſolùm diſtinguatur à fide perfecta penès majorem, vel minorem extenſionem & expreſſionem utriuſque: ergo admitti nequit gratia proximè ſufficiens in Infidelibus, ſi verè ſint negativè tales. Quare dixit S. *Hieronymus* in cap. 1. ad *Epheſios*: *Non ante filii eſſe poſſumus, quàm Filii ejus Jeſus Chriſti fidem recipiamus.*

71. Quartò arguitur ex P. *Platel* loco citato ex par. 1. cap. 4. §. 3. num. 188. aſſerente, quòd Deus providet infidelibus, ac Barbaris ſuo tempore media, proximè, vel remotè ſufficientia ad converſionem, quandiù ſunt in via, & ſtatu moraliter operandi: quod probat ex D. *Thoma* q. 14. de verit. art. 11. ad 1. dicente: *Si quis in ſylvis ductum luminis naturalis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali: certiſſimè tenendum eſt, quòd ei Deus, vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ credenda ſunt, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum mitteret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Quibus verbis hoc exigit S. *Doctor* ſolùm in homine ſilveſtri, quòd ſequatur ductum rationis in appetitu boni, & fuga mali, ut ſalutem conſequatur. Ergo ſequens ductum rationis in appetitu boni, & fuga mali, habet auxilia proximè, vel remotè ſufficientia ad converſionem, & juſtificationem.

72. At incaſsùm opponuntur verba iſta D. *Thomæ*, quæ potiùs contra opponentem ipſum rectè probant. Etenim aſſerit S. *Doctor*, hominem in ſylvis enutritum, in hypotheſi quòd ſequatur ductum rationis, declinans à malo, & faciens bonum, à Deo illuminandum eſſe de creden-

dendis, vel interiùs per revelationem, vel exteriùs per Angelum: ergo in homine iſto non erat, ex vi auxilii ad bonum honeſtum ordinis naturæ operandum, illuminatio de credendis: ac per conſequens non erat ille nec proximè, nec remotè potens ex vi talis auxilii ad converſionem, & juſtificationem. Rurſus; D. *Thomas* loquitur ibi de faciente quod eſt in ſe, ut ei juſtificationis gratia, emundans eum à peccato originali, detur: ergo loquitur de ſe præparante per illud facere, quod in ſe eſt, ad gratiam juſtificantem; ac per conſequens loquitur de faciente quod eſt in ſe, ex divino auxilio: ſed adhuc homo operans cum illo auxilio, illuminabitur de credendis, ut ei juſtificationis gratia conferatur: ergo tale auxilium non eſt gratia *Chriſti* ejus involvens cognitionem. Fatemur ergo, ut ſuprà dictum eſt, quòd Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, non negabit lumen & gratiam iis, qui perfectè naturæ legem ſervaverint; non quia ullo jure teneatur, neque quia aliqua connexio, aut diſpoſitio per ſe talis detur in ſola obſervantia legis naturæ cum fide, aut donis ſupernaturalibus; ſed quia id præſumendum eſt ex ejus miſericordia, juxta revelatam voluntatem ſalvandi omnes, quæ in hunc ſenſum nos piè tenendum inducit. Sed hoc non facit ad propoſitum quæſtionis; non enim diſputamus, quid faceret Deus in tali, aut tali caſu ex miſericordia ſua, ſed quid modò generaliter cum omnibus hominibus faciat; aut quid iſti ex donis ſibi generaliter collatis, per ſe loquendo, poſſint.

73. Argues tandem: Omnes illi, pro quibus *Chriſtus* mortuus eſt, poſſunt ſalvi fieri: atqui mortuus eſt pro omnibus, etiam Infidelibus negativis: ergo iſti poſſunt ſalvi fieri; ſed qui poſſunt ſalvi fieri, habent potentiam ad acquirendam ſalutem: ergo hæc potentia non deficit Infidelibus negativis. Confirmatur: Voluntas antecedens ſalvandi omnes homines habet ſemper in illis aliquem effectum ordinatum ad ſalutem; atqui illa voluntas comprehendit infideles negativos: ergo in illis eſt gratia ſufficiens proxima, vel remota, importans ordinem ad ſalutem, & non ſolùm ad bona moraliter ordinis naturæ.

74. Aſſertio noſtra declinat ſatis hujuſmodi argumentum, quod leviſſimo impulſu corruit, ſi in memoriam revocentur, quæ in ſuperioribus dicta fuerunt. Etenim conformiter ad *Angelici Magiſtri* doctrinam 1. 2. q. 89. art.6. diximus, omnes homines, etiam infideles negativos, initio uſûs rationis illuſtrari ſupernaturaliter à Deo, ſaltem ſufficienter, ut poſſint pro tunc ſe in Deum convertere; quod ſi fecerint, juſtificabuntur ex meritis *Chriſti*. Rurſus donat Deus Infidelibus per merita *Chriſti*, nedum auxilia extrinſeca, verùm & auxilia intrinſeca ſufficientia ad præcepta naturalia ſervanda pro tempore & loco; quando nempe neceſſitas ſpecialis inſtat implendi naturalia præcepta, & vitandi grave peccatum, aut urget tentatio. Omnibus etiam auxilia ſufficientia, tribuentia poſſe ad actus ſupernaturales, aut ad ſalutem conſequendam, quantùm eſt ex parte ſua, præparat, & offert; quæ oblatio auxiliorum ſufficientium, & remedii ad ſalutem, vera gratia eſt, cùm ex juſtitiâ potuerit ea omnibus, & ſingulis hominibus denegari, non ta-

tamen denegat, ſed omnibus & ſingulis offert; licèt de facto aliqui ea non recipiant propter altius Dei judicium. En qualiter verum eſt, *Chriſtum* pro omnibus paſſum, & mortuum fuiſſe, & quòd omnibus auxilia neceſſaria ad ſalutem præparat, & offert ex intentione ſalutis, etiam illis, quibus non eſt prædicatum Evangelium.

75. At cùm ex auxiliis intrinſecis alia dentur, ut poſſimus immediatè operari actus ſupernaturales, ut ſunt actus Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ ſupernaturalis, nec non actus ſive proximè, ſive remotè diſponentes ad illos: alia autem tribuantur immediatè ad actus, qui ſecundùm ſuam ſpecificam rationem non excedunt facultatem naturæ, abſolutè loquendo, quamvis excedant vires naturæ lapſæ; ſicut ſunt actus dilectionis Dei naturalis ſuper omnia, & efficax converſio in bonum ſecundùm rationem proportionatum; jam modum, quô hæc auxilia diſponant ad ſalutem, examinare operæpretium duximus. Enim verò ſi nomine auxilii ſufficientis remoti intelligantur auxilia remotè diſponentia ad ſalutem, quatenus illis præſtant vires ad actus aliquos ſalutares, quibus à longè viam ſibi ad juſtitiam parant, removendo, quantùm eſt ex parte ſua, impedimentum, quod eſſet receptioni gratiæ, quam ſupra capacitatem appellavimus, hæc minimè inficiamur: conſtat quippe ex dictis toto Dubio præcedenti, hæc auxilia à Deo omnibus dari. At quòd actus iſti naturales eliciti ex vi auxilii ſupernaturalis ſint diſpoſitiones remotæ ſimpliciter tales ad ſalutem; hoc & ibi negavimus, & iterum negandum credimus.

76. Primò: quia actus iſti non poſſunt dici diſpoſitiones, etſi remotæ, ſimpliciter tales, ad gratiam juſtificationis; cùm actus non ſit diſpoſitio ſive proxima, ſive remota ad gratiam, niſi quâ ratione eſt ordinis ſupernaturalis; ſed actus iſti, etſi eliciti medio auxilio ſupernaturali, ſunt ordinis longè inferioris ad ordinem, in quo eſt ſalus, & juſtificatio noſtra: ergo non poſſunt dici diſpoſitiones, nec proximæ, nec remotæ propriè tales ad juſtificationem. Minor probatur: nequeunt actus eſſe ſupernaturalis ordinis, niſi detur principium ſupernaturale potentiam elevans ad eliciendos ejuſmodi actus; cùm nequeat actus ſecundus eſſe ſupernaturalis, niſi actus primus, ſeu principium ſit ejuſdem ordinis; ſed Theologi aſſerentes, dari auxilium ſupernaturale, ad faciendum quod eſt in ſe, Infidelibus negativis, non propugnant, elevari iſtos medio tali auxilio ad ſupernaturaliter operandum; cùm tales actus naturales ſint, & deficiat eis objectiva propoſitio finis ſupernaturalis: ergo non ſunt vera, & propriè talis diſpoſitio remota ad juſtificationem.

77. Secundò: ſuppoſitâ illâ determinatione Dei de conferenda gratia facientibus quod eſt in ſe, rogo, utrum actus illi ſint, ſicut oportet, ut juſtificationis gratia immediatè conferatur, vel mediatè ſolùm, mediis nempè aliis actibus elicitis ex auxilio gratiæ prævenientis ad actus illos naturales conſecutæ? Si primum: ergo actus merè naturales ſunt, ſicut oportet, ut eis juſtificationis gratia conferatur. Si ſecundum: ergo actus illi naturâ ſuâ non ſunt ejuſmodi, nec tales evadunt ex vi auxilii

generalis; ſed alii actus ſupernaturales eliciti ex auxilio conſequente actus illos naturales, quod Deus miſericorditer conferet facientibus quod eſt in ſe; nempè motus ſupernaturalis ad bonum à Deo immiſſus, & ſupernaturalis illuminatio de credendis, erunt, quibus diſponentur ad juſtitiam, ut ſic excitati divinâ gratiâ, & adjuti moveantur in Deum; ſed gratia ſic voluntatem elevans eſt propriè gratia *Chriſti* diſtincta ab illo auxilio ſupernaturali, quò infidelis facit quod eſt in ſe; ergo auxilium, quô proximè, vel remotè diſponitur ad juſtificationem, non eſt auxilium generale ordinis ſupernaturalis, quod ſolùm propter infirmitatem naturæ ad actus naturales conceditur.

78. Tertiò: in tantùm actus iſti poſſunt eſſe diſpoſitiones propriè tales remotè diſponentes ad ſalutem, in quantùm connectuntur cum aliquo, & eò mediante cum alio tertio immediatè connexo cum ſalute; ſed bonum opus morale intra ſolum naturæ ordinem contentum nequit connecti immediatè, nec mediatè cum aliquo ſupernaturali dono connexo cum ſalute: ergo nequit eſſe diſpoſitio ſive proxima, ſive remota ad juſtificationem.

79. Tandem: omne opus conferens ad ſalutem per modum diſpoſitionis proximæ, vel remotæ, dicitur in Conciliis, & à SS. PP. non poſſe fieri ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, impulſu, & adjutorio. Hoc expreſsè definiunt *Concilium Arauſicanum* 2. can. 3. dicens: *Si quis per invocationem humanam, gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ dicenti: Inventus ſum à non quærentibus me.* Et can. 6. Dubio præcedenti citato num. 110. *Et Tridentinum* ſeſs. 6. cap. 5. dicens: *Declarat præterea, ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei, per Chriſtum Jeſum, præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur &c.* Quod teſtatur *Auguſtinus* lib. 2. contra duas Epiſt. *Pelagianorum* cap. 8. dicens: *Non ait, ſine me nihil poteſtis perficere, ſed facere. Nam ſi perficere dixiſſet, poſſet ille dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt, ſed ad perficiendum eſſe Dei adjutorium neceſſarium. Dominus enim, cùm ait, ſine me nihil poteſtis facere, hoc uno verbo initium, finemque comprehendit.* At opera iſta moralia, quibus infidelis negativè talis facit quod eſt in ſe, graviſſimi Theologi tam intra, quàm extra Scholam *D. Thomæ* propugnant fieri poſſe abſque omni auxilio ſupernaturali, cum ſolo auxilio ſpeciali ordinis naturæ: ergo non ſunt diſpoſitiones remotæ propriè tales ad ſalutem; aliàs neſcio, quomodò excuſari poſſent AA. iſti, cùm initium fidei, ſive diſpoſitiones remotæ ad ipſam eſſent ex viribus naturæ ſolùm auxilio ejuſdem ordinis, ſine gratia ſupernaturali, præveniente.

80. Ex his clariſſima eſt argumenti ſolutio: neganda eſt enim minor ſubſumpta. Nam potentia ad acquirendam ſalutem importat non ſolùm poſſe ſalvos fieri, ſed etiam poſſe ſe ſalvos facere. Ad hoc ſecundum requiruntur omnia conſtitutiva potentiæ actu talia: ad primum verò ſolùm requiritur capacitas hujus conſtitutionis cum dependentia à miſeri-

ſericordia Dei, qui, ſi intra naturalis honeſtatis terminos rectè operati fuerint, illos gratiâ ſuâ illuminabit, & elevabit. Ad confirmationem diſtinguenda eſt major: habet ſemper in illis aliquem effectum ordinatum ad ſalutem, qui ſit propriè diſpoſitio ſimpliciter talis proxima, vel remota ad illam, nego majorem: qui ſit diſpoſitio non ſimpliciter talis, concedo majorem, & conceſsâ minori, neganda eſt conſequentia. Tantùm quippe probat objectio, quòd habeant Infideles negativi auxilium entitativè ſupernaturale ſufficiens ad implendum præceptum naturale, quo tenentur ſe convertere in Deum, tanquam in finem ultimum proponendo illi placere in omnibus, atque ſervare omnia præcepta naturalia. At hoc auxilium non eſt auxilium ſufficiens, quo conſtituatur poteſtas ad ſupernaturaliter operandum; cùm non involvat cognitionem finis ſupernaturalis. Deus ergo facienti quod eſt in ſe, non denegabit gratiam, illuminabit eum lumine ſupernaturali, eumque excitabit auxilio ſufficienti ad credendum fide Theologicâ; non propter aliquod jus, vel connexionem intrinſecam ſuorum operum cum gratiâ ſupernaturali conferenda, ſive cum gratia primò excitante ad fidem; ſed purè ex piiſſima ejus miſericordia, quâ nulli deeſt facienti quod eſt in ſe: quare licèt omnibus voluntate antecedente velit dare auxilia, quibus ſint potentes in ordine ſupernaturali, voluntate tamen conſequente pluribus, ob occulta ſua judicia, negat cognitionem finis.

81. Occultiſſimam eſſe cauſam, cur ad illum veniat cognitio finis, ad illum non veniat; eſſeque hoc ad inſcrutabilia Dei judicia referendum docet S. *Auguſtinus* de grat. & liber. arbitr. cap. 22. dicens: *Fiunt verò iſta per occultam Dei providentiam, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & inveſtigabiles viæ: quod ut Apoſtolus diceret, quid prædixerit intuemini. Agebat enim de Judæis, & Gentibus, cùm ſcriberet ad Romanos, id eſt ad Gentes, & ait Rom.* 11. v. 30. *Sicut enim aliquando vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis in illorum incredulitate: ità & hi nunc non crediderunt in veſtra miſericordia, ut & ipſi miſericordiam conſequantur: concluſit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium miſereatur. Et cum adtendiſſet quid dixerit, admirans ſententiæ ſuæ certam quidem veritatem, ſed magnam profunditatem, quomodò concluſerit Deus omnes in infidelitate, ut omnium miſereatur, quaſi faciens mala, ut venirent bona, mox exclamavit, atque ait v.* 33. *O altitudo divitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus!* Neque omittendus hìc planè S. Doctor id ipſum egregiè tradens Epiſt. 94. ad *Sixtum* dicens: *Quomodò enim invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodò credent, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante? Igitur Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti. Proindè miniſter Chriſti hujus Fidei prædicator, ſecundùm gratiam, quæ data eſt illi plantator eſt, & rigator. Nec tamen qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus, qui unicuique partitur menſuram Fidei. Undè & alibi dicitur: Pax Fratribus, & charitas cum Fide: quam ne ſibi tribuerent conti-*

nuò

nuò ſubjunxit: A Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto: quia nec omnium eſt Fides, qui audiunt verbum, ſed quibus Deus partitur menſuram Fidei: ſicut nec omnia germinant, quæ plantantur, & rigantur, ſed quibus Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & ſi miraculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem vident, altitudo eſt divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & apud quem non eſt iniquitas, dum cujus vult miſeretur, & quem vult indurat; neque enim proptereà ſunt iſta injuſta, quia occulta. Hæc ſunt inſcrutabilia Dei judicia; nam cùm gratia ſecundùm beneplacitum Dei detur, & non ſecundùm debitum, quæſtio de diſtributione gratiæ inſcrutabilis eſt.

§. IV.

Quædam ex Ortizio *objecta diluuntur.*

82. AUctor Caducæi Theologici, cùm nihil ſingulare reponendum haberet eis, quæ dixi de ſpeciali gratia *Chriſti*, ſive proximè, ſive remotè tali; & aliâ magis communi, quæ non ſolet eâdem nomenclaturâ inſigniri, varios opponit cavillos à pag. 546. è quibus, quòd levioris momenti ſint, aliquos ſolùm obiter attingemus. Dicit ergo pag. 547. num. 124. *At, cùm apud R. Benitez, & nos cum communi Theologorum requiratur ſupernaturale principium, tale munus diſpoſitionis remotæ, non eſt extimeſcendum.* Sed quid indè ad rem noſtram? Sanè ego non nego auxilia quæcumque ſupernaturalia dici poſſe diſpoſitiones remotas ad juſtificationem: ſed inter remotas diſpoſitiones illas datur adhuc latitudo, prout ipſe Caducifer alibi agnoſcit; quàmvis hìc videatur oblitus illorum, quæ dixerat; ſive, ut meliùs dicam, non præviderit, dùm me arguebat, ſibi aliquandò uſui futuram latitudinem inter auxilia remotè ſufficientia ad ſalutem. Etenim pag. 558. num. 144. in fin. ita perorat: *Quarè ſemper remanet ſua juſta diſtantia, & quidem judicio Dei calculanda, inter ſufficientias proximas, & proximiores; remotas, & remotiores: itidemque inter gratias proportionatas, & uberiores.* Ad hæc ſi attendiſſet, nihil ſupererat in meis dictis criticandum.

83. Etiam pag. 248. num. 126. ut habeat in quo me redarguat, affingit mihi, quòd ad probandam diſtinctionem illius gratiæ prioris ſupernaturalis, quæ non ſit ſtrictè gratia *Chriſti*; & alterius poſterioris, quæ verè ſit talis, uſus ſim textu *Auguſtini* Serm. 11. de verbis *Apoſtoli* cap. 5. dicentis: *Exceptâ illâ communi gratiâ naturæ, quâ homines facti fuimus, nec digni fuimus: exceptâ illâ gratiâ, hæc eſt major gratia, quâ facti ſumus populus ejus, & oves Paſcuæ ejus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum:* ac tùm quaſi inſultans, & ovans exclamat: *Undè quid, quæſo, ad rem?* Sed reflecte, Lector, quòd illo textu uſus fuerim, & modò utor num. 48., non ad probandam illam diſtinctionem, ut Mercurii fide fingit *Ortizius*, ſed ad ſolvendum argumentum,

tum, quô aliqui ex libro citato *S. Auguſtini* contendunt probare, nullam gratiam dari omnibus communem: ad quod reſpondeo, *Auguſtinum* ibi loqui de gratia efficaci, nunc addo, vel etiam ſanctificante, idque probo ex verbis paulò antè hìc adductis. An benè, tu Lector Judex eſto: nec non ſuper his, quæ ibidem addit: *Reliqua debiliora ſunt, ut ibi cernere licet.... Ex quibus etiam videtur everti illa duplex ſufficientia, quam Dub. 2. num. 32. conatur partiri* &c. Ego verô Lectorem rogo, nè nudis hiſce verbis nimium fidat: ſed adeat ipſe quæ dixi in præſenti Dubio à num. 18. & deſpiciat, an ea ſint ſufficienter ſoluta ab *Ortizio*.

84. Venit deindè ad SS.PP. & nominatim *S. Fulgentium*. De primis dicit, quòd eorum textus à me adducti, *clariſſimè exponuntur de eo, quòd non omnibus datur gratia congrua, & efficax: vel auxilium proximè ſufficiens ad Fidem explicitam Chriſti* &c. Sed nonnè hoc dicendo concluſionem meam firmat? Cùm enim gratia congrua, vel efficax, juxta ipſum, ſola ſit proximè ſufficiens; alia, quam ſecundo loco commemorat, debet eſſe remotiùs ſufficiens; niſi per turpem battologiam idem auxilium numero, diverſis verbis bis voluerit Lectori obtrudere; quod cùm non ſit credibile, ſequitur ex ejus dictis, quòd juxta SS.PP. non omnibus hominibus detur gratia proximè, aut remotè ſufficiens ad credendum in *Chriſtum*, quam Theologi ſolent antonomaſticè, ut ex Cardinali *de Aguirre* probavi, vocare gratiam *Chriſti*; atque hoc eſt, quod ibidem probandum aſſumpſeram.

85. Accedit ad D. *Fulgentium*, dicitque, quòd dùm cap. 15. *Dicere videtur traditionem eſſe Patrum, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari*, intelligendus ſit, quòd non æqualiter detur. Sed longè diverſa eſſe, gratiam non omnibus *generaliter* dari, & gratiam non omnibus *æqualiter* dari, quis non videat? Primum aſſeruerat D. *Fulgentius* cap. 14. at ſecundum aſſerit cap. 15. Addit deindè Caducifer: *Vel etiam intelligi poteſt de gratia habituali, & juſtificante, ſeu de fide formata charitate*. At non patiuntur talem explicationem verba, quæ adduxi ex cap. 17. ubi *Fulgentius* ait: *Non omnibus gratiam dari, quiſquis piè quærit, eloquiorum Sanctorum adteſtatione cognoſcet*. Ubi manifeſtè loquitur de gratia, quæ, an omnibus detur, *quæri poteſt*, & diſputari: verùm quis umquàm quæſivit, aut diſputavit, an omnibus detur gratia ſanctificans, ſeu fides charitate formata? Quæratur ergo etiam: an Sol luceat mediâ nocte? Minimè ergo ſatisfaciunt expoſitiones Caduciferi.

86. Graviùs me arguit pag. 549. num. 129. quaſi enormiter exceſſiſſem contra *P. Vazquez*, dicentem: *Fateor ſanè, ſuſpecta mihi eſſe teſtimonia Proſperi, & Fulgentii*. Sed correctione hìc indiget intempeſtivus Corrector. Non enim verba illa citata, quæ tàm parùm curavit Lectori ea expendenda dimiſerim, dicens: *Cur ſuſpecta ſint illi Proſperi, ac Fulgentii... alii dijudicent*; ſed quæ ſequuntur, mihi prorsùs intolerabilia viſa ſunt. Quis enim patienter ferat privatum Theologum tres SS. PP. *Auguſtinum*, *Proſperum*, *Fulgentium*, in ma-

materia gratiæ facilè coriphæos, temeritatis arguentem? Hoc tamen facit *P. Vazquez*, ità concludens: *Cùm ergo nullo ex his modis* (Scripturâ, aut revelatione, ſeu traditione, ut præmiſerat) *Dei propoſitum nobis notum ſit, temerè affirmabimus illud auxilium aliquibus denegari*. Præmiſerat *S. Auguſtinum*, & cum eo *Proſperum*, & *Fulgentium* tale propoſitum Dei tradidiſſe: an ergo temerè illi SS. PP. hæc docuerunt? Audiendus *P. Vazquez* ſubjungens: *Atque ab Auguſtino, & aliis*, (Proſpero ſcilicet, ac Fulgentio) *qui id docuerunt, petere poſſumus; undè nam hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti*. Quaſi diceret, PP. illi tale Dei propoſitum, ſine Scriptura, revelatione, aut traditione; immò nullo ſolido, quòd appareat, fundamento innixi, adeoque temerè docuerunt. An tàm Magiſtrale ſupercilium, quò ad SS. illos PP. ferulam extendit *P. Vazquez*, à Catholico Theologo patienter eſt ferendum? Non exiſtimo. Placet mihi digna *D. Fulgentio* ſententia ſuprà num. 16. adducta: *Dignùm eſt, ut in ſingulis quiſque ſententiis, in quibus nubilo cujuſquam obſcuritatis ambigimus, Sanctorum Patrum definitionibus hæreamus, quos præveniens, miſericordia Dei gratis illuminavit, & ſequens inſtruxit ſpiritualiter, ut docerent. Hi enim Apoſtolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certiſſimè cognoverunt, cognoſcendumque libris, & Epiſtolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus generaliter dari*. Cùm autem *P. Vazquez*, quem Caducifer pag. 549. num. 129. *Virum verè Principem Theologorum* nominat, SS. *Auguſtinum*, *Proſperum*, ac *Fulgentium* in noſtra eſſe ſententia fateatur; & ultimus diſſertè aſſerat, ſe ex SS. PP. illam hauſiſſe, ſequitur fruſtrà laboraſſe Caduciferum, dùm contra me aut *S. Fulgentium*, aut alios PP. citat, quos meliùs, haud dubiè, intellexit *S. Fulgentius*, quàm *Martinus Ortiz* Auctor Caducæi Theologici; undè ab eorum locis expendendis ſuperſedeo. Unum addam, ut ſuperſedeat etiam Caducifer ab odioſis illis verbis, quibus mecum agit num. 129. temerè, & inconſultè exclamans: *Planè exceſſiſſe videtur R. Benitez .... ſed ideò exceſſit, quia inſigniter hallucinatus eſt, tùm quia mentem P. Vazquez non eſt aſſecutus*. O ſæveram annotationem! Sed planè conſtat me de aſſequenda mente *Vazquezii* in hoc puncto parùm fuiſſe ſollicitum; immò aliis hoc, quibus plus otii eſt, dimiſiſſe: unicèque reſpexiſse in illum jam dictum, & ab aliis etiam obſervatum, exceſſum.

87. Hìc etiam obſervandus venit modus ſingulariſſimus, quò diſcurrit *Ortizius* pag. 552. num. 134. *Ex 2. 2. q. 2. art. 5.* inquit, *tantùm deducitur Fidem Chriſti explicitam, ſive auxilium proximè ſufficiens poſſe à Deo juſto judicio negari aliquibus, ſive propter peccatum perſonale, ſive propter ſolum originale. Quæ aſſertio pergit inoffenſa, quoties omni homini venienti in hunc mundum affulgeat ex Chriſto lux talis, licèt remota, ex qua implicitè credentes in Chriſtum poſſint ſimpliciter juſtificari, licèt uberiorem gratiam, & Fidem explicitam juſtiſſimâ Dei providentiâ non aſſequantur, ut ait S. Doctor q. 14. de verit. art. 11. ad 1. ibi: Siquis in ſylvis, &c. ubi pro revelatione ſolùm intelligitur noti-*

tia

tia implicita, vel explicita eorum, quæ oportent ad ſalutem: & ſi plenè declinaret à malo, & faceret bonum, Fide explicitâ donaretur; niſi aliundè altiora Dei judicia ſcirent, id non fore illi conſultius ad vitam æternam capeſſendam. Hæc Caducifer. Sed libenter peterem ab eo, cur *S. Thomas* recurrat ad peccatum perſonale, vel ſaltèm originale, ſi non loquebatur de negatione alicujus neceſſarii ad juſtificationem? An eſt opus juſti judicii, an potiùs miſericordiæ negare alicui notitiam ejus, quod ignorare eſt illi conſultius ad vitam æternam capeſſendam? Putarem ego potiùs hoc poſterius; nec omninò videtur diſſentire Adverſarius, dùm ſecundô locô recurrit ad altiora Dei judicia: *Niſi aliundè*, ait, *altiora Dei judicia ſcirent, id non fore illi conſultius ad vitam æternam capeſſendam*. Secundò: aberrat hìc toto ſcopo Caducifer. An putat bonâ fide, quòd aliquibus ſit conſultiùs ad ſalutem neſcire explicitè myſteria Incarnationis, Paſſionis, Mortis *Chriſti*? Si ita exiſtimat, quidni dicantur Prædicatores Fidei apud Barbaras Nationes prudenter quandoquè abſtinere ab annuntiando *Chriſto* Crucifixo, præter quem nihil ſe ſcire arbitrabatur *Paulus*, Gentium Apoſtolus; tunc ſcilicet, dùm timerent Crucem *Chriſti* ipſis ſcandalo futuram, aut ſtultitiam reputandam? Quò iſta tendant, patet ſatis, me tacente: undè hæc conſideranda relinquo, quibus puritas Evangelii annuntiandi cordi eſſe debet. Si igitur hæc vera ſint: ergo nocere poterit aliquandò ſaluti hominum notitia eorum, quæ Deus dignatus eſt operari pro ſalute hominum. Ut quid etiam Eccleſia per Summos Pontifices mandat Miſſionariis, ut *Chriſtum*, & hunc Crucifixum, annuntient populis, ad quos deſtinati ſunt, etiam in Chinis, abſque ulla exceptione, diſtinctione, aut reſtrictione? Quòd ſi verum ſit, ut prætendit Caducifer, fieri poſſe, ut notitia explicita Redemptoris ſit alicui minùs conſulta ad ſalutem, nonnè deberet Eccleſia hunc caſum excipere? Nonnè deberet Miſſionarios monere, ut prudenter advertant, nè annuntient *Chriſtum* illis gentibus, quibus Crux *Chriſti* ſcandalo eſſet futura? Nihil tamen horum Eccleſiæ Pontifices faciunt.

88. Sed quid hæc commemoro? Nonnè Apoſtoli ipſi, priuſquàm in diverſas mundi plagas, Evangelium omni creaturæ annuntiaturi, dividerentur, Symbolum noſtræ Fidei condiderunt, in quo nedùm poſteriores *Chriſti* gloriæ, ſed paſſio, crucifixio, mors *Chriſti* continebatur? Quis autem hucuſquè vel ſomniavit illos, quibuſdam quidem gentibus omnes illos articulos, aliis verò ſolos ad *Chriſti* gloriam pertinentes, annuntiaſſe? Sanè antiqua monumenta recenter detecta ſat indicant Crucem *Chriſti* primis Eccleſiæ ſæculis iis etiam gentibus annuntiatam fuiſſe, de quibus aliquandò dubitatum fuit, expediretnè eiſdem mortem, ac Crucem *Chriſti* annuntiare. Referam ſolùm ea, quæ legi poſſunt apud *Bollandiſtas* tom. 4. Julii pag. 15. *P. Michael Boimius Soc. Jeſu Miſſionarius in China ſcribit, necdùm certò concludi poſſe, quòd S. Thomas Apoſtolus per ſe apud Sinas diſſeminaverit Evangelium. Non negat tamen, Catholicam Fidem jam à multis ſæculis in Sinenſe imperium illatam fuiſſe. Nàm . . . aſſerit repertam Crucem ferream in-*

ingentis ponderis, cui inſcripta erat Sinica Æra, quæ cadit in annum à Chriſto nato 239. *Deindè dicit anno* 1625. *propè Urbem Sigansù in Provincia Xenſi erutum marmoreum lapidem, cui inſcripta erant præcipua Religionis noſtræ myſteria, & nomina Sacerdotum, qui anno Chriſti* 636. *extinctam Chriſtianæ legis notitiam renovarunt. Vide Kircherum in China illuſtrata part.* 1. *cap.* 2. Hæc *Bollandiſtæ*. De aliis nationibus quod ſciam, nuſquàm dubitandum eſt. Igitur primis Eccleſiæ ſæculis nuſquàm dubitatum fuit, an ignorare *Chriſti* Crucis myſterium, magnum, inquam, pietatis Sacramentum, an ſcire, ſit conſultius quibuſdam nationibus ad vitam æternam aſſequendam: prout de eo recens dubitat Caducifer, *Martinus Ortiz*.

89. Sed demus tantiſper, fieri poſſe, ut conſultius ſit magnum pietatis ſacramentum ignorari; demus & hoc, quod idem prætendit *Ortizius*, Fidem Incarnationis, & mortis *Chriſti* non eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad juſtificationem, & ſalutem; clamet licèt Princeps Apoſtolorum Act. 4. *Hic eſt lapis ... qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*: demus, inquam, illa duo: nullum indè detrimentum patitur ſtabilita à me aſſertio: nimirum, non omnibus omninò infidelibus dari gratiam illam antonomaſticè dictam gratiam *Chriſti*, ſive auxilium proximè ſufficiens, ſenſu Jeſuitico, ad juſtificationem, & ſalutem. Enimverò nonnè olim aſſerebatur detectas in America gentes, quibus Deus adeò erat ignotus, ut nè nomen quidem, quo eum compellerent, haberent? Quo argumento olim contendebatur poſſe Deum invincibiliter ignorari, adeoque dari poſſe peccatum purè Philoſophicum, quod non foret offenſa Dei, neque peccatum diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum. Illæ gentes habebantnè auxilium proximè ſufficiens ad juſtificationem, & ſalutem? Saltem negari non poteſt, quin credere *oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit*: hoc illæ credere proximè non poterant, nàm Deum prorsùs ignorabant. Igitur non omnibus omninò datur illa gratia proximè ſufficiens ad ſalutem, quam antonomaſticè gratiam *Chriſti* dicere poſſumus.

90. Reponi poſſet ex Caducifero pag.553. num.136. *Plures Hiſtoriæ ſunt, in quibus homines Barbari tali auxilio remoto à Deo perculſi, vel exibant ad quærendum in Nationibus illud ſupremum Numen, quod eorum corda tetigerat, & apud ſuos nuſpiàm conſtaret; vel accerſebant ſpontè alios homines, de Religione differentes, & maximè Prædicatores Catholicos, quos inaudierant quoddam Numen verum, & altiſſimum perſonare. Sed quid de illis, quorum corda non ita tanguntur? Aut quid, ſi illi quoque, qui ſic tacti ſunt, nullo ex his modis id aſſequi poſſent Numen?* Reſpondet Ortizius: *Reſpuendo vanitates, & inſanias falſas, Deum intrinſecùs, quomodò vult inquiri, quærerent; ſi fortè eum attrectarent*. Quid ergo peccavit *Eraſmus*, ſi *Socratem*, *Platonem*, *Senecam*, alioſvè hujuſmodi viros in Gentilitate egregios Cœlo donavit? Si ſufficiat reſpuere vanitates, & inſanias falſas ad juſtifi-

ſtificationem: ergo à fortiori ſufficiet fides latè dicta ex teſtimoniis creaturarum, ſimilivè motivo; ſperari ergo poterit, multos, in Gentilitate mortuos, in ſtatu gratiæ diſceſſiſſe. Hæc meditetur *Ortizius*, videatque, an cum his cohæreat ſua de generalitate gratiæ *Chriſti*, proximè ſufficienti ad juſtificationem, & ſalutem omnibus hominibus, illis etiam qui Deum ignorant, impertita, ſententia.

91. In confirmationem adduci poſſunt, quæ habet *Ortizius* pag. 323. num. 122. dicens: *Auxilium verò ſufficiens infideli collatum tale eſſet, ut, ſi conſentiret, ſalvaretur, vel in Fide explicita Chriſti, ſi ei annuntiaretur, vel cum implicita ſolius Dei Remuneratoris*. Igitur ſecundùm hoc, Fides explicita Remuneratoris non eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem; quod directè adverſatur *Apoſtolo*, dicenti ad Hebr. 11. v. 9. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit*: quibus fidem explicitam tàm exiſtentiæ Dei, quàm Remuneratoris expoſcit; cùm eodem tenore utriuſque veritatis fidem requirat; & de exiſtentia Dei fidem explicitam eſſe neceſſariam, nullus eſt, qui dubitet. Quarè ſequentem propoſitionem damnavit *Innocentius XI. Non niſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris*: niſi enim fidem explicitam de remuneratione haberemus, remunerationem certò ſperare non poſſemus; cùm ſpes Chriſtiana certitudinem non habeat aliam, niſi derivatam à certitudine Fidei.

92. Non minoris inefficaciæ eſt paralogiſmus, quem conficit *Ortizius* num. 135. pag. 552. ubi promittebat ſe breviuſculo ſyllogiſmo, cujus major ſit ex à me conceſſis, & minor clarè ſit *S. Thomæ*, oſtenſurum, in Infidelibus negativis dari poſſe fidem implicitam Dei Auctoris ſupernaturalis. Videamus quid proferat magno hic promiſſor hiatu. Refero verba ipſius: *R. Benitez pag.* 102. *num.* 60. *ait*, *implicitè aliquid credere, eſt illud credere ſolùm ut contentum in alio univerſali explicitè, vel diſtinctè cognito*: *atqui D. Thomas* 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 3. *loquens de infidelibus negativis*, *ait ſic*, *ſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam Divinâ providentiâ credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundùm modos ſibi placitos, & ſeccundùm quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus revelaſſet*: *in qua univerſalitate clauditur Dei ſupernaturalitas, Trinitas, Incarnatio, & Redemptio*: *ergo infidelibus negativis debet concedi fides implicita ſaltem in illa primæva illuminatione ſupernaturali, quam non negat R. Benitez*. Nonnè bellè ſolvit promiſſum? Probandum erat, in infidelibus negativis poſſe reperiri fidem implicitam Dei, ut Auctoris ſupernaturalis: probat autem, ſolùm dari fidem aliquam implicitam. Nec ſolùm malè probat, quod erat probandum, ſed turpiter errat dicendo, *S. Thomam* ibi agere de infidelibus negativis. Manifeſtè enim loquitur *Sanctus Thomas* de illis Gentilibus, qui habuerunt fidem explicitam Dei, ejuſque providentiæ ſupernaturalis: tùm quia loquitur de illis Gentilibus, qui fortè ſalutem conſequuti ſunt abſque revelatione de *Chriſto*; qui tamen neceſſariò fidem habere debuerunt Dei Remuneratoris ſuper-

pernaturalis; quia ſine fide ſupernaturali *impoſſibile eſt, placere Deo*: &: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit*. Tùm quia apertè id verba ejus teſtantur: *Si qui tamen*, inquit *S. Thomas*, *ſalvati fuerunt*, *quibus revelatio non fuit facta*, (de Chriſto ſcilicet: *nàm antè dixerat*: quòd *multis Gentilium facta fuit revelatio de Chriſto*; & adductis exemplis *Job*,& *Sybillæ*,&c. ſubjungit) *Si qui tamen &c. non fuerunt ſalvati abſque fide mediatoris*: *quia etſi non habuerunt fidem explicitam* (ſupple mediatoris;) *habuerunt tamen fidem implicitam*, *in Divina providentia credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundùm modos ſibi placitos* &c. Ubi patet manifeſtè, *S. Thomam* loqui de Gentilibus credentibus Deum eſſe liberatorem hominum, ſeu proviſorem, & *in Divina providentia*, implicitè mediatorem: adeòque non loquitur de infidelibus negativis, cùm fides in Deum proviſorem deſtruat infidelitatem negativam. Quapropter *S.Thomas* non utitur voce *Infidelium*, ſed *Gentilium*, quorum multi fuerunt fideles, ut *Job*, & alii. Ubi obſervandum venit medium explicitè creditum, in quo iſti dicuntur implicitè credidiſſe mediatorem, ſcilicet *in Divina providentia*; ſic enim legendum eſt, non, *Divina providentia*. Perperàm ergo ex hoc loco probare intendit Caducifer Fidem Dei Auctoris ſupernaturalis inveniri poſſe implicitam in infidelibus negativis; cùm aſſignabile non ſit medium, explicitè fide ſupernaturali creditum, in quo implicitè hæc veritas contineatur, aut credi poſſit. Niſi fortè dicat quis Deum Auctorem ſupernaturalem contineri implicitè in Deo Auctore naturæ. Sed idem valeret, ac dicere, quòd *Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit*, quod eſt condemnatum ab *Innocentio XI.* Et fortè id eſt, quòd voluit Caducifer ſignificare in fine num. 136. pag. 553. dicens: *Et qui nullo ex his modis* (quærendo Prædicatores, eoſve accerſendo) *id* (Numen verum) *aſſequi poſſent*; *reſpuendo vanitates & inſanias falſas, Deum intrinſecùs* (implicitè) *quomodò Deus vult inquiri, quærerent, ſi fortè eum attrectarent*. Satis ſit hæc dixiſſe pro reſponſione Dubii, & ſolutione eorum, quæ nobis in re tam difficili objicit *Ortizius*.

DU-

DUBIUM III.

Utrum de Fide ſit, quòd in Infidelibus negativis intrinſecè recepta inveniantur auxilia, quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, illa ſcilicet, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria, ut homo poſſit, tam proximè, quàm remotè conſequi ſalutem æternam?

§. I.

Quæſtio proponitur, & explicatur.

1 DIFFICILLIMIS in rebus, & obſcuris cavenda temeritas, maximè in aliorum doctrinis judicandis: quia dum aperta Divina Scriptura, Conciliorum ſaluberrima auctoritas, & Summorum Pontificum definitio non ſubvenit; res eſt naturaliter periculoſa, quæ etiam Sapientûm modulum vincit, ut ſcripſit *S. Auguſtinus* dilectiſſimo filio, & Condiacono *Quodvultdeo* Epiſt. 222. ardentiſſimo ſtudio poſtulanti ab ipſo, ut de omnibus hæreſibus, quæ poſt Domini Salvatoris adventum adversùs ejus doctrinam pullulaverunt, aliquid breviter ſcriberet. Difficultatem operis oſtendit S. Doctor ſequenti reſponſione: *Philaſtrius quidam Brixienſis Epiſcopus, quem cum S. Ambroſio Mediolani etiam ipſe vidi, ſcripſit hinc librum, nec illas hæreſes prætermittens, quæ in populo Judæò fuerunt ante adventum Domini, eaſque viginti octo commemoravit, & poſt Domini adventum* CXXXIII. *Scripſit hinc etiam Græcè Epiſcopus Cyprius Epiphanius in doctrina Catholicæ fidei laudabiliter diffamatus: ſed ipſe utriuſque temporis hæreſes colligens* LXXX. *complexus eſt. Cum ergo ambo id vellent facere, quod à me petis, quantùm tamen inter ſe differant de numero interim ſectarum vides: quod utique non eveniſſet, niſi aliud uni eorum videretur eſſe hæreſis, & aliud alteri. Neque enim putandum eſt: aliquas ignoraſſe Epiphanium, quas noverat Philaſtrius; cùm Epiphanium longè Philaſtrio doctiorem invenerimus, ita ut Philaſtrium potius dicere deberemus latuiſſe plurimas, ſi tamen plures eſſet ille complexus, & iſte pauciores. Sed proculdubio in ea quæſtione, ubi diſceptatur, quid ſit hæreſis, non idem videbatur ambobus, & revera hoc omninò definire difficile eſt: & ideo cavendum, cùm omnes in numero redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, quamvis hæreſes ſint, aut annumeremus aliquas, cùm hæreſes non ſint.*

2. Hinc ne temerè aliquid definire humana conjectura præſumat, redarguenda jure meritò venit quorumdam in judicandis aliorum opinionibus præſumptuoſa temeritas, qui alios in nocte ignorantiæ ambulare credentes, meridiem ſe aſpexiſſe exultant; & de doctrinis, quas for-

fortè non didicerunt, immoderato, & cœco affectu judicant. Quod doctrinæ ipſorum eſt contrarium, error illicò eſt; viros aliàs Catholicos notis gravioribus inurunt; ac ſi non eſſet Supremi Eccleſiæ Capitis, cui hoc infallibile reſervatum eſt judicium, in veritate judicare; nec ejus debeat expectari ſententia, unde jam non liceat provocare; quod ſemper reprehenſibile fuiſſe in Eccleſia obſervat Mag. *Cano* lib. 8. cap. 4. dicens: *Nobis ſchola noſtra magnam quidem dat licentiam, ut quodcumque maximè probabile occurrat, id noſtro jure liceat defendere; ſed non licet tamen eos, qui nobis ſunt adverſi, temerè, ac leviter condemnare.*

3. Verùm cum his noſtris temporibus inſurrexerint aliqui, ſententiam negativam tanquàm hæreticam peſtem ab auribus, animoque fidelium pellendam declarantes; in hac tanta rerum perturbatione, quâ maximè jure meritò perturbantur nonnulli, cùm iſta me aſſertio diu cruciaret, cogitavi ſententiam iſtam modò ad rigidum ſacræ Theologiæ criterium adducere; ut ſciamus ſi quid contra fuerit ab Eccleſia definitum; in ipſaque appareat aliquid, quod dignum damnatione judicari debeat: aut ſi forſan ſacer ille Divinæ revelationis caracter affigitur opinionibus privatis, quæque à pleriſque Catholicis Theologis, omni exceptione majoribus, acriter expugnantur; dum contra ipſam, non aliud auctoritatis pondus habere dignoſcitur, niſi quod ſententia oppoſita ſit ipſis jucunda, & opportuna.

4. Et quìdem nonnulli exiſtimant, ſententiam aſſerentem, quòd in omnibus infidelibus negativè non ſit intrinſecè recepta gratia quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, eſſe ab Eccleſia anathematizatam, ſicuti & oppoſitam nonniſi adorandam, & obſequio fidei credendam. Ita tenet *P. Perrinus* in ſuo Manuali Theolog. tom. 1. cap. 11. pag. 74. *Eſt igitur* (inquit ille) *admittenda in Deo voluntas ſincera ſalvandi omnes, & ſingulos homines; & dandi omnibus, & ſingulis auxilia remotè, vel proximè ſufficientia ad ſalutem conſequendam, quod tam verum eſt, quàm certum eſt ex decretis Summorum Pontificum, Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe.* In eadem eſt ſententia *P. Fr. Paulus Lugdunenſis* Ordinis PP. Capucinorum in ſuis litteris Illuſtriſſimo ejuſdem Ordinis Epiſcopo *Meſgrigny*, de quo ſuprà Dubio præcedenti num. 8. Opinionem iſtam, ut fidei dogma propugnans. Illuſtriſs. *Sueſſionenſis Epiſcopus*, hoc ab omnibus ſæculis in Eccleſia edoctum pronuntiat. Communis eſt jam in Gallia in Schola Societatis hæc opinio, quam ſcriptis, & Theſibus publicis committunt. Solùm referam concluſionem ſolemniter propugnatam ab Alumno Scholæ Molinianæ in Academia Toloſana diebus 29. & 30. Aprilis, & 1. Maii anni 1731. his verbis conceptam: *Gratiæ ſufficientis nomine eam Eccleſia ſemper intellexit, quæ expeditam, proportionatam, ac relativam ad præſentem actualem concupiſcentiam oppoſitam, potentiam confert voluntati ad opus eliciendum, quod reipsâ non ponitur. Fidei noſtræ dogma ſit, dari talem gratiam, cujus adjutorio omnes gratiæ accipiendæ capaces, vel ipſi Judæi, Pagani, Hæretici, ita interius à Chriſto eru-*

diun-

diuntur, ut ad ſalutem valeant pervenire, idque ex Scriptura, Conciliis, & Patribus contra Janſenium unanimis Theologorum conſenſus evincit.

5. En primò qualiter gratiæ ſufficientis naturam deſcribunt, adhibito tamen eodem privato ſuæ Scholæ ſenſu, & imploratâ quoquè ſanctâ, & publicâ Eccleſiæ auctoritate, quæ juxta ipſos gratiæ ſufficientis nomine ſemper intellexit eam, quæ expeditam, proportionatam, ac relativam ad præſentem concupiſcentiam oppoſitam, potentiam confert voluntati. Secundò, non præcisè tanquàm ex Eccleſiæ indulgentia ab aliquibus propugnatam, ſed tanquàm ex Eccleſiæ definitionibus à cunctis fidelibus tenendam docent potentiam expeditam, proportionatam, adjicientes proportionis modum, relativam nempe potentiam ad præſentem actualem concupiſcentiam oppoſitam.

6. Ita ſanè eſt, quòd apud omnes Catholicos gratia ſufficiens expeditam, & ab impedimentis ſolutam vel proximam, vel remotam, id eſt vel ad operandum, vel ad orandum, potentiam tribuit vincendi concupiſcentiam, & implendi præcepta; & variis modis explicatur à Theologis potentia illa expedita. Apud *Thomiſtas* quidem potentia hæc expedita dicitur, & à concupiſcentiæ impedimentis ſoluta, quia gratia ſufficiens, ut ex voluntate Dei antecedente deſcendens, tribuit virtutem abſolutam, nedum vincendi aliquos, ſed omnes cupiditatis gradus in ſubjecto concurrentes; & in hoc ſenſu hæc potentia eſt proportionata, ut nedùm aliquos, ſed & omnes poſſit vincere concupiſcentiæ gradus. At juxta auctores oppoſitos potentia illa dicitur expedita, quia, ut reducatur ad actum, non alia requiritur gratia à ſufficiente diſtincta; ſed dumtaxat conſenſus à voluntate ſimul, & gratia illâ productus. Quod manifeſtum fit ex aſſertione propoſita §. 3. ubi dicitur: *Nos ergo cum Eccleſia veram in homine etiam poſt lapſum libertatem agnoſcentes, eam in eo conſtituimus, quòd ſit vera, propriè dicta, & ab omni impedimento inſuperabili expedita facultas eligendi pro nutu alterutram partem contradictionis; quamcumque aliam libertatis ideam, quæ ad iſtam reduci non poſſit, cum Eccleſia Catholica reprobantes.* Quæ propoſitio, etſi naturali, & obvio ſenſu intellecta recipiatur ab omnibus Catholicis; eò quòd libertas juxta omnes Catholicos, etiam in homine lapſo, importat indifferentiam activam, quâ voluntas, dum eligit, & agit unum, retinet expeditam potentiam ad oppoſitum: at illi proprium ſuæ Scholæ placitum exhibent, quæ ſtatuit, libertatem importare facultatem eligendi pro nutu alterutram partem contradictionis. Quarè his verbis exprimunt æquilibrium, quo voluntas à gratia, & concupiſcentia æqua lance libratur, ſicque ſuſpenſa, ac indifferens utrimque perindè manet, ut propriâ induſtriâ, proprioque nutu, gratiam, vel reddat efficacem per conſenſum, vel inefficacem per diſſenſum, quam potentiam ſic expeditam Fide Divinâ imperant credendam.

7. *Proportionatam* rurſus hanc dicunt; eo nempe ſenſu, quô gratiæ ſufficientis proportio dicitur omnia includere ad pietatis actum exercendum requiſita; quam potentiam ita expeditam, & proportionatam,

eſſe

eſſe relativam, potentem ad præſentem actualem concupiſcentiam, celebrant, tanquàm ab omnibus propugnandam, & Eccleſiæ judicio ſancitam, ut exprimunt verba illa: *Eccleſia ſemper intellexit*. Et omiſſo, quod jam deſeritur, quòd vox iſta *potentia relativa* fuerit in Eccleſia introducta, ut opportuna ad revincendum *Janſenium*, juxta cujus principia non alia poteſt excogitari potentia completa, quæ non ſit relativa; cùm ante natum *Janſenium*, & quamvis natus non eſſet *Janſenius*, in omni ſyſtemate deberet eſſentialiter agnoſci potentia illa relativa, quam Eccleſia ſemper intellexit, ſemper docuit. Hoc, inquam, omiſſo, relativam dicunt potentiam, non in ſenſu *Janſenii*, nec ut à *Thomiſtis* explicatur poteſtas relativa, ſeu expedita, ſeu proportionata; ſed ſub hoc nomine intelligunt æquilibrium potentiæ, quod exigit, ut vires ſint pares inter gratiam, & concupiſcentiam, vel ut gratia, quantumvis exigua, attamen voluntati tribuat vires tam perfectè æquales, & pares vincendæ concupiſcentiæ, ut ſolus voluntatis conſenſus ſtateram ad unam potiùs, quàm ad aliam partem determinet.

8. En eſſentia gratiæ illius expeditam, proportionatam, ac relativam potentiam tribuentis, cujus diſtributionem, & exiſtentiam declarant verba illa, *cujus adjutorio omnes gratiæ accipiendæ capaces, vel ipſi Judæi, Pagani, Hæretici, ita interius à Chriſto erudiuntur, ut ad ſalutem valeant pervenire*. Hanc omnibus dari accipiendæ gratiæ capacibus, ut Fidei dogma propugnant, idque ex Scriptura, Conciliis, & Patribus contra *Janſenium* ex unanimi Theologorum conſenſu evincere tentant; ac ſi reliqui Theologi, qui in hac doctrina non ſunt cum ipſis, eſſent cum *Janſenio*; quod apertiſſimè falſum eſt, cùm in contrarium ſtent maximi nominis Theologi, qui aſſertionem iſtam probabiliſſimam in Scholis propugnant, nihil in ea Fidei contrarium ſuſpicantes. Enim verò rectiſſimè ſalvant in illa, Deum voluntate antecedente velle omnium, & ſingulorum hominum ſalutem: *Chriſtum* Dominum pro omnibus, & ſingulis ſanguinem fudiſſe: Deum nemini impoſſibilia præcipere; nullum eſſe hominem, qui quamdiu vivit, non poſſit fructuosè pœnitere: non omnia infidelium opera eſſe peccata: extra Eccleſiam ſæpiùs dari gratiam: ante fidem recipi in hominibus auxilia intrinſecè ſupernaturalia: ad peccatum perſonale non ſufficere voluntarietatem peccati originalis, & ſi quæ ſunt alia dogmata, ex Conſtitutionibus Sancti *Pii V.* & *Gregorii XIII.* contra *Michaelem Bajum*; *Innocentii X.* contra *Janſenium*; *Alexandri VIII.* contra *Janſeniſtas*, & *Clementis XI.* contra *Queſnellum*, quæ ab Adverſariis incontra opponuntur. Nos verò recentem hanc Adverſariorum Theologiam pauliſper, ut faceſcat, & ſileat, rogamus, graviſſimorumque Theologorum in contrarium ſentientium, ſententiam vindicandam amplectimur; quæ ſi benè explicata fuerit, haud ſanè intelligo, cur viris doctis probari non debeat.

§. II.

§. II.

Unica Concluſio statuitur.

Non eſt de Fide, quòd Infidelibus negativè conferatur Gratia quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, ſive proximè, ſive remotè ſufficiens.

9 CUm nihil per ſe ad Fidem Eccleſiæ attineat, niſi quod à *Chriſto*, & Apoſtolis revelantibus acceptum eſt, non in quæſtione iſtâ, aliâ viâ, & ratione meliùs haberi poteſt, quid ſit de Fide, quàm Eccleſiâ ipſa duce, atque magiſtrâ. Aſſignent ergo AA. oppoſiti, quâ Eccleſiæ auctoritate, quibus Conciliorum decretis, quò Sedis Apoſtolicæ judicio, quâ SS. DD. conſenſione hùc uſque hoc nobis ut capitale Fidei dogma traditum ſit, aut expreſſum. Si namque omnes gratiæ accipiendæ capaces recipiunt hanc gratiam proximè ſufficientem: ergo nullus omninò erit adultus ratione utens, cui non detur illa gratia: idque tantâ certitudine erit credendum, quantâ creduntur alia Myſteria Fidei: quippe juxta ipſos illa gratiæ univerſalitas Fidei noſtræ dogma eſt. O certè inauditum Fidei dogma, cui primò repugnat ſacra Patrum traditio, ut Dubio præcedenti diximus, ex qua hujus, quæ in controverſiam vertitur, auctoritatis momenta haurienda ſunt.

10. Contradicunt eidem Adverſariorum poſitioni variarum Scholarum maximi nominis Theologi Catholici, tàm ex Schola D. *Thomæ*, quàm ex Theologis Societatis. Ex Theologis Thomiſtis *Caietanus* in Comment. ſuper Evangelium *Joannis* cap. 12. *Innocentius* V. Pont. M. Ordinis Prædic. in 2. Sent. diſput. 36. Mag. *Bañez* in 1. part. quæſt. 23. *Gonzalez* in eadem 1. part. quæſt. 23. Doctiſſimus *Lemos* in Panoplia Gratiæ tom. 4. part. 2. tract. 13. à cap. 8. Illuſtriſſimus *Alvarez* tract. de Auxil. lib. 11. diſput. 112. Magiſter *Gonet* de Reprobat. diſputat 5. artic. 5. *Maſſoulié* tom. 2. diſput. ultimâ, & tom. 1. diſſert. 1. quæſt. 8. art. 9. illam communem inter Thomiſtas dicit: *Communis ſententia eſt inter Sancti Thomæ Diſcipulos à Deo denegari obduratis, & excœcatis, ac Infidelibus, qui nihil unquàm de Fide audierunt, etiam ſufficientia auxilia, quibus converti, aut credere poſſint.* *Eſtius* Epiſt. ad Roman. & in 2. diſtinct. 11. diſput. 26. Illuſtriſsimus *Godoy* tractatu de Prædeſt. diſput. 70. necnon alii. His conſentiunt Theologi Societatis. Aſſentit P. *Vaſquez* 1. part. diſput. 27. num. 28. *Suarez in opere tripartìto de Gratia* part. 2. lib. 4. cap. 8. Reverendiſsimus *Tyrſo Gonzalez* tract. *de probabilitate* diſſert. 8. *Deſcampius* lib. 3. *de Hæreſi Janſeniana* cap. 14. *Elizaldus* lib. 5. *de recta doctrina morum* quæſt. 12. P. *Mangot Monita ſacra* part. 2. monit. 90. *Sed quarè*, inquit, *non omnibus dat illam gratiam?* Cui interrogationi reſpondet ille; *Quibus dat, miſericorditer dat, quibus non dat, juſtè non dat; omnes enim meruerunt &c.* Illu-

ſtriſsimus *Meldenſis* Epiſcopus in ſua Paſtorali inſtitutione Anni 1710., Doctor *Grandin* tract.de gratia quæſt.3.pag.206. *Neque nos doctrinam noſtram de obduratis ita certam eſſe volumus, ut certum eſt, Deum velle omnes homines ſalvos fieri.* Sed audiendus maximè Eminentiſsimus *Bellarminus* lib. 2. *de Gratia, & libero arbitrio* cap. 4. expreſsè aſſerens: *Non poſſe Deum injuſtitiæ accuſari, ſi non daret omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem, neque de ullo deſperandum eſſe.* Et infrà: *Hæc quoque* (propoſitio) *ſine controverſia recipitur ab omnibus; nam tametſi nonnulli ita dereſerentur à Deo, omnique auxilio prorſus deſtituerentur, ut nullâ ratione converti poſſent; nos tamen, qui neſcimus, qui ſint illi, de omnibus benè ſperare debemus, ac dicere cum Propheta Joel* 2. 14. *Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem.*

11. Contradicit Academia *Lovanienſis*, quæ inter alias *Leonardi Leſſii* propoſitiones hanc gravi cenſurâ perculit: *Omnes Infideles ſemper, & ubique habent ſufficiens auxilium ex parte Dei, ſeu in actu primo. Si enim facerent quod in ipſis eſt, & quantum poſſent, ſecundùm præſentem diſpoſitionem naturalem, vel ſupernaturalem, quam habent, Deus illuminaret eos, ut credere poſſent, vel converti.* Quæ cenſura ad omnes Belgii Epiſcopos fuit tranſmiſſa die 4. Januarii anni 1588. & die 20. præfati Menſis confirmata à *Duacenſi Academia*. Contradicunt & centum Gallicani Epiſcopi in Paſtorali mandato anni 1720., ubi temeritatis redarguuntur quicumque tot illuſtrium virorum præfatam ſententiam cenſurâ aliquâ inurere præſumunt. Tandem contradicunt ipſi parvuli ſine Baptiſmo morientes, quippè, ut ajebat D. *Auguſtinus* lib. 4. contra *Julianum* cap. 8. *Vobis ora obſtruunt, qui nondum loqui valent*: atque ad hominem, ut addit, arguens contra *Julianum*: *iſto enim modo benevolentiorem facis Deus omnibus impiis, & ſceleratiſſimis hominibus, quàm innocentiſſimis, & puriſſimis.* Sed, quod maximâ obſervatione dignum eſt, huic fictitio dogmati contradicit *Innocent. X.* Pont. Max. Definivit enim contra primam *Janſenii* propoſitionem: *Juſtis non deeſſe gratiam, quâ præcepta poſſibilia fiant*; ſicut & definierat *Tridentinum* ſeſs. 6. cap. 11. & canon. 18. At de aliis hominibus obduratis, & infidelibus, nec Concilium, nec Pontifex ſimilia definierunt. Immo, cùm prima hæc propoſitio apud *Janſenium* lib. 3. de grat. *Chriſti* nedùm juſtis, ſed etiam obduratis, & excœcatis denegaret hanc gratiam; attamen Summus idem Pontifex ſolam hujus propoſitionis partem, quæ ad juſtos ſpectat, damnavit; alteram verò intactam reliquit, ſicut ſuprà diximus. Ad cujus evidentiam verba *Janſenii* refero: *Hæc igitur omnia pleniſſimè, planiſſimèque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certius, atque fundatius, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibus, non tantùm infidelibus, excœcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis volentibus, conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, quâ poſſibilia fiant.* Quorſum autem tam diligens, tam cauta, tam ſtudióſa implexæ periodi *Janſenianæ* partitio, niſi quòd ſententiam alterâ parte ex-

preſſam

preſſam ab omni errore remotiſsimam cenſuit, & judicavit Summus Pontifex? Si ergo neque Eccleſia, nec Concilium, nec Sanct. PP., ſicuti nec cæteri Theologi hanc doctrinam proſcripsêre, quo jure horum aſſertio veritas Catholica cenſeri debet, ac ſi eſſet per ſe à *Chriſto* revelata; vel quò certo Theologico argumento ſententia oppoſita, Sacris Litteris, traditionibus Apoſtolorum, & Summorum Pontificum decretis adverſa concludi poteſt?

12. Iis omnibus momentis adjungitur alia probatio longè graviſsima. Non certum, & irrefragabile argumentum ſumere poſſunt Auctores iſti ad aſſertionem ſuam corroborandam ex adductis Sacræ Scripturæ teſtimoniis: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri; illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Enimverò *cum magna Divinæ Scripturæ virtus ſit, & multæ lateant ſententiarum divitiæ*, ut dixit *S. Chryſ ſtomus* homil. 37. in Geneſ. & ſecundùm litteralem ſenſum in una littera Sacræ Scripturæ plures ſint ſenſus, ut probat D. *Thomas* 1. part. quæſt. 1. artic. 10. hinc exoritur quæſtio valdè difficilis, in quo ſenſu hoc *Apoſtoli* dictum ad Fidem, doctrinamque Catholicam ſpectet.

13. Implicatiſsima ſanè difficultas, quæ tot tantiſque Theologorum opinionibus obſcuratiſsima redditur, diverſimodè intelligentium *ly vult omnes homines ſalvos fieri*: quarè S. *Auguſtinus* in Enchir. cap. 79. num. 24. poſtquàm dixit: *Hoc veriſſimè Apoſtolus dixit*, immediatè ſubdit, *Quamobrem videndum eſt, quemadmodum ſit de Deo dictum*. Si textus intelligitur de voluntate conſequenti, in eo nempè ſenſu, quo dictum *Apoſtoli* accipiendum docuit *Auguſtinus*, nihil ſanè eſt, ut ſuprà diximus Diſput. 5. Dub. 2. §. 1., in tali intelligentia, tot Sanctorum Patrum auctoritate confirmata, improbandum. Et licèt hanc S. Doct. contra *Pelagium* prætulerit, non aliam improbat, cùm expreſsè aſſerat, quòd poſsit *alio modo intelligi*, nempè, de voluntate antecedente, quæ ad omnes, nullo excepto, ſe extendat, dummodò in hoc dicendi modo caveatur id, quod occaſionem Pelagianæ pravitati præbuit, ne ſcilicet intelligatur, Deum, ut ſalvet homines, humanas expectare voluntates. Hanc textûs expoſitionem non eſſe merè probabilem, ſed ut fide certam tradidit *Auguſtinus* accipiens ly *vult* pro voluntate *efficaci* Dei omnipotentis, quæ ſemper impletur in his, qui ſalvantur. At S. Doctor non voluntatem abſolutam, & conſequentem intelligit, illam voluntatem Dei abſolutam, quam ſtatuit P. *Molina* in Concord. pag. 280. dum dixit, *Deus Optimus Maximus vult omnia bona, quæ per arbitrium noſtrum ſunt futura, non ſolùm voluntate conditionali, ſi nos quoque ea velimus, ſed etiam voluntate abſolutâ, quatenus ipſi prævidenti ea futura placent*. Quæ voluntas abſoluta potiùs gaudium eſt, quò Deus de bono futuro uſu gratiæ creaturæ prævíſo delectatur, quàm voluntas abſoluta Dei Omnipotentis, quæ omninò certa, efficax, invicta, & inſuperabilis eſt.

14. Quòd ſi textus exponitur de voluntate antecedenti, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri, omnes omninò, ut nullus videatur

exceptus, hæc ſanè expoſitio fideliter recipi debet, quæ tam evidenti ratione, & tam multiplici Scripturarum atteſtatione firmatur. Quid enim certius, quàm quòd Sanguinis *Chriſti* pretium pro omnibus omninò hominibus ſufficienter ab ipſo Dei, & hominum mediatore *Chriſto Jeſu* oblatum ſit? Quòd Evangelii prædicatio, & Sacramenta communiter expoſita ſint; & quòd gratiæ etiam interiores ſufficienter ad ſalutem ex inexhauſto Divinæ bonitatis pelago jugiter, & ubertim ſcaturientes omnibus, & ſingulis hominibus offerantur? In ſenſu tamen Catholico, ſervatis gratiæ Dei Omnipotentis juribus; ſic quòd Deus, ut ſuprà diximus, non expectet voluntates hominum ad illos ſalvandos; aut hanc voluntatem ſuam erga ſalutem hominum non credatur, humanâ reſiſtente voluntate, implere non poſſe, ſed ſolùm humanâ iniquitate minimè impleri. Sic in *Concilio* apud *Cariſiacum* anno 853. quatuor fuerunt capitula adverſus *Golteſcalci* doctrinam definita; quorum tertium erat: *Omnipotens omnes homines, ſine exceptione vult ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur*. Hæc quatuor *Cariſiaca* Capitula revocata, & damnata fuerunt in Concilio *Valentino* anno Domini 855. his verbis: *Porrò capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum minus proſpectè ſuſcepta ſunt propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati .... à pio fidelium auditu penitus explodimus*. Ubi maximè notandum, quòd licèt expreſsè primum, & ſecundum, & quartum articulum Concilium damnet, in generali ſolùm damnatur tertius; & hoc ideò, quia nempè quæſtio non fuerat apud ipſos adamuſsim eliquata, & explicata. Utrumque enim Concilium dicebat verum, dum alterum loquebatur de voluntate antecedente inefficaci; & alterum de voluntate conſequente efficaci, quod omnes concordi unanimitate tenebant.

15. Hoc totum rectè diſtinxit *Remigius* Lugdunenſis Archiepiſcopus, qui de re iſta agens, & diſputans, prædictas duas expoſitiones ſtatuit, quin erroris una, vel altera accuſari poſſit, his aureis, prudentibus, & conſideratiſſimis verbis lib. de tribus Epiſtolis cap. 13. *Quæ omnia cùm tam obſcura ſint, & tam profunda, atque perplexa, nollemus inter fratres, & cariſſimos noſtros aliquid de his contentioſè ventilari, vel temerè definiri; ſed potiùs quod in eis certum eſt ſine dubitatione defendi; quod autem etiam inter magnos diverſo modo, ſed non diversâ pietate ſentientes, ambiguum, atque incertum remanſit, etiam quoad nos, & reverenter honorari, quia neutrum eorum videtur eſſe falſum, vel fidei contrarium*. Quod iterum monet lib. *de tenenda verit. Scripturæ* cap. 12. his verbis. *Sit ergo inter nos etiam de hac re hujuſmodi pia cautela, & moderatio, quatenus & SS. Patribus debitus ſervetur honor, & quolibet quis acquieſcat modo ex illis ſenſibus, qui de hac ſententia ab eis poſiti ſunt, non judicemus eſſe hæreticum. Sed potius vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis, & Eccleſiaſticis ſenſibus poteſt, qui contentioſus eſſe voluerit, hæreticum efficere quod ſentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ſalubri moderatione, ut nec contemnere audeamus, nec quaſi neceſſariò affirmare*

cone-

conemur .... Nam qui non tranquillè & pacificè moderatur, quod ſentit, ſed ſtatim paratus eſt ad contentiones, diſſenſiones, & ſcandala, etiamſi non habeat hæreticum ſenſum, certiſſimè hæreticum animum. Hoc ſanè dixerim, ne auſu temerario impugnetur veneranda in Eccleſia S. *Auguſtini* auctoritas, & ne ſimul tot Sanctorum Patrum, textum *Apoſtoli* de voluntate antecedenti intelligentium, renuatur expoſitio, ut hâc poſitâ diſtinctione omnes facilè in unitate fidei, & pacis concordent, atque conveniant.

16. His ergo poſitis, dicimus, certiſſimum eſſe, quòd Deus univerſaliter omnes vocat; quòd nullum reſpuit, aut deſpicit: quòd omnibus patet fons vitæ, & quòd omnibus fructum ſuæ benignitatis exponit: at ex illa voluntate, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri, effundere auxilia gratiæ ſuæ, ita ut intrinſecè recipiantur in omnibus, nullo excepto, non eſt certum de fide, etſi ut probabilius à pluribus propugnetur. Tum, quia Sanctos Patres non communi, unâque mente hanc textûs expoſitionem accipiunt, cùm diviſi ſint, quibuſdam eam adoptantibus, quibus alii non ſuffragantur. Tum, quia expoſitio illa de gratia ſupernaturali intrinſecè in omnibus recepta minimè eruitur ex contextu. Tum & maximè, quia hucuſque ab Eccleſia, in qua explorata Scripturæ intelligentia reſidet, non hic ſenſus, ut ſenſus fixus & determinatus, ſub quo debeat intelligi teſtimonium *Apoſtoli* nobis traditus eſt, quod neceſſarium erat, ut controverſiæ huic finis imponeretur, ſic ut inter Catholicos ultra referri quæſtio non poſſet. Et tandem, quia id certiſſimè non probat modus ille univerſalis loquendi *Apoſtoli*: *Vult omnes homines ſalvos fieri*, ut in numero dogmatum conſtituatur receptio in omnibus, nullo excepto, auxilii ſupernaturalis; alioquin cùm Sacræ Litteræ in univerſum clament: *Non videbit me homo, & vivet*: *Deum nemo vidit unquam*, qui *Paulum*, aut *Moyſen* exciperet, adversùs Sacras Litteras pugnaret. Ita & in caſu quæſtionis ſalvâ Fidei compage utrumque propugnari poteſt, multis Sanctis Patribus ſentientibus in oppoſitum.

17. Inſtatur efficaciſſimè argumentum in ſalute parvulorum, quam Deus ſeriò vult, quidquid in oppoſitum dicant P. *Vazquez* 1. part. diſput. 95. *Indicat Paulus de adultis ſe loqui: agnitio enim veritatis ad parvulos non ſpectat*; & Cardinalis *Sfrondatus in Nodo Prædeſt.* 1. part. ſect. 1. num. 4. *Fatendum eſt, quia nunquam parvulis ante baptiſmum ſublatis Deus æternam vitam voluit*: & tamen parvulis, aliis hominibus conantibus, & feſtinantibus pro eis ad Baptiſmum, non confertur iſte; cùm aliàs ſit pro illorum ſalute medium ſimpliciter neceſſarium, & unicum, ut arguit S. *Auguſtinus* Epiſt. 217. num. 19. *Quomodò*, inquit, *dicatur, omnes homines ſalvos fieri; cum multis non detur parvulis, & ſine illâ plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem; & aliquando cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente, non detur, cùm repente antequam detur, expirat, pro quo, ut acciperet, currebatur? Unde manifeſtum eſt, eos, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati,*

non

non intelligere omninò, quâ locutione ſit dictum, quòd omnes homines Deus vult ſalvos fieri; cùm tamen multi non fiant ſalvi, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine ullâ caligine manifeſtatur in parvulis. Quo argumento ſemper triumphat D. *Auguſtinus*, ut videre eſt lib.2. contra duas Epiſtol. *Pelagianorum* cap.6.

18. Rursùs in ſententia Adverſariorum æquè urget argumentatio facta. Qui vult finem ſincerè, atque efficaciter, ea ſanè adhibet media, quibus certè novit conſequendum eſſe; non autem ea, quæ prævidet ad eum finem non perductura: quis enim credat, illum velle finem iis, quibus media neceſſària non concedit; aut volens, ac ſciens, ea adhibet media, quæ certè novit non habitura effectum, eſtò proveniat ex alterius malitia impediente, potens æquè adhibere alia? Sed Deus in eorum principiis cognoſcens per ſcientiam mediam, hanc gratiam fore homini congruam, illam verò non, non dat omnibus illam, quam prævidet congruam, & habituram effectum, aliàs nullus omninò periret hominum: ergo vel dicendum, quòd Deus feriò, ſincerè, & ex animo non vult omnium hominum ſalutem; vel quòd ſtat, ſincerè velle finem, quin det media in omnibus intrinſecè recepta, quæ prævideat hunc habitura infallibiliter effectum; ſed ſufficit, quòd conferantur aliquibus, & offerantur aliis. Non ergo ex verbis *Apoſtoli*: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, irrefragabile argumentum ſumitur, ut quis hanc doctrinam ad Fidei dogmatis ſortem evehat, quòd omnibus auxilia ſufficientia Deus conferat; licèt rationabiliter, & piè hoc credendum ſit.

19. Ex doctrina poſita idem dicendum ad textum *Joannis*: *Illuminat omnem hominem*. Etſi enim ex illo concludatur ſupernaturalis illuminatio, ſeu lumen pertinens ad ordinem gratiæ, quod ſpecialiter tribuitur adventui, meritiſque *Chriſti*, de quo loquitur S. *Joannes*; dicit enim abſque ulla exceptione, aut reſtrictione, illuminari omnem hominem, quando venit in hunc mundum, id eſt, quando per uſum rationis incipit vivere ut homo, ingrediturque moraliter in hunc mundum, tanquàm Dominus ſuorum actuum: attamen ex illo probari minimè poteſt, eſſe de fide certum, quòd hæc illuminatio ſit mediis auxiliis ſufficientibus intrinſecè receptis, & non ex parte Dei præparatis, & oblatis tantùm, ut à mortali miſeria ad beatam immortalitatem perveniat. Hoc ſanè probat expoſitio D. *Thomæ*: cùm enim ſibi objiceret argumentum: *Sed ſi illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; qualiter tot ſine lumine permanſerunt? Non enim omnes cognoverunt Chriſti culturam*: ſic *Angelicus Magiſter* proſequitur: *Illuminat igitur omnem hominem, quantùm ad eum pertinet; ſi autem quidam mentis oculos claudentes noluerunt recipere lucis hujus radios, non à lucis natura obtenebratio eſt eis, ſed à malitia eorum, qui v luntariè privant ſe ipſos gratiæ dono, nam gratia quidem ad omnes effuſa eſt.* Quod explicat *Auguſtinus* lib. 2. de peccat. merit. cap. 25. n. 37. hiſce verbis: *Sicut Sol iſte à cæcis non videtur, quamvis eos ſuis radiis quodammodò veſtiat, ſic à ſtultitiæ tenebris non comprehenditur.* Quòd ergo lux illa in omnibus non recipiatur, cauſa in hominibus eſt,

non

non in Deo, qui oblati reſpuunt beneficentiam muneris, ut toties diximus.

20. Eſt ergo Dei gratia lux lucens in tenebris; tantuſque eſt hujus lucis fulgor, ut nullus ſit, ad quem ſplendoris ſui Divini ſcintilla non ſe extendat; licèt plures propter impedimentum peccati non illam recipiant. Quare ad textum iſtum Eminentiſſimus Cardinalis *Marcus Vigerius in Decachordo Chriſtiano*, *Julio II.* Pontifici Max. dicato fol.41. ubi primò dixit: *Verbum erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; cujus rei gratiâ caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, quaſi Unigeniti à Patre, plenum gratiâ, ut adjuvet voluntatem, & veritate, ut dirigat intellectum*; ſic fol. 42. ſcribit: *Lucet igitur lux gratiæ ſuper bonos, & illos illuminat, quia capiunt illam, & tenere nituntur. Super malos verò lucet quantùm in ſe eſt: ſed tenebræ eorum illam non accipiunt: veluti ſi ſol lippis oculis, & ſemicœcis luceat. Iſti lucem non comprehendunt, ſed fugiunt: illi ſequuntur, & tenent.* Non eſt ergo, quòd adeo ex textu Sancti *Joannis* triumphent auctores iſti. Satis ſit, quòd utraque opinio ſana, & orthodoxa ſit.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

21. VErùm hiſce documentis objiciunt Adverſarii ex propoſitione damnata ab *Alexandro VIII.* deſumptum argumentum: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſine omni gratia ſufficiente*: ex qua ſic ſequens ordinatur argumentum: potentia gratiâ ſufficiente deſtituta eſt nuda, & inermis; ſed in Paganis non datur talis gratia ſufficiens: ergo voluntas eſt in ipſis nuda, & inermis, nullumque accipiunt iſti influxum per *Chriſtum*, quô conſtituantur potentes ſupernaturaliter operari. Vel aliter: Hìc verus ſtatuitur *Chriſti* influxus erga Infideles; ſed ſi eſſent omnes gratiæ ſupernaturalis expertes, non daretur verus ille, & realis gratiæ influxus: cùm non aliter influat actu caput in membra, quàm per gratias interiores, ne idem concedatur influxus in Dæmones; cùm & poſſent dici auxilia ſufficientia parata pro ipſis, eo ipſo quòd Mediatoris merita ſint infiniti valoris: ergo, ut verificetur hic realis influxus, debet fieri ad ipſos gratiæ ſufficientis extenſio: ne, ſi negetur, cadat in ſententiam iſtam Eccleſiaſtici, atque infallibilis judicii fulmen, quod antea in præfatam propoſitionem contorſit *Alexander* VIII. damnans illam.

22. Pro ſolutione hujus argumenti, & ut propellatur ſiniſter propoſitionis damnatæ ſenſus, maximè notandum, quòd hìc Summus Pontifex procedit contra Dogmatiſtas aſſerentes, nullam dari in natura lapſa gratiam ſufficientem, veſtigiis inhærentes *Janſenii* id propugnantis

tis lib.3.cap.7. cujus titulus eſt: *Non affuiſſe hominibus ſuâ lege viventibus gratiam ſufficientem ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus*: ex quo *Janſenii* ſyſtemate, veluti ex primigenio fonte promanat damnata propoſitio. Fluit quippe primò, nullum Paganos, Judæos, & Hæreticos habere *Chriſti* influxum. Fluit ſecundò, quòd voluntas illorum eſt nuda, & inermis, impotens conſequi ſalutem; ita ſanè, ut neque opera bona naturalis ordinis facere poſſint, quæ ſi facerent, à Deo, ut cum D. *Thoma* diximus, illuminarentur: quæ ſanè doctrina à viris Catholicis rejicienda eſt, cùm Peccatores, Infideles, Judæos, & Hæreticos reddat etiam excuſabiles, obligationemque pœnitendi, ſi peccaverint, ſubvertat, & rejiciat. Etenim omnis homo viator verum *Chriſti* influxum habet, poteſtque de peccatis pœnitere, ut videtur definitum in *Lateranenſi* 4. ſub *Innocentio* III. cap. *Firmiter*; & in Concilio *Tridentino* ſeſſ. 14. cap. 1. veritatem iſtam, tanquàm dogma omni tempore inconcuſſum, ſemper in Eccleſia agnitum, & uſu perpetuo conſecratum, proponente. Debet ſupponi ut certiſſimum de fide, quòd *Chriſtus* eſt caput Eccleſiæ conſtantis ex hominibus, ut ait *Apoſtolus* ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*: quod repetit cap. 5. & ad *Coloſſ.* 1. de cujus ratione eſt influere in membra, ſicut de ratione membrorum, quòd accipiant influentiam à capite: quâ ratione D. *Thomas* in 3. diſt. 13. q. 2. art. 1. ad 6. negat, *Chriſtum* poſſe dici membrum: *Et ideò Chriſtus non poteſt dici membrum, quia non recipit ab alio influentiam.*

23. Modum, quo *Chriſtus* Dominus eſt caput, & actu influit in membra, diſertè explicat D. *Thomas* q. 29. de verit. art. 4. *Dicendum, quòd in ſpiritualibus caput dicitur per tranſumptionem à capite corporis naturalis; & ideò conſideranda eſt habitudo capitis ad membra, ut appareat, qualiter Chriſtus ſit Eccleſiæ caput. Invenitur autem caput ad alia membra eſſe in duplici habitudine, ſcilicet diſtinctionis, & conformationis. Diſtinctionis quidem quantùm ad dignitatem, quia caput plenè poſſidet omnes ſenſus, non autem alia membra. Secundo ratione gubernationis, quia caput omnia alia membra in ſuis actibus gubernat, & regulat, tam per ſenſus exteriores, quàm per interiores, qui in capite ſedem habent. Tertiò ratione cauſalitatis, nam caput influit omnibus membris ſenſum, & motum: Vnde & medici dicunt, nervos à capite originem ducere; & quidquid pertinet ad vires animales apprehenſivas, & motivas.* Et paucis interjectis, quibus hoc explicat, proſequitur: *Vnde etiam & Chriſtus ſecundùm humanam naturam dicitur caput ratione influentiæ, ſed ad ſpiritualem ſenſum, & modum poteſt aliquis intelligi influere dupliciter. Vno modo ſicut principale agens, & ſic ſolius Dei eſt influere gratiam in membra Eccleſiæ. Alio modo inſtrumentaliter, & ſic etiam humanitas Chriſti cauſa eſt influentiæ prædictæ: quia, ut Damaſcenus dicit, ſicut ferrum urit propter ignem ſibi conjunctum, ita actiones humanitatis Chriſti erant propter divinitatem unitam; cujus quaſi organum erat ipſa humanitas, & hoc ad rationem capitis ſufficere videtur. Nam & caput naturalis corporis*

poris non influit in membra, niſi ratione latentis virtutis.... Ut ergo propriè loquamur, Chriſtus totus ſecundùm utramque naturam ſimul eſt caput totius Eccleſiæ, ſecundùm tres conditiones prædictas, & per has tres conditiones Apoſtolus probat ad Coloſ. 1. *Chriſtum Eccleſiæ caput, ſic dicens*: ET IPSE EST CAPUT CORPORIS ECCLESIÆ, QUI EST PRINCIPIUM, PRIMOGENITUS EX MORTUIS, UT SIT IN OMNIBUS PRIMATUM TENENS, *quoad gubernationem, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, quoad dignitatem: Et per eum reconciliare omnia, quoad influentiam*. En qualiter *Chriſto* Domino convenit influxus in membra per hoc, quòd poſſit reconciliare omnia; quatenus ab ipſo habente omnem gratiam, & hujuſce plenitudinem, de iſta ad menſuram recipiunt omnes, ut ſalventur: quo argumento probat iterum D. *Thomas* 3. p. q. 8. art. 3. eſſe caput omnium hominum, dicens: *Salvare autem homines, & propitiationem eſſe pro peccatis eorum, competit Chriſto, ſecundùm quod eſt caput: ergo eſt caput omnium hominum*.

24. At cùm corpus Eccleſiæ conſtituatur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi, aut erunt uſque ad finem ipſius, ut rectè probat D. *Thomas* ex differentia inter corpus hominis naturale, & corpus Eccleſiæ myſticum; eò quòd membra corporis naturalis ſunt omnia ſimul, membra autem corporis myſtici non ſunt omnia ſimul, nec quantùm ad eſſe naturæ, quia corpus Eccleſiæ conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi, & erunt uſque ad finem ipſius: neque etiam quantùm ad eſſe gratiæ; quia eorum etiam, qui ſunt in uno tempore, quidam gratiâ carent, poſtmodùm habituri, aliis eam habentibus: hinc membra corporis myſtici accipiuntur, non ſolùm ſecundùm quòd ſunt in actu, ſed etiam ſecundùm quòd ſunt in potentia. Illi accipiuntur ſecundùm triplicem gradum; quorum primus eſt per fidem, ſecundus per charitatem viæ, tertius per fruitionem patriæ, prout ibi profundè explicat D. *Thomas*.

25. At de infidelibus, de quibus in præſenti eſt ſermo, eos eſſe tantùm membra *Chriſti* in potentia, abſolutè pronuntiat D. *Thomas* in ſolutione ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd illi, qui ſunt infideles, etſi actu non ſint de Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia in potentia, quæ quidem potentia in duobus fundatur. Primò quidem & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis: ſecundariò in arbitrii libertate*. En qualiter probat, *Chriſtum* eſſe caput omnium hominum, etſi infidelium, & quomodò in eos actu influat de ſua virtute, quâ principaliter habent poſſe fieri actu, ut ſatisfaciat argumento ſibi propoſito: *Videtur, quod Chriſtus non ſit caput omnium hominum; caput enim non habet relationem, niſi ad membra ſui corporis: infideles autem nullo modo ſunt membra Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, ut dicitur Epheſ.* 1. *Ergo Chriſtus non eſt caput omnium*. Id ipſum docuit in 3. ſenten diſt. 13. q. 2. art. 2. in corp. his verbis: *Homines igitur infideles non pertinet ad unionem corporis Eccleſiæ, ſecundùm quod eſt unum ſimpliciter. Et ideò reſpectu eorum Chriſtus caput non*

eſt, niſi in potentia, ſecundùm ſcilicet quòd ſunt unibiles corpori. Quibus verbis docet S.*Doctor*, *Chriſtum* eſſe caput etiam hominum infidelium: & hos non eſſe actu ipſi unitos ſimpliciter, quia unio ſimpliciter habetur per fidem, ſed unibiles & in potentia.

26. Nihil clarius, & evidentius adduci poteſt. At audiendus Eminentiſſimus *Cajetanus* exponens laudatum textum ex 3. p. q. 8. art. 3. *Dupliciter*, inquit ille, *poſſumus loqui de potentia, ut patet 5. Metaph. ſcilicet logicè, vel phyſicè, hoc eſt, vel de potentia, prout termini non implicant contradictionem, vel de potentia activa, vel paſſiva exiſtente in natura ad agendum, vel patiendum actum aliquem ordinata. In præſenti materia non eſt ſermo de potentia logicè, ſed phyſicè, ut patet ex hac littera, in qua auctor fundat potentiam Eccleſiaſticam, hoc eſt, poſſe eſſe membrum Eccleſiæ, quæ eſt Corpus Chriſti myſticum ſuper reali virtute Chriſti, & reali facultate liberi arbitrii humani in ſtatu viæ: ſecundùm enim has duas poteſtates dicitur aliquis phyſicè in potentia, vel non in potentia, ad eſſe membrum Chriſti. Et propterea damnati omnes, licèt ſint in potentia logicè, ut ſint membra Chriſti; quia tamen non ſunt in potentia phyſicè ad eſſe inter membra Chriſti, quoniam nec virtus Chriſti eſt ordinata ad redemptionem damnatorum: Scriptum eſt enim, quòd in Inferno nulla eſt redemptio; nec illorum liberum arbitrium vertibile eſt amplius ad Chriſtum, quia ſunt in termino, ideò ſimpliciter, & abſolutè dicuntur in littera totaliter deſinere eſſe membra Chriſti*. En ubi clariſſimè, & abſque omni ambiguitate exprimit, *Chriſtum* eſſe caput infidelium, & quòd infideles actu, & ſimpliciter ſunt membra ejus: quoniam actu influit in eos, ut valeant fieri membra ejus ſimpliciter, qui actu ſunt tantùm in potentia.

27. At licèt Hæretici, Judæi, & Infideles actu ſint membra *Chriſti* in potentia, non tamen de omnibus idem debet formari judicium. Tam Infidelibus poſitivis, quàm Judæis, datur verum auxilium ſufficiens, quô conſtituuntur intrinſecè potentes in ordine ſupernaturali ſe convertere ad Deum. Non enim auditô Evangeliô poſſunt re ipsâ ſe convertere ad Deum, ut finem naturalem ultimum, quin ſe convertant in eumdem, ut finem ultimum ſupernaturalem; nec pœnitere poſſunt fructuosè, & prout oportet, ſi deſit ipſis gratia ſufficiens; cùm pœnitentia illius ſuperioris ordinis haberi non poſſit, niſi per principium ejuſdem ordinis, quod aliud eſſe nequit, niſi gratia ſufficiens quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Idem pariter aſſeritur de Hæreticis, qui extra Eccleſiam Dei ſunt, & veram *Chriſti* fidem non habent; quoniam, ut docet D. *Thomas* 2. 2. q.5. art.3. in eo perit habitus fidei, in quo perit ejus objectum formale, quod eſt veritas prima, ſecundùm quòd manifeſtatur in Scripturis Sanctis, & proponitur ab Eccleſia Catholica. Datur ergo in illis gratia ſufficiens, ut poſſint ſe ad fidem convertere; connaturale quippe eſt, quòd viſis ſignis facientibus evidentiam credibilitatis fidei prædicatæ in Eccleſia ſancta Romana, clament hæc eadem eximia credibilitatis ſigna, ut ſe fidei Catholicæ ſubjiciant; maximè cùm divinorum præceptorum ipſos prævaricatores convincant tot in corde gra-

tiæ Dei motiones, quas ipſos accuſantes ſentiunt in conſcientiæ ſecreto, ita perſpicuè, & rectè, ut à tenebris errorum in viam veritatis dirigere greſſus ſuos poſſint; dummodò ex propriâ malitiâ, contra certiſſimæ veritatis ab Eccleſia prædicatæ radios mentis oculos non claudant.

28. Verùm loquendo de Infidelibùs negativis, non habentibus ſpeciem aliquo modo repræſentativam objecti ſupernaturalis, etſi careant in hac ſententia gratiâ quoad ſubſtantiam ſupernaturali intrinſecè receptâ, gaudent, & gaudere poſſunt verò *Chriſti* influxu, ut ſint actu membra ſimpliciter. Habent primò cogitationes quaſdam, & affectiones boni, vel illuminationes, etſi debiles, quibus excitantur ad Divinam amicitiam, & cognitionem Dei auctoris naturæ; quæ licèt illorum voluntatem non trahant ad ſupernaturale bonum diligendum, nec ipſam conſtituant in eodem ſupernaturali ordine intrinſecè potentem, cùm ſint ordinis naturalis, tamen cogitationes iſtæ ſunt vera participatio, & effuſio Divini Verbi. Habent inſuper gratias ſufficientes, & gratiam ſpecialem ordinis naturæ, quibus conſtituantur intrinſecè potentes diligere Deum auctorem naturæ; cùm juxta plurimorum Theologorum ſententiam hujuſmodi gratiæ ſufficientes ſint ad amorem Dei auctoris naturæ. Quæ gratia ſufficiens, & ſpecialis ordinis naturæ eſt gratia per *Chriſtum*, licèt non ſit gratia *Chriſti*, ut optimè agnovit P. *Decampius* lib. 3. diſp. 8. cap. 13. advertens, quòd gratia, quæ infideiibus tribuitur, non ſemper eſt gratia *Chriſti*, quæ *Chriſti* Mediatoris cognitionem, ac fidem involvat; ſemper tamen eſt gratia *Chriſti*, ſeu per *Chriſtum*, hoc eſt, à meritis *Chriſti* comparata; eſtque, ut loquitur *Auguſtinus*, *munus redemptionis*, quæ paſſim vocari ſolet gratia Dei, ne confundatur cum gratia *Chriſti*, juxta propriam ſignificationem, de qua præſens controverſia procedit. Huic concinit M. *Aliaga* tom. 3. tract. de neceſſitate grat. dub. 20. §. 6. ſequentem concluſionem propugnans: *Omnis gratia ſanans infirmitatem virium ex peccato originali eſt gratia per Chriſtum, etiamſi ſit entitativè naturalis*.

29. Habent rurſus oblata, & præparata auxilia ſupernaturalia, quibus *Chriſtus* paratus eſt actu influere in illos. Præſens eſt illis illuminatio ſupernaturalis, ut tenebræ eorum valeant illuminari, & dicantur illi lux in Domino. Quod ſi abſens eſt illis, non eſt ex defectu influxûs *Chriſti*; ſed quia illi voluntariâ cœcitate ex peccatis ortâ, quâ gaudent in infidelitatis tenebris, fiunt abſentes, ut dicit S. *Auguſtinus* in *Joan.* tract. 1. *Non ideò cogitent, quaſi abſentem eſſe lucem; quia eam videre non poſſunt: ipſi enim propter peccata tenebræ ſunt*. Quod explicat dicens: *Ergo fratres, quomodò homo poſitus in Sole cæcus, præſens eſt illi Sol; ſed ipſe Soli abſens eſt; ſic omnis ſtultus, omnis iniquus, ſic omnis impius cæcus eſt in corde*. Et Tract. 2. *Ipſi iniqui tenebræ ſunt, de quibus dictum eſt: & lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ecce hìc eſt & modò, & hìc erat, & ſemper hìc eſt, & nunquam recedit, nuſquam recedit. Opus eſt, ut habeas, unde videas, quod tibi numquam recedit. Opus eſt, ut tu non recedas ab eo, qui nuſquam recedit. Opus eſt, ut non deſeras, & non deſereris. Noli cadere,*

& non tibi occidet. Si tu feceris caſum, ille tibi facit occaſum. Si autem tu ſtas, præſens eſt tibi. Sed non ſtetiſti, recordare unde cecideris, unde te dejecit, qui prior te cecidit. Dejecit enim te non vi, non impulſu, ſed voluntate tuâ. Si enim malo non conſentires, ſtares, illuminatus maneres. Modò autem, quia jam cecidiſti, & factus es ſaucius corde, unde videri illa lux non poteſt, venit ad te talis, qualem poſſis videre.

30. Ex his poſitis conſtat ad argumentum ſolutio; & quomodò in fideles habeant verum influxum *Chriſti* ipſis oblatum, & præparatum, qui cùm ſit talis in ordine ſupernaturali, vel ex hoc ſolùm maximè diſtat hæc opinio ab illo Hæreticorum aſſerto, quod in ſe continebat damnata propoſitio. Conſtat inſuper, non in ipſis dari nudam, & inermem potentiam ad diligendum Deum; ſi namque actu luce illâ intrinſecè in ipſis receptâ non illuminantur, eſt, ut dixi, quia nolunt. Prætereà dantur in ipſis ad diligendum Deum auctorem naturæ ſuper omnia principia adæquatè requiſita: nempe voluntas phyſicè præcontinens actum dilectionis naturalis, ſicut inclinatio innata ad Deum, & cognitio practica dictans, Deum, titulo ſummi boni, & ultimi finis omnium rerum eſſe diligendum: quæ ſanè in hoc modo dicendi ſufficientia creduntur ad dilectionem Dei auctoris naturæ, ad quam inexcuſabiliter tenentur; non verò ad dilectionem Dei auctoris ſupernaturalis: quod enim naturaliter non poteſt, hoc non animæ deputatur in reatum; ſed quod ſcire non ſtuduit, eò quòd dignam facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit. Miror ergo, quàm præceps, & temerarium ſit hoc in ſententia ferenda judicium, quàm parum hujus damnatæ propoſitionis decretum comprehendant ſic arguentes, & de concluſione judicantes. Argumentum inſtatur in pueris ſine Baptiſmo decedentibus, ad quos ſe extendit voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes homines: ut enim arguit S. *Auguſtinus* lib. 4. contra *Julianum* cap. 8. *Nunquid homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, Deus vult omnes homines ſalvos fieri?* Etenim Deus non eſt magis Deus adultorum, quàm parvulorum: ſunt & iſti, ſicut adulti, membra *Chriſti*, omnium mediatoris: & tamen in illis, ut ſuprà dictum eſt ex *Auguſtino* num. 17. nullus *Chriſti* influxus fuit intrinſecè receptus: ergo Pagani verè ſunt membra *Chriſti* in potentia, etſi nullum ſupernaturale auxilium ſit in illis intrinſecè receptum.

31. At iterum reponet quis: hæc ſententia ad minus ad errorem *Janſenii* aditum pandit, cùm neget, ſicut ille negat, gratiam ſufficientem ad ſalutem in infidelibus intrinſecè receptam. Verùm nihil cum iſta ſententia commune habet illius aſſertum. Aſſerit ille, præcepta Dei eſſe impoſſibilia; hominem neceſſariò ad bonum, vel malum compelli; & Deum non ſincerè velle, omnes homines ſalvos fieri. At in ſententia iſta poſsunt infideles Deum ſuper omnia, ut auctorem naturæ, diligere, omniaque naturalia ſervare præcepta. Neminem Deus à ſalute repellit; omnibus gratiam effundere paratus eſt, & de facto, inſtante præcepto, juvat, ne contra lumen naturæ peccent; atque ad diſplicentiam, & pœnitentiam de turpiter commiſso movet, & excitat prout vult, & quando vult.

vult. Non ergo Theologorum ſyſtema eâ *Janſenii* hæreſi comprehenſum eſt, ſed aliud longè diverſum. Et inſtatur argumentum: etiam Semipelagiani gratiam *Chriſti* omnibus hominibus communem aſserebant, teſte S. *Proſpero*, ut ſuprà vidimus Dub. 2. §. 1. num. 14. Sicut ergo illi diſſimilem dicent ſententiam ſuam ab hoc Semipelagianorum aſserto, ita & ſententiam iſtam dicimus toto Cœlo à mente *Janſenii* diſtantem.

32. Non eſt ergo, quôd oppoſitum ſentientes zelo paulò ardentiori contra ſententiam illam inſurgant; quaſi nova foret, & in Scholis inaudita, nec eſset opinio tuta, & celeberrimis utriuſque Scholæ Doctoribus communis; quæ ſi minùs probabilis ipſis videtur, nuſquam tamen adverſam Fidei eſse probabunt. Totum agnovit P. *Fontaine* tom. 1. prop.28. cap. 3. num.6. dicens: *Hinc ſequitur, nullum adultum neceſſariò damnari, etiam ſuppoſitâ illorum opinione, qui dicunt, infideles negativos nullum unquam recepiſſe intrinſecum ſufficiens auxilium ſupernaturale; quia habuêre ſaltem omnes auxilium ordinis naturalis, quô ſi uſi fuiſſent, Deus ex mera ſua bonitate, miſericordia, liberalitate conceſſiſſet eis gratias ſupernaturales, quibus illuminati fuiſſent in intellectu, & excitati in voluntate ad eliciendum actum fidei neceſſarium. Quæ opinio, cùm neque communis ſit, neque gravi careat difficultate, eam ſuis Auctoribus relinquo pro ſua defendendam libertate, ut eam hactenus non prohibet Eccleſia; magis verò placet ſententia communiter ſtatuens, omnes omninò homines viatores recipere pro loco, & tempore auxilia quædam ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem, ſaltem remota, quæ cum infidelitate negativa facilè componuntur, ut paſſim explicant Doctores Scholaſtici.* Hæc ille. Abſit ergo, quòd graviori cenſurâ judicetur opinio, quæ non cum fidei veritate, & Eccleſiæ auctoritate pugnat, ſed cum illorum ſententia, qui & fallere, & falli poſsunt. Abeat in fumum, & à Scholis relegetur eorum judicium; cùm nuſquam Eccleſia licitum fecerit, in graviſſimis controverſiis, pro arbitrio, & ingenii libertate, quod ſit de fide, abſolutè pronuntiare.

DUBIUM IV.

An in Excœcatis, & Obduratis detur Gratia proximè, aut remotè ſufficiens pro ſtatu obdurationis?

§. I.

Status obdurationis exponitur, & referuntur ſententiæ.

1 NOVUM Divinæ miſericordiæ, gratiæque Dei argumentum præbet infeliciſſimus obdurationis, & excœcationis ſtatus, quem deſcripſit S. *Bernardus* lib. 1. de Conſiderat. cap.2. dicens: *Nè pergas quærere quìd ſit cor durum? Si non expaviſti, tuum*

hoc

hoc eſt. Solum eſt cor durum, quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit. Quid ergo cor durum? ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviſcens, præſentia negligens, futura non providens. Et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. Qui ergo nec Deum timet, nec hominem reveretur, ſub miſera, atque libera neceſſitate peccati tenetur, quam excuſare nullatenus valet. Miſeri ergo ſunt illi, qui Divino rebelles lumini in hac miſeriarum valle errant, ut cœci; qui privati uberiore intelligibilis veritatis luce, futurorum ſunt immemores, & de propria perditione nihil cogitantes, ut verè mortui lugendi ſunt: cùm eos ut tales agnoſcat Sanctus *Auguſtinus* enarrat. 1. ſuper Pſal. 58. v. 12. *Ne occideris eos, ne quando obliviſcantur legis tuæ*; dicens: *Quid eſt autem occidi? Obliviſci legis Domini? Ipſa eſt vera mors in profundum ire peccati*: cùm ſenſim ſeipſum privet ſenſu juſti utiliſque doloris, longiùſque, ut membrum quod obſtupuit, à ſalute recedat.

2. Hæc ſanè demonſtrant, quantùm timenda ſit obduratio. Quæ enim magis ſtupenda, ac lugenda cœcitas, quàm illa, vi cujus ſenſus hominis obtuſi gratiæ Dei, ponunt velamen ſuper cor ſuum, ut terrenis addicti cupiditatibus, gratiam Dei ſpernant? Obdurationem juſto Dei judicio invenientes, quæ novorum criminum mater ſit, & quâ deteriores facti, in omnia vitia, & violentias effrænes irruant, quibus eorum aggravetur damnatio. Hinc per *Pſaltem* Spiritus Sanctus exclamat dicens: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecundùm diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri, probaverunt, & viderunt opera mea.* Alloquitur hic Deus omnem plebem ſuam, inquit *Auguſtinus* enarrat. ſuper Pſal. 94. Adhortatur Judæos nuper de ſervitute Babilonica reverſos, ne Patrum ſuorum pertinaciam imitari velint: alioquin, quemadmodùm illi, ita & ipſi iratum Dominum experientur. Aliquando enim, ut exponit ibi *Auguſtinus* num. 12. *Audiſtis vocem illius per Moyſen, & obduraſtis corda veſtra. Per Præconem locutus eſt, quando obduraſtis corda veſtra: per ſe nunc loquitur, molleſcant corda veſtra. Qui præcones ante ſe mittebat, ore ſuo hìc loquitur: qui loquebatur per ora Prophetarum. Hodie ergo ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

3. Fuit Deus ſemper illis præſens beneficiis, ſignis, & virtutibus, ut proſequitur S. Doctor num. 13. *Quadraginta annis viderunt opera mea, quadraginta annis exacerbaverunt me. Ante illos miracula in manu Moyſi faciebam, & ipſi magis, magiſque corda obdurabant.* Et num. 14. *Hoc ſignificaverunt quadraginta anni, quod & ſemper. Quadragenarius enim iſte numerus indicat integritatem ſæculorum, tanquam perficiantur ſæcula per hunc numerum.* At illis diſplicuit Dei

mi-

miſericordia, reſtiterunt Deo corde indurato. Quarè ad illorum magnum timorem concludit Pſalmum: *Et dixi ſemper hi errant corde . . . quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Loqui Dominum*, inquit *Auguſtinus* num. 15. *magnum eſt, quantò magis jurare Deum! Jurantem hominem debes timere, ne propter jurationem faciat, quod contra voluntatem ejus eſt; quantò magis Deum, qui nihil temerè jurare poteſt?* Jurationem ad confirmationem voluit eſſe. Juravit ergo ille in ira ſua, ne intrent in requiem ipſius. *Auguſtinus: Nemo dicat in corde ſuo, verum eſt, quod promittit, falſum eſt, quod minatur. Sicut verum eſt, quod promittit, ſic certum eſt, quod minatur. Tam certus eſſe debes de requie, de felicitate, de æternitate, de immortalitate, ſi feceris præcepta ipſius, quàm certus eſſe debes de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum Diabolo, ſi contempſeris præcepta illius*. En quò infeliciter tendit maligna obſtinatio.

4. Hunc obdurationis ſtatum nullus hominum patitur, niſi propriis exigentibus culpis, cùm ex certa malitia, aperto corde, totâ mentis jubilatione peccant. Hanc meruerunt illi, de quibus dicitur Eccleſiaſt. 15. *Non dixeris per Deum abeſt*: Et *Oſeæ* 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum*. Fatentur illi, quibus Deus juſto, ac ſemper irreprehenſibili judicio hanc condignam præcedentibus peccatis retributionem impendit, ut ipſi prædicant Danielis 3. *Omnia quæcumque feciſti nobis, in vero judicio feciſti, quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus*. Probat hoc urgentiùs modus ille, quô impium ſecretam Dei inſpirationem reſpuentem inducit loquentem *Propheta Regius* Pſal. 9. *Non eſt Deus in conſpectu ejus: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua à facie ejus . . . . Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus; avertit faciem ſuam, ne videat in finem . . . . Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde ſuo, non requiret*. Super quibus *Auguſtinus* ibi num. 29. *Hæc eſt inclinatio, & caſus miſerrimus, dum animus humanus in ſuis iniquitatibus quaſi proſperatur, & parci ſibi putat, cùm excæcetur, & ſervetur ad ultimam, opportunamque vindictam*.

5. Eodem ſenſu loquitur de obduratis S. Doctor Pſal. 77. num. 30. *Hanc enim iniquiſſimam, & maligniſſimam obſtinationem Deus cum facere dicitur, non inſtigando, & inſpirando, ſed deſerendo facit, ut illi operentur in filiis diffidentiæ, quod Deus debitè, juſtèque permittit. Nam & illud quod Iſaias Propheta dicit: Domine ecce tu iratus es, & nos peccavimus, proptereà erravimus, & facti ſumus, ſicut immundi omnes, eâ ratione intelligitur. Præceſſit enim aliquid, unde Deus juſtiſſimè iratus, ab eis lumen ſuum auferret, ut in peccata, quæ nullâ tergiverſatione defendi poſſunt, non eſſe peccata, cæcitas humanæ mentis offenderet, & ab itinere juſtitiæ deviando, & errando*. Quare de prædeſt. SS. cap. 9. de Judæis obduratis pronuntiat: *Facile eſt, ut infidelitatem accuſemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tam magnis virtutibus non crediderunt*. Et *Apoſtolus* ad Rom. 2 v. 5. *Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſau-*

ſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei: quia nempe pondere miſericordiæ contemptæ, & exacerbatæ juſtitiæ opprimentur obſtinati, Deo adverſus patientiæ, bonitatis, ac miſericordiæ ſuæ contemptores, ſeveriſſimum exercente judicium. Quid ergo obſtinatione infelicius? Quid deformius, vel deterius, quàm hominis inordinata voluntas, quæ nec judicium timet, nec Dei juſtitiam reveretur? Ipſa eſt incentiva criminum, vitiorum omnium nutrix, præceps delictorum ruit in foveam, abhorrens totum quod eſt virtutis, quod compunctionis, quod gratiæ.

6. At quò hominis indurati culpa, & obſtinatio deformior eſſe cognoſcitur, & glorioſior Dei laus comprobatur. Miſericordia ejus judicium ſuperexaltat, atque excedit. *Ducam cœcos*, inquit *Iſaiæ* cap. 42., *in viam, quam neſciunt; & in ſemitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta*. Et cap. 65. *Invenerunt, qui non quæſierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad Gentem, quæ non invocabat nomen meum. Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum*. En mirandum divinæ miſerationis indicium, ac pietate pleniſſimum; ſed non minus eximium, ac ſingulare Divinæ omnipotentiæ opus. In quo namque Divinæ virtutis magis elucet potentia, quàm in ipſa inflexione obſtinatæ, & rebellis voluntatis, abſque pietate, abſque gratia, & ab omni virtute alienæ? Quarè Sapiens ad eam reſpiciens gratiam, quâ Deus depravatam per peccatum hominis voluntatem inflectit, ac mutat, bis repetit Sapient. 11. & 12. *Miſereris omnium, quia omnia potes*. Et rurſus: *Ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis: virtutem enim oſtendis tu*. Sic Deus virtutem oſtendit, dum eos ad pœnitentiam inflectit; dum dat illis cor, quo agnoſcant ipſum Dominum voluntatis humanæ, ut Deus ipſe per *Jeremiam* cap. 24. verſ. 5. dicit: *Dabo eis cor, ut ſciant me, quia ego Dominus auferens cor lapideum*: quod juxta phraſim S. *Auguſtini* de grat. & libero arbitr. cap. 14. non ſignificat, niſi *duriſſimam voluntatem, & adversùs Deum omnino inflexibilem*. Quarè dicitur Pſal. 72. *Deus cordis*, cujus mutatio ab impietate ad virtutem eſt opus gratiæ, quòd maximè in gloriam Dei cedit: unde *Apoſtolus* ad Rom. 3. v. 23. dixit: *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei*.

7. Hanc Dei gratiæ vim egregiè explicat S. *Laurentius Juſtinianus* de diſciplina, & perfect. monaſt. converſ. cap. 5. dicens: *Superbia denique ejus aſcendit ſemper, & donec ſibi ipſi relicta fuerit, omninò incorrigibilis eſt. Si autem divina clementia ſtillicidia gratiæ ſuæ irrorare voluerit, ſi ſuperno ſplendore claritatis ſuæ perverſæ voluntatis domicilium irradiare decreverit, illicò fugatis tenebris peccatorum opaca nox ſicut dies illuminabitur, & quæ prius præ ſterilitate horrida jacebant corda, mox florere, mox germinare miſericordiæ opera conſpiciuntur. Nonnè, ut inculta eremus, mens erat Pauli, dum ſæviret in Chriſtum, dum omnes in Chriſtum credentes vinculis materialibus, ac legalibus captivare ſatageret, & ducere in Jeruſalem? At ubi de Cœlo clamavit Dominus, ubi divina bonitas perſecutorem cœleſti circumfulſit luce*,

luce, ubi tonantiſſimam audivit vocem dicentem: Saule, Saule, quid me perſequeris? Sine mora in virum mutatus eſt alterum. Factus eſt denique de blaſphemo, confeſſor, de perſecutore, doctor, de miniſtro iniquorum Judæorum, dux feliciſſimus cunctorum Chriſtianorum. Cujus ſunt hæc mira, ſtupendaque opera? Nonnè ejus, qui olim mare convertit in aridam, & ſicco veſtigio filios Iſrael tranſire permiſit? Nonnè ejus, qui de tenebris facit lucem ſplendeſcere? Et vocat ad nutum ea, quæ non ſunt, tanquàm ea quæ ſunt, ita ut non ſit, qui illius reſiſtere valeat voluntati? O quantos quotidiè cernimus mole peccatorum obrutos, à Dei cognitione alienos ſine compunctione, abſque miſericordia, & ab omni laudabili propoſito extraneos, repentè vocari cælitus, & operante in eis divinâ gratiâ, vitam corrigere, mores in melius mutare, lacrymas ubertim fundere, compunctionis gemitus ad Cœlum emittere, & deſideriis ſancti amoris intus ardere, atque prìus tacentia in divinis laudibus poſtmodùm ora laxare.

8. Pari elegantiâ *Chryſoſtomus* id ipſum magnificè de Deo prædicat ſuper Pſal. 124. exponens verſum illum: *Accingere gladio tuo potentiſſimè; ſpecie tuâ, & pulchritudine tuâ*, his verbis: *Quid igitur dicit? Per hæc craſſiora nomina oſtendit ejus operationem, per quam orbem terrarum rexit, per quam bellum confecit, & trophæum erexit.* At quod bellum erat hoc graviſſimum, & omnium bellorum acerbiſſimum? Quis verò gladius ille? Numquid opus eſt armis? Numquid gladio? Numquid arcu & ſagittis, ut ad bellum accedat? *Chryſoſtomus*; *Ne autem dum audis, accingere gladio tuo, enſem intelligas ſenſibilem: audi quæ ſequuntur. Cùm enim dixiſſet, cinge te gladio tuo, ſubjunxit, ſpecie tuâ: hoc eſt gladius, ſpecies, pulchritudo, & auctoritas, gloria, majeſtas, & magnificentia.* Sic Bellator præcinctus ſpecie, ac majeſtate ſuâ tamquam gladio, & cum fulgure gratiæ ſuæ, aſcendit ſuper currum ſuum, evadit ad ſpiritale prælium; ut ſpiritualibus potentiſſimæ gratiæ ſuæ jaculis, eos, qui ſunt feris immaniores, manſuetos efficiat, & in quos tyrannidem exercet iniquitas, eos juſtos faciat, primum quidè ex gratia, deindè ex rectè factis. Quarè S. Doctor obſervans, quæ pulchra in Regno ſuo geſſerit Bellator ille, genus trophæi, conditionem, & naturam victoriæ, ita ut nihil eſſet impervium virtuti ſuæ, nihil brachii ſui viribus inexpugnabile, cùm ſufficeret ipſi ad victoriam potentia dexteræ ejus: *& deducet te mirabiliter dextera tua*, ſufficerent & ſagittæ, ut ſpontè, & liberè ipſi ſubjiciantur populorum corda; *Sagittæ tuæ acutæ, Populi ſub te cadent; in corda inimicorum Regis*: contextum horum verborum his ſequentibus verbis tradit: *Hæc eſt ergo conſequentia, ſeu contextus. Sagittæ tuæ acutæ, potens in corde inimicorum Regis. Illud autem, Populi ſub te cadent, in medio interponitur. Hìc ergo mihi videtur duplex expoſitio. Vel enim dicit Judaicam captivitatem, & Civitatis everſionem, & interitum; vel per anagogem vim verbi vocat ſalutem. Quibus enim ſagittis velocius pervaſit orbem terrarum, & eorum, qui prius erant inimici, cor tetigit, non ut interficeret, ſed ut ad ſe attraheret? Quod etiam in Paulo uſuvenit. Non*

enim aberraverit quiſpiam, ſi dixerit, illud verbum ſagittam, quod è cœlis emiſſum tetigit cor ejus, qui prius erat inimicus, & amicum reddidit. Populi ſub te cadent. Vidiſti quam rectè bellum geſtum ſit, quomodò reconciliati fuerint, qui prius erant ſeditioſi, quomodò docti, quomodò initiati. Ipſe enim caſus, & eſſe ſub illo, eſt omnibus fundamentum, & radix altitudinis. En gratiæ Dei potentiſſima vis, ac victoria, beatiſsimaque cordis ſubmiſsi felicitas, perfectiſsimaque libertas, quâ ex nolente fit volens. At ſi Propheta bellatoris meminit armorum, gladii, & arcuum, etiam & meminit ejus manſuetudinis, *propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam*: concordiſsimè namque uniuntur bellum ſpiritale, & manſuetudo, pugna, & clementia. Suadet namque Deus primò exhortationibus, monet exemplis, terret periculis, inſpirat conſilium, cor illuminat, illudque ſacris, & cœleſtibus affectionibus imbuit, ut ſic miſericorditer præparatum, efficaciter adjuvet.

9. Verùm aliquando divinus iſte internæ inſpirationis radius ſubtrahitur, ut ex proprio defectu doceatur homo, quòd nihil boni per ſe humana fragilitas poſsit, teſte D. *Gregorio* Moral. lib. 2. cap. 49. n. 78. dicente: *Fit, ut aliquando ſe gratia utiliter ſubtrahat, & præſumenti, quantùm in ſe infirmatur, oſtendat*; & ne de ſuis bonis mens improba ſuperbiat, & ſua ſibi merita adſcribat, ut dicit S. *Bernardus* ſerm. 54. in Cantica num. 10. *Interdum ſubtrahitur gratia, ſive retrahitur, non pro ſuperbia, quæ jam eſt, ſed quæ futura, niſi ſubtrahatur*: vel in pœnam præcedentis peccati, ut peccator humiliatus à peccatis reſurgat, ut ſcribit S. *Auguſtinus* lib. 3. de peccat. merit. cap. 13. num. 23. *Ut ſic ab illa cauſa omnium vitiorum, hoc eſt, à tumore ſuperbiæ, ſanctâ humilitate ſanemur*. Et tandem, quia gratia non ſecundùm debitum juſtitiæ homini retribuitur; hancque Deus occultò, juſtò tamen judiciò, negare poteſt; quin homo juſtè de Deo conqueri poſsit, ut ait S. *Auguſtinus* Epiſt. 194. num.29. *Quæ ſi juſta excuſatio eſt, non jam gratuita gratia, ſed propter hujus excuſationis juſtitiam liberantur. Si autem gratia eſt, quâ liberantur, profectò hæc excuſatio juſta non eſt*. Hinc meritò in dubium revocatur, an in omnibus obduratis, & excœcatis ſubluceat mentis illuſtratio, deturque ſupernaturalis excitatio, quâ ad converſionem, & pœnitentiam eorum excitetur voluntas? Et an his interioribus gratiis privari poſsint in pœnam præcedentium peccatorum? Quam difficultatem tantò diligentiùs excutiendam animadverto, quantò acrior, ac diuturnior eſt in re exponenda inter Auctores diſſenſio: & quantò res magis ardua eſt, & non facilè pervia, eò invitat nos ad demiranda, & adoranda propenſiùs ſapientiæ, & potentiæ Dei arcana.

10. In hac controverſia duplex eſt opinio; una affirmativa, quod pro illo miſerrimo ſtatu dentur, & recipiantur in excœcatis, & obduratis gratiæ, quibus Deus illos invitet ad pœnitentiam: quam communiter propugnant noſtri Thomiſtæ, necnon & alii graviſsimi Theologi. Mag. *Bañez* 1. part. quæſt. 23. art. 3. Magiſt. *Zumel* 1. part. quæſt. 23.

art. 3.

art. 3. & 1. 2. quæſt. 109. art. 4. *Alvarez* lib. 11. de Auxiliis diſp. 112. & lib. 8. diſp. 72. num. 12. *Medina* 1. 2. quæſt. 109. art. 10. *Ledeſma* tract. de Auxiliis quæſt. unic. art. 16. Magiſt. *Nuño* 3. part. quæſt. 86. *Cabrera* 3. part. quæſt. 18. dub. 5. PP. *Salmaticenſes* tract. 4. de volunt. diſp. 3. §. 3. num. 37. necnon & alii graviſsimi Thomiſtæ ab ipſis citati. Quam opinionem egregiè promovet noſter Eminentiſs. ac Reverendiſs. Card. *Gotti* tom. 3. de volunt. quæſt. 2. dub. 3. §. 4. Altera eſt negativa, cui ſubſcribunt doctiſsimi Theologi, tàm intra, quàm extra Scholam D. *Thomæ*. Magiſter *Gonet* tract. de voluntate Dei diſput. 4. artic. 5. & in tract. de Prædeſt. & reprobat. diſput. 5. art. 4. aſſerens, quod ſuprà annotavimus, quòd ſi dare ſumatur prout eſt idem, ac præparare, Deus omnibus peccatoribus excœcatis, & obduratis dat auxilia ſufficientia ad omnia præcepta ſicut oportet ad ſalutem; quia ea omnibus præparat: ſi verò ſumatur prout eſt idem ac recipere, Deus non dat hujuſmodi auxilia omnibus. Quam ſententiam egregiè exponit, & tuetur Magiſter *Lemos*. Adnotandum tamen in quæſtionis veſtibulo, aliam etiam ſententiam tenere *Janſenium* lib. 3. de grat. Chriſti cap. 10. cujus eſt titulus: *Excœcati, & obdurati carent gratiâ ſufficienti, quâ videant, & moveantur ad bonum*: ubi mentem ſuam aperit ſequentibus verbis: *Quâ quidem de re non eſt nobis magnoperè laborandum, niſi plus ſtudii quoſdam ſuſcipere conſtaret, ad obſcurandum ea, quæ in Auguſtini ſcriptis manifeſta ſunt, quàm ad ea, quæ obſcuriora ſunt, illuſtranda, ne aliquod præconceptis opinionibus tantus Doctor afferat præjudicium. Nam tot modis ille, tantâque claritate docet, excœcatos, obduratoſque ſufficienti adjutorio divinæ gratiæ nudatos eſſe, quâ poſſint, vel videre, vel credere, vel rectè vivere, vel peccata vitare, ut ſatius eſſet illis fateri, ſe ſenſa ejus, vel non intelligere, vel non ſequi, quàm privatæ ſententiæ ſtudio perturbare. Nam in primis, quamvis nihil aliud Auguſtinus de obduratis, & excœcatis traderet, quàm Deum illorum nolle miſereri, nolle gratiam infundere, eos deſerere, non adjuvare, deeſſe illis divinæ gratiæ adjutorium, & hujuſmodi, nonnè ſatis eſſet, ut intelligeremus, eos gratiâ ſufficienti deſtitui?* Et infrà: *Quid enim abſurdius, quàm dicere, quòd Deus eos deſerat, non adjuvet, omni lumine deſtituit, non vocat, quòd eis non aperit ſenſum, non miſeretur, non infundit gratiam, quibus ſufficientem tribuit? An eò uſque fortè delirabimus, ut ſufficientem gratiam, nec adjutorium, nec gratiam, nec miſericordiam Dei eſſe dicamus? Hùc ſanè prudentes viri compelli ſe ſinunt, dum negare malunt quidquid ſibi in Auguſtino adverſatur, quàm vera, quæ ſenſerit, confiteri. Sed non in iſtis generalibus locutionibus, quamvis perſpicuis, Auguſtinus ſtetit. Docet enim conſequenter plurimis locis, ita deſeri excœcatos, atque obduratos, ut bonum, quod eis volendum, aut faciendum eſt, facere, ac velle, immo cernere non poſſint. Quod non aliud profectò eſt, quàm eos ab adjutorio ſufficienti prorſus deſeri; utpotè cujus proprius effectus eſt poſſe facere, poſſe velle, poſſe cernere. Voluntas enim eorum divino lumine, & calore deſtituta, tam glaciali frigore conſtringitur ad volendum malum, ut bonum præ*

duritia nolendi, velle non poſſint; quia voluntatem, Deo gratiam non infundente, mutare non poſſunt.

11. En totum *Janſenii* ſyſtema, de quo prudenter P. *Antonius Maſſoulié* diſſert. 4. de gratia *Adami* quæſt. 3. art. 2. dicit: *Compertiſſimum eſſe, minimè ad errorem Janſenii pertinere, ſi quis obduratis, & excœcatis denegari à Deo gratiam contenderet, quâ præcepta impleant. Cùm enim in eodem Janſenii loco univerſaliſſima hæc propoſitio referatur; Infidelibus excœcatis, obduratis, juſtiſque etiam, interdum deeſſe gratiam, quâ præcepta poſſibilia fiant; ultimam de juſtis partem ſanctus Pontifex dumtaxat proſcripſit; alteram verò intactam reliquit. Quæ obſervatio prætermittenda non fuit, ne quis ultra, quàm debeat, imò & ultra, quàm ſanctus Pontifex voluerit, Pontificiam cenſuram extendat.* Quæ expoſitio maximè congruit Summi Pontificis *Innocentii* Papæ X. Conſtitutioni, quâ damnatæ ſunt 5. propoſitiones ab ejus libro excerptæ, confirmatæ & declaratæ ab *Alex. VII.* & *Clem. XI.* §. 4. ſic dicentis: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii.* Igitur nihil Fides hucuſque ſuper hoc pronuntiavit adverſus *Janſenium*: quarè immerito nonnulli illam opinionem taxare intentant.

§. II.

Nullus eſt ita excæcatus, & obſtinatus, qui interdùm non recipiat aliquod auxilium ſufficiens proximum, vel remotum.

12. ET quidèm primò probatur Concluſio tot apertiſſimis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quibus exprimitur, Deum in miſericordiâ plurimùm divitem, nullum velle à ſalute excluſum, ſed omnes fieri vitæ participes, ut teſtatur *Apoſtolus* 1. *Timot.* 2. *Omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et 2. ad Corint. 5. *Charitas Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Ex quibus *Apoſtoli* verbis concludit *Auguſtinus* lib. 20. de Civ. Dei cap. 6. *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſùs excepto, ſive in originalibus, ſive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo quod juſtum eſt, & pro omnibus mortuis juſtus mortuus eſt unus.* Ergo vel ab illa omnes homines ſalvandi intentione, ac redemptione excipiendi ſunt obſtinati, vel ſi mortui ſunt, ex eadem voluntate Dei, aliqua in ipſos derivatur gratia, quâ poſſint ſalvi fieri. Quam conſequentiam ex verbis *Apoſtoli* legitimè deductam

fatetur *Janſenius* de grat. Chriſti lib. 3. cap. 20. dicens: *Ipſa phraſis, quâ quis dicitur ſe pro aliquo redemptionem dare præſeferre videtur redemptionem ex redimentis animo in uſum, ac liberationem captivorum offerri, ac dirigi.* Si ergo Deus redemptionem ex redimentis animo in uſum ac liberationem captivorum offert, ac dirigit; quonam pacto ſit credibile, Deum, qui ſic dilexit mnndum, ut Filium ſuum Unigenitum in redemptionem daret, ſuper obcæcatos & induratos viſcera miſericordiæ ſuæ omnino obſerare, ut nunquam eadem his miſeris expandere velit?

13. Prætereà: ad ſanandum mundum ægrotum deſcendit omnipotens Medicus. Humiliavit ſe uſque ad mortalem carnem, tanquàm uſque ad lectum ægrotantis, ut conſtat ex illo *Lucæ*: *Venit quærere, & ſalvum facere, quod perierat.* Et Pſal. 106. v. 20. *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos ex omnibus interitionibus eorum.* Quem ſanantem obſervans S. *Ambroſius*, exclamat ſerm. 3. in Pſal. 118. *Non eſt Medicus iſte de terris, qui omnes curat infirmitates, & populos integros ſanat*: ut ad illum accedat omnis peccator, & poſſit inde reſurgere, quò per peccatum ipſe ceciderat: natura quippè humana jam contenebrata, atque vitiata, ſine gratia Dei, illuminari non poteſt, atque ſanari. Ergo cùm peccatores obſtinati majori ægritudine laborent, non ſemper ipſis deficit aliqua interior gratia, quâ excitari poſſint ad ſalutem; quæ impotentiam illam vivendi, & intelligendi quæ ad ſalutem pertinent, ſanet; & det potentiam orandi, & ambulandi in via mandatorum ejus, ut ad illam ſanitatem pervenire poſſint, quam obduratione perdiderunt. *Numquid*, inquit Deus *Ezec.* 18., *voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur, & vivat?*

14. Rurſus *Apoſtolus* ad *Rom.* 2. v. 4. obduratum alloquens magnam, & ſuperabundantem Dei bonitatem contemnentem, & cujus cor duritiâ, & pravâ peccandi conſuetudine ita erat veluti obductum, quòd nullis Dei ad pœnitentiam invitantis ſuaſionibus, & impulſibus emolliebatur, ſic inquit: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Etiam S. *Stephanus* de obduratione Phariſæos increpans dixit Act. 7. *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Ergo ſi Deus illorum duritiam, & impœnitentiam cordis increpat, eò quòd Spiritui Sancto reſiſtant, non illi ſemper ſunt omni gratiâ deſtituti. Non quippe reſiſtentia datur, ubi deficit gratia movens illos; cui obnitendo reſiſtant. Non Deus illos ad pœnitentiam adducit, ubi non datur aliquando gratia, quâ ad juſtitiam pervenire queant. In vanum hæc omnia in Scripturis haberentur pro induratis omnibus, ſi non datur gratia pro omnibus: ergo, etſi non ſemper, Deus propter longanimem, æternamque clementiam aliquando gratiam diffundit; ut ablato cœcitatis, ſeu pravarum cupiditatum velamine, gratiæ Spiritûs Sancti inſerviant. Quare ait S. *Leo* Papa ſerm. 1. Nativit. Dom. *Una cunctis lætitiæ communis eſt ratio, quia Dominus noſter peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.*

15. Se-

15. Secundò hæc Concluſio auctoritate SS Patrum illuſtratur. Illam docent S. *Proſper* lib. 1. de vocat. Gent. cap. 2. *Credimus, nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam*. Et in reſponſ. 25. ad Object. Vicent. *Nemini Deus correctionis adimit viam, neque quemquam boni poſſibilitate ſpoliat*. S. *Ambroſius* ſerm. 8. in Pſalm. 118. *Plena eſt terra miſericordiâ Domini: quia omnibus eſt data remiſſio peccatorum: ſuper omnibus Sol oriri jubetur*. Et ibi: *Myſticus autem Sol ille juſtitiæ omnibus ortus eſt. Omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Ideò autem paſſus eſt, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat. Non ideò Sol non eſt omnibus ortus; quia calore ejus ſe ipſe fraudavit; ſed quod Solis eſt, prærogativam ſuam ſervat: quod imprudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit*. Quibus verbis clariſſimè explicat, quòd Deus ſemper, ut illuminet, promptus eſt, ſed lumen ſibi domus ipſa obſeratis aditibus excludit. Vult Deus introire; ſed à nobis, ne introeat, excluditur. Claudimus enim per peccata animæ noſtræ aditum: quæ ſi depoſitis vitiis cœperit patere, illicò ad inſtar Solis introibit, qui clauſis feneſtræ valvis introire prohibetur; patentibus verò totus immittitur.

16. S. *Gregorius* lib. 3. Moral. cap. 1. *Nec tamen nos vel oppreſſos deſerit: nam ille ad mentem redit, tentationum nebulas diſcutit, imbrem compunctionis infundit, & ſubtilis intelligentiæ ſolem reducit: atque ſic oſtendit, quantum nos diligit, qui nos, nec cùm reſpuitur, relinquit: ut ſaltem ſic erudita humana conſcientia, ad ſe tentationes erubeſcat admittere, quam Redemptor ſuus & vagantem non ceſſat amare*. *Tertullianus* lib. 5. contra *Marcionem* cap. 11. *Unus enim, & idem Deus his qui non credunt, ſed nulli faciunt eum, infert cœcitatem: quemadmodum Sol, qui eſt creatura ejus, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non poſſunt contemplari lumen ejus: his autem, qui credunt ei, & ſequuntur eum, pleniorem, & majorem illuminationem mentis præſtat*. En quomodò, juxta horum Patrum mentem, licèt obdurati tenebras cupiditatum ſuarum magis diligant, quàm divinæ gratiæ lumen; lux tamen aliqua eſt illis interdum præſens, licèt illi à luce abſentes ſint. Si namque Deus tradit eos infidelitati eorum, & avertit faciem ab eis; ſi relinquens eos in tenebris, quas ipſi ſibi elegerunt, negat eis pleniorem, & majorem illuminationem, quàm ſe timentibus præſtat; dat tamen interdum ſufficientem gratiam, ut ipſum loquentem audiant, & ut mentis tenebras tandem depellere valeant. Semper ipſe intellectui & voluntati intimè præſens, ad illuminandum & movendum eſt paratus. Igitur quòd circumfuſæ luci oculos non aperiant, ex vitio obdurationis eſt.

17. Hoc ſi ſollicito intellectu velimus aſpicere, audiatur primò S. *Auguſtinus* Pſal. 6. num. 8. ad illa *Pauli* verba ad Rom. 1. v. 28. DEDIT ILLOS DEUS IN REPROBUM SENSUM; ubi S. Doctor inquit: *Nam ea eſt cœcitas mentis. In eam quiſquis datus fuerit, ab interiori Dei lu-*

luce ſecluditur; ſed nondum penitùs cum in hac vita eſt. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitùs extra Deum ſit quiſquis, dum tempus eſt, corrigi noluerit. ... Hujus igitur iræ inchoatio eſt, quam in hac vita patitur quiſquis peccator. Timens itaque judicii diem laborat, & plangit... Et ideò non dixit, extinctus eſt, ſed turbatus ab ira oculus meus. Quibus verbis S. Doctor duplicem indurationem apertè diſtinguit. Alia eſt inchoata, & imperfecta, in qua nunquam luce gratiæ deſtituitur peccator; attamen eſt iræ Dei inchoatio: etſi dilatio vindictæ det locum pœnitentiæ. Non enim dici poteſt, nullam ibi eſſe ultionem, ubi nulla converſio eſt; quia mens dura, & ingrata jam ſibi ipſa ſupplicium eſt, & in conſcientia ſua patitur, quidquid Dei bonitate differtur. Alia eſt conſummata, & quæ eſt impœnitentia finalis, in qua homo eſt extra Deum, poſitus in tenebris illis exterioribus, de quibus in Evangelio dicitur: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium*; ſeu in illo damnationis ſtatu in quo nulla eſt gratia; quia ibi nulla eſt redemptio: nec datur remedium ſatisfactionis, ubi jam non ſupereſt actio voluntatis, juxta illud *Joan.* 9. *Venit nox in qua nemo poteſt operari*. Et Eccleſiaſt. 9. *Quodcunque poteſt agere manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia erunt apud Inferos*. Quem textum verſans *D. Hieronymus*, ait: *Donec vivunt homines, eos poſſe fieri juſtos; poſt mortem verò nullam boni operis dari occaſionem ... nec juſtè quidem poſſunt agere, nec peccare*.

18. Hanc obdurationis ſpeciem amplioribus verbis exprimit Pſal. 58. num. 6. exponens illa verba: *Ex maledicto, & mendacio annuntiabuntur conſummationes in ira conſummationis, & non erunt*: ſic dicens: *Quid eſt in ira conſummationis annuntiabuntur conſummationes? Eſt ira conſummationis, & eſt ira conſumtionis. Nam omnis vindicta Dei ira dicitur: aliquandò ad hoc vindicat Deus, ut perficiat; aliquandò ad hoc vindicat, ut damnet. Quomodò ad hoc vindicat, ut perficiat? Flagellat omnem filium, quem recipit. Quomodò ad hoc vindicat, ut damnet? Quando poſuerit impios ad ſiniſtram, & dixerit eis. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Illa ira conſumtionis eſt, non conſummationis. Annuntiabuntur autem conſummationes in ira conſummationis, id eſt prædicabitur ab Apoſtolis; quia ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia, & pertinuit ad humiliationis medicinam infirmitas hominis*. Hæc Sanctus *Auguſtinus* diſtinguens modum, quo vindicat Deus, ut perficiat, ab illo, quò vindicat, ut damnet, & quam anteà dixerat inchoactionem iræ, hìc dicit eſſe iram conſummationis: & obſtinationem conſummatam vocat iram conſumtionis. Etenim illa non in totum privatur luce gratiæ; nec penitùs ab interiori luce ſecluditur, quâ poſſit cogitare, invenire, atque confiteri iniquitates ſuas, ut curetur ab infirmitate, in qua eſt comprehenſus: in quo tamen ſtatu iræ conſummationis ſi moriatur, & experietur iram conſumtionis. Præſtitutum tempus abiit: non enim iterum vivere; & quod malè factum eſt, emendari permittitur: operari

ne-

nemo poteſt in nocte illa; ſed recipere quod operatus eſt: *Ite in ignem æternum*. Nomen autem æternitatis hoc ſonat, quòd res perpetuò ſine interpellatione, aut ullo cremento, vel decremento, pari modo duret.

19. In eodem laudato Pſalmo 58. num. 11. ſequentia profert: *Quid eram, niſi ſubvenires? Quàm deſperatus eram, niſi curares? Ubi jacebam, niſi advenires? Certè ingenti vulnere periclitabar; ſed illud vulnus meum medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti nihil eſt inſanabile, non renuntiat ad aliquem. Opus eſt, ut tu curari velis, opus eſt, ut manus ejus non refugias, & ſi curari velis, opus eſt, ut manus ejus non refugias. Sed, etſi nolis curari vulnus tuum, admonet, ut cureris, & averſum revocat, & refugientem quomodammodò ad ſe redire compellit, & attrahit. In omnibus implet quod dictum eſt, miſericordia ejus præveniet me*. Quibus oſtendit S. Doctor, quòd in omnibus implet, quod dictum eſt, miſericordiam prævenire omnes; quòd Deus pro hoc vitæ ſtatu nulli peccatori, etſi indurato, & ingenti vulnere periclitanti, renuntiat; ſi nempe confugiat ad auxiliantis Dei clementiam, & vincula malæ conſuetudinis ab illo poſcat abrumpi, qui allevat omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos: quippè tanta eſt miſericordia Dei, quòd prout oporteat, eſt illi interdum præſens gratia, quâ vulnus cognoſcit, quâ ipſum, ut curetur, admonet; averſum revocat, & refugientem quodammodò, ad ſe redire monet, & allicit.

20. Non minori elegantiâ idem exequitur S. Doctor lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. dicens: *Nulli hominum ablatum eſt ſcire, utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam eſſe ſuam imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dum ſubvenit, nec laborat*. Et tract. 53. in *Joan.* num. 6. ad hæc verba; *Propterea non poterant credere*: ſic S. Doctor: *Quarè autem non poterant credere, ſi à me quæratur: citò reſpondeo; quia nolebant*. Supponit ergo, obſtinatos illos potuiſſe credere, ſed noluiſſe; ſed hæc poteſtas ſolùm eſt per gratiam: ergo gratia, vel re ipſa fuit illis ad pœnitentiam data, vel ſaltem oblata. Id iterum firmat in Pſalm. 18. dicens: *Non enim permiſit* (Deus) *ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis; & ipſam enim penetravit Verbi calor*. Ergo ſi illos in umbra mortis ſedentes penetravit Verbi calor, veriſſimum eſt, quòd Deus nemini correctionis adimit viam; quòd ſemper nullum boni poſſibilitate ſpoliat; aut alicui omnis interioris auxilii influxum denegat. Ex quibus rectè arguit S. Doctor tract. 1. in *Joan. Non ideo cogitent ſtulta corda, quaſi abſentem eſſe lucem, quia eam videre non poſſunt. Ipſi enim propter peccata tenebræ ſunt, quomodò poſitus in Sole cæcus, præſens eſt illi Sol, ſed ipſe Soli eſt abſens*. Eſt enim Verbum Dei Sol juſtitiæ, aſſiſtens unicuique, ut introeat: nec moratur lucem ſuam apertis aditibus infundere.

21. Tertiò probatur Concluſio auctoritate D. *Thomæ*, cujus primum teſtimonium deſumitur ex 3. p. q. 86. art. 1. *Dicendum, quòd hoc quòd aliquod peccatum per pœnitentiam tolli non poſſit, poteſt contingere dupliciter. Uno modo, quia aliquis de peccato pœnitere non poſſet: alio*

alio modo, quia pœnitentia non poſſet delere peccatum. Primò quidèm modo non poſſunt per pœnitentiam deleri peccata Dœmonum, & etiam hominum damnatorum; quia affectus eorum ſunt confirmati in malo; ità quòd non poteſt eis diſplicere peccatum, in quantùm eſt culpa, ſed ſolùm diſplicet eis pœna, quam patiuntur, ratione cujus aliquam pœnitentiam, ſed infructuoſam, habent, ſecundùm illud Sapientiæ 5. Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritûs gementes. Undè talis pœnitentia non eſt cum ſpe veniæ, ſed cum deſperatione. Tale autem non poteſt eſſe aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium eſt flexibile ad bonum, & ad malum. Undè dicere, quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt. Primò quidèm, quia per hoc tollitur libertas arbitrii. Secundò, quia per hoc derogatur virtuti gratiæ, per quam moveri poteſt cor cujuſcumque peccatoris ad pœnitendum, ſecundùm illud Prov.21. Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit, vertet illud. Quod autem ſecundo modo non poſſit per veram pœnitentiam aliquod peccatum remitti, eſt etiam erroneum. Primò quidèm, quia repugnat divinæ miſericordiæ, de qua dicitur Joel. 2. quod benignus, & miſericors eſt, & multæ miſericordiæ & præſtabilis ſuper malitia. Vinceretur enim quodammodò Deus ab homine, ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. Secundò, quia hoc derogaret virtuti Paſſionis Chriſti, per quam pœnitentia operatur, ſicut & cætera Sacramenta: cùm ſcriptum ſit 1. Joan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non ſolùm noſtris, ſed etiam totius mundi. Et qualiter apertiſſimis verbis oſtendit S. Doctor, erroneum eſſe dicere, quòd aliquis in hac vita non poſſit pœnitere de peccato: etſi ad hoc non ſint ſufficientes vires naturæ, ut contra *Pelagianos* docet Fides Catholica. Quia nempè derogaretur virtuti gratiæ, & virtuti Paſſionis Chriſti, ſi quis de peccato pœnitere non poſſet. Quod idem argumentum fieri poſſe videtur, & quidèm mihi efficaciſſimè, & ineluctabiliter, ſi obſtinatis deficeret ſemper auxilium, quô accedere poſſent ad pœnitentiam: nec non derogaretur Dei miſericordiæ, qui ex ſua infinita bonitate, neminem vult perire: quin potiùs cupit, quantum in ipsô eſt, omnes ad agnitionem veritatis venire.

22. Confirmatur hoc ex ſolut. ad 2. *Dicendum* (inquit S. Doctor) *quòd illud verbum Auguſtini ſic intelligendum eſt: Tanta eſt labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, ſcilicet de facili; ſecundùm quòd dicitur illum non poſſe ſanari, qui non poteſt de facili ſanari: poteſt tamen hoc fieri per divinæ gratiæ virtutem; quæ etiam in profundum maris convertit, ut dicitur, in Pſal.* 67. Non hìc agnoſcit D. *Thomas* impotentiam abſolutam & antecedentem, ſed ſolùm impotentiam ad converſionem *facilem*; ſed impotentia ad converſionem facilem eſt compoſſibilis cum vera, & abſoluta poteſtate antecedente ad converſionem, conſtituta per auxilium ſaltem remotè ſufficiens: ergo in illis datur hæc Dei gratia, quâ obdurati monitionibus, & mandatis poſſint emollito corde non reſiſtere.

 23. Prin-

23. Principium hoc ſæpiùs videas ab Angelico Magiſtro poſitum. Illud repetit in 1. ſent. Diſt. 48. q. 1. art. 3. ad 2. dicens: *In ſtatu viæ nullus eſt, qui mentis obſtinationem non poſſit deponere; & ſic divinæ voluntati conformari: ſed Damnatis eſt in pœnam inflictum, ut ab obſtinatione ſua nunquam curentur.* Quibus adde, quod in 4. ſent. Diſt. 20. q. 1. art. 1. quæſt. 1. aſſerit S. Doctor: *Quamdiù manet homini uſus liberi arbitrii in hac vita . . . poteſt ſe præparare ad gratiam de peccatis dolendo.* Sed inſignis pro confirmatione eſt alter D. *Thomæ* locus quæſt. 24. de verit. art. 11. ubi poſtquam ſtatuit, quòd obſtinatio importat quamdam firmitatem in peccato, per quam aliquis à peccato reverti non poſſit, nec cooperari ad hoc, quòd à peccato reſurgat, ſubdit: *Sed dupliciter eſt hoc: uno modo, ita quòd nullo modo poteſt cooperari; & hæc eſt perfecta obſtinatio, quâ Dæmones ſunt obſtinati. Alio modo eorum mens eſt firmata in malo; quòd omnis motus liberi arbitrii ipſorum eſt inordinatus, & peccatum: & ideo nullô modô ſe poſſunt ad gratiam habendam præparare, per quam peccatum dimittitur. Aliò modô, ita quòd non de facili poſſit cooperari ad hoc, quòd exeat de peccato. Et hæc eſt obſtinatio imperfecta, quâ aliquis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu viæ, dum ſcilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quòd non ſurgunt motus ad bonum, niſi debiles.* Cujus rationem reddens, ait: *Quod aliquis homo in ſtatu viæ non poſſit eſſe ita obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit, ratio patet ex dictis* (articulo præcedente) *quia & paſſio ſolvitur, & reprimitur, & habitus non totaliter animam corrumpit: & ratio non ita pertinaciter falſo adhæret, quin per contrariam rationem poſſit adduci.* Evidens ergo eſt juxta D. *Thomam*, quòd ſtatus viæ non eſt ſtatus permanſionis, & perſeverantiæ in peccato; quòd inſurgunt aliqui motus inclinantes ad bonum, etſi debiles; quòd ad oſtium noſtræ voluntatis ſtat ſemper Deus, & pulſat, paratus adjuvare omnes ad ſalutem; quibus quædam ſublucet veri notitia, & amor recti arridet: aliàs viderentur ante mortem ad terminum perveniſſe; cùm impoſſibile illis eſſet reſurgere à peccato.

24. Ultimum argumentum deſumitur ex illis, qui per obſcuram præſentis vitæ peccatorum noctem gradientes, non in totum fuerunt à Deo deſerti; cùm Deus non denegaverit eis gratiam, quâ, ſaltem *remotè*, poſſint converti ad pœnitentiam. Sit primò ſermo de *Cain*. Quas non pro ſtatu obdurationis pias cogitationes ſenſit ille accuſantes in ſecreto conſcientiæ, ut probant manifeſtè timores illi, quibus pulſabatur cor ejus, dum dixit *Geneſ.* 4. v. 13. *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Et v. ſequenti: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ: Omnis qui invenerit me, occidet me?* Quem textum auctor lib. de *Vocat. Gent.* lib. 2. cap. 13. dilucidè exponit, dicens: *Cùm ergo talis ad Cain loqueretur Deus; numquid ambiguum eſt, voluiſſe eum, & quantùm ad illum medendi modum ſufficiebat, egiſſe, ut ab illo impietatis furore reſipiſceret? Sed malitiâ pertinax inde factus eſt inexcuſabilior, unde debuit eſſe correctior.* En Dei miſericordia præveniens, &

exci-

excitans. Quare illum Deus uſque ad ſeptimam generationem inter vivos degere paſſus eſt, ut pœnitentiam agens, peccata delere poſſet, quam miſerante Deo obtinuiſſe aliqui apud S. *Hieronymum* ad *Damaſum* ad fin. q. 1. credidiſſe videntur.

25. Quis *Pharaone* induratior? Conſtat ex *Exod.* cap. 8. verſ. 13. *Induratumque eſt cor Pharaonis, & non audivit eos, ſicut præceperat Dominus*: non defuit tamen illi gratia cor obduratum tangens, & emolliens. Quæ namque illi magis exoptanda gratia ſufficiens, quàm illa, quæ adjuncta habebat portenta, atque miracula, quibus vocabatur ad pœnitentiam? Emollitum cor ejus teſtatur Scriptura cap. ſequenti v.8. dicens: *Vocavit autem Pharao Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum .... & dimittam Populum, ut ſacrificet Domino*. Et cap.9. verſ. 27. & 28. *Peccavi etiam nunc; Dominus juſtus, Ego & Populus meus impii: Orate Dominum, ut deſinant tonitrua Dei, & grando, ut dimittam vos, & nequaquam hìc ultra maneatis*. Et tamen ex tot prodigiis magis, ac magis obdurationis occaſionem accipiens Rex ille impius, dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate: ut de eodem dixit *Auguſtinus* in Expoſit. Epiſt. ad Romanos num. 62. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate*. Idem inculcat ſerm. 88. de tempore, ubi dicit expreſsè peccata *Pharaonis* jam obdurati meritò fuiſſe illi imputata; *quia*, inquit, *potuit miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoſcere*.

26. Quas non etiam Deus patiens, benignus, ac miſericors largitus eſt *Antiocho* Regi illuminationes, ac inſpirationes, quibus motus, ac excitatus à peccatis reſurgere poſſet? Percuſſus fuit morbo horrendo, & inſanabili. Teſtis fuit & ille Fidei generoſæ Matris, & ſeptem filiorum *Machabæorum*. Audivit & perfidus Princeps Duces, & exercitus ſuos prorſus contritos: & quia pertinax in peccatis permanſit, infeliciter periit. Hac immenſam Dei miſericordiam expertus eſt Rex *Balthaſar*, quem Deus tot interioribus gratiis prævenit; & cujus auribus intonuit terribilis illa mortis ſententia, quam interpretatus eſt *Daniel*, peccatum, in quo obſtinatus erat, primò increpans. Annè credibile eſt, quod omnibus iſtis, quibus à Deo tot fuerunt exhibita extrinſeca auxilia, defuerint penitus aliquæ, etſi remotæ, illuminationes, & motiones internæ ad bonum faciendum? Juſto judicio deſeruit, & excœcavit Deus Judæos, ut legitur *Iſaiæ* 6. verſ. 10. *Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum. Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & ſanem illos*. At quis neget, datum eis ſufficiens auxilium ad credendum; præclaraque habuiſſe teſtimonia Dei Majeſtatis tremendæ, inflexibilis juſtitiæ, colendæ bonitatis, charitatis ſummæ, Divinæ clementiæ, & immenſæ pietatis? Teſtis ſit S. *Stephanus*, qui eos *Actuum* 7. ſic alloquitur: *Durâ cer-*

vice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper ... Spiritui Sancto reſiſtitis: ergo pro illo ſtatu non erant ſemper omni gratiâ deſtituti. Quarè ſi propriis exigentibus meritis, infidelitatis obvoluti caligine, poſtea in lumine caligaverunt deteriores facti, *Chriſtum* in capite, & in membris occidentes, propriâ voluntate in malitia extiterunt nequiores, ut in æterna fierent calamitate deteriores. Nullus ergo prudenter deſignari poteſt obſtinatus, qui non tenui quodam cœleſtis gratiæ rore interdum fuerit aſperſus. Ergo & pari fidentiâ credere poſſumus, quòd nullus ſit, cui etiam pro ſtatu indurationis, Dei attentâ miſericordiâ, non internæ aliquis irradiet veritatis ſplendor, quô poſſit remotè de tenebris ſe transferre ad lucem, luxque fieri in Domino, dicente *Apoſtolo* ad *Epheſ.* 5. *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: niſi lucem tenebrarum amore repellant; nullum enim a ſe unquam deſertum patitur, niſi priùs deſerta.

§. III.

Solvuntur argumenta.

27. PRimum ſumitur argumentum ex pluribus Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quæ objicit *Janſenius*, & quibus præcipere videtur Deus, ne fiat oratio pro pluribus peccatoribus. Sic *Jeremiæ* cap. 7. verſ. 16. dixit Deus, ne oraret pro Judæis: *Tu ergo noli orare pro Populo hoc; ne aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te*. Etiam 1. *Reg.* cap. 16. præcepit *Samueli*, ne ipſum pro *Saule* deprecaretur: *Uſquequò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael*. Rurſus 1. *Joann.* cap. 5. v. 16. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*. E quibus inſurgit argumentum: Quibus Deus denegat orationis ſuffragium, conſequens eſt, quòd & ſubtrahat illis omne auxilium remotè ſufficiens; ſed Judæis, *Sauli*, & illis, qui committunt peccatum ad mortem, negavit Deus orationis ſuffragium: ergo à fortiori obcœcatis, & induratis negat auxilium remotè ſufficiens.

28. Confirmatur primò ex illo *Iſaiæ* 6. ſuprà cit., ubi Deus ſic Prophetam alloquitur: *Vade, & dices Populo tuo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere: excœca cor populi tui hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne fortè videat oculis ſuis, & auribus audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum*: ſed ſi Deus obcœcatis daret auxilia ſufficientia, eſſet ex intentione, ut converterentur, & ſanarentur: ergo ſi Deus vult, quòd non reſipiſcant, & ſanentur, minimè dat media ſufficientia ad ſalutem.

29. Confirmatur ſecundò ex illo *Apoſtoli* ad *Hebræos* 10. verſ. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis Hoſtia*: ſed ubi nulla eſt pro peccatis Hoſtia, ibi nulla eſt gratia; ſiquidem gratiæ ab Hoſtia immaculata profluunt:

fluunt: ergo ſi Deus pro illis ſacrificia non recipit, nec gratiam largitur ſufficientem ad ſalutem.

30. Ad hoc argumentum reſpondetur abſolutè negando majorem. Non enim ex negatione orationis rectè arguitur negatio auxiliorum ſufficientium: cùm ipſa negatio orationis non ſit, nec poſſit argumentum eſſe Adverſariis ad negationem auxiliorum ſufficientium: nam ſic etiam ex oratione pro omnibus fieret ineluctabile argumentum conceſſionis gratiarum ſufficientium, ex quo tenerentur gratias ſufficientes omnibus hominibus, nullô exceptô, datas à Deo confiteri: cùm *Apoſtolus* pro omnibus orationem fieri velit, ut intuitu meritorum *Chriſti*, & Eccleſiæ, conferantur omnibus gratiæ ad ſalutem, quas alligavit orationibus Sanctorum. Audiendus ille in 1. ad *Timoth.* 2. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus .... ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate; hoc enim bonum & acceptum coram Salvatore noſtro Deo.* Quem textum verſans S. *Chryſoſtomus* ſic ait: *Imitare Deum tuum; ſi omnes illos vult ſalvos fieri, meritò pro omnibus oportet orare.* Suffragatur & S. *Proſper* in reſponſ. 2. ad *object. Vincent.* dicens: *Sinceriſſimè credendum eſt, Deum velle, ut omnes ſalvi fiant: ſiquidèm Apoſtolus præcipit, ut pro omnibus hominibus ſupplicetur: ex quibus, quòd multi pereant, pereuntis eſt meritum; quòd multi ſalventur, ſalvantis eſt donum*: ergo ſi ex oratione pro omnibus non fit argumentum efficax, ut probetur ex illa conceſſio gratiæ ſufficientis; nec ex negatione orationis probatur ejuſdem gratiæ negatio.

31. Ad primum ergo dicimus; quòd cùm eſſent Judæi conſuetâ in peccatis pertinaciâ nedum perſeverantes, verùm novis criminibus ſemper magis, ac magis rebelles Divino Numini, & in peccato ſuo obſtinati; ideo præcipit Deus *Jeremiæ*, ne oratio fiat pro illis in pœnam hujus peccati, ut nempè deficiente gratiâ, illos induraret iniquitas ſua: ut de *Pharaone* dixit *Auguſtinus* ſerm. 88. de tempore: *Quid eſt autem quod dixit Deus: Ego indurabo cor ejus? Pharaonis quidèm; niſi cùm abſuerit gratia mea, induret illum iniquitas ſua.* At licèt in illis fuerit magna reſiſtentia, auxiliis proximis, quibus plena, & expedita conſtituitur poteſtas, ex quo meritò erat illis imputabilis ad culpam; non tamen fuit unquam totalis ille defectus gratiæ, ut probat totius capitis contextus. Conſtat quippè ex verſu 3. Judæis datam, & effuſam fuiſſe gratiam ſufficientem, ut probant ſequentia verba: *Hæc dicit Dominus Exercituum, Deus Iſrael: bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto.* Cujus gratiæ reſiſtentiam, quæ fuit obdurationis cauſa, exponit Propheta à verſu 8. uſque ad verſum 16. dicens: *Ecce ego: vos confiditis vobiſcum in ſermonibus mendacii, qui non proderunt vobis, furari, occìdere, adulterare, jurare mendaciter, libare Baalim ...... Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum?* Ex qua iterata malitia dixit Deus: *Tu ergo noli orare pro Populo hoc.* Negat ergo Deus, quòd ore-

tur

tur pro illis, quia ingratitudine indigni facti ſunt, quòd oretur pro eis: ne oratio eum erga ingratum Populum flecteret, & juſtitiæ, atque rigoris brachium cohiberet: ſicut accidit cum *Moyſe*, qui oratione obſtitit furori Dei, Iſraelitas in deſerto jam jam deleturi; & cum *Aaron*, qui ſe medium ſtatuit viventes inter, & mortuos, ut flammarum, caſtra Iſrael vaſtantium, impetum averteret.

32. In hunc etiam modum dicimus ad textum ex 1. *Reg.* cap. 16., ubi legitur *Samueli* dixiſſe Deum, ne oraret pro *Saul*; quia non erat dignus miſericordiâ, & quia impunitùm non debuit eſſe ejus peccatum. Decreverat Deus transferre Regnum in manu alterius: quod decretum erat certum, ac immutabile; quarè ut agnoſceret *Samuel*, tempus jam præſtationis miſericordiæ non eſſe, dixit illi Deus, ne oraret pro *Saul*. Tempus ergo erat vindictæ peccati, quô ad iram provocaverat miſericordiæ, & ſalutis auctorem: qui, ſi in omnes credentes donum miſerationis effundit, etiam ab impœnitente vultum pietatis avertit. Conſtat ex verſ. 23. *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Pro eo quòd abjeciſti ſermonem Domini abjecit te Dominus, ne ſis Rex*. Abjecit ergo Deus *Saul* nolentem audire vocem ejus, quia ſi mutato debet parcere, qui juſtus eſt; non parcit impœnitenti Deus, in quo nuſquam mutatur, ſed integra manet juſtitia.

33. Textus ex 1. *Joann.* loquitur de peccato, quod cum gratiæ oblatæ contemptu, cùm obſtinatione, obduratione, eſt conjunctum, nec non cùm impœnitentia finali, quam intelligit D. *Thomas* per *peccatum ad mortem*. Intelligentiæ huic etiam favet *Auguſtinus* lib. de corrept. & gratia cap. 12. Videns namque S. Doctor, de peccato iſto diverſum poſſe fieri judicium, mentem ſuam ſequentibus verbis aperit: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis. De quo peccato (quoniam non expreſſum eſt) poſſunt multa & diverſa ſentiri: ego autem dico, id eſſe peccatum, Fidem, quæ per dilectionem operatur, deſerere uſque ad mortem.* Ergo ſi peccatum hoc eſt impœnitentia finalis, vana, ac prorſus inutilis eſt oratio; cùm finaliter impœnitentis, in ſenſu compoſito impœnitentiæ finalis, ſalus ſit conſequenter impoſſibilis. Non enim petere à Deo licet, niſi quod ſecundùm ejus legem impetrare ab illo poſſumus; cùm ergo de finaliter impœnitentibus ſtet firma ſententia, vim obtinens legis, quâ ſunt ab ejus miſericordia excluſi, nequit pro illis orari. Verum quippè eſt, ut definit *Tridentinum*, quod *Chriſtus* pro omnibus mortuus ſit; *at non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*. Quarè dixit D. *Auguſtinus* lib. 21. de Civit. Dei cap. 24. *Si de aliquibus certa eſſet Eccleſia, qui licèt in hac vita ſunt conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum Diabolo, jam pro eis non magis oraret, quàm pro ipſo*: cùm ſint, ut dæmones, eâdem ſententiâ damnandi: undè *Job* 7. legitur: *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit, ſic qui deſcenderit ad inferos, non aſcendit*. At pro vivis exiſtentibus in eo miſero obdurationis ſtatu, orare licet, quia poſſunt converti. Quarè S. *Auguſtinus* benè intelligens, quantùm viatores;

dum

dum ſunt in hac vita, diſtent ab illis, qui in infernum detruſi ſunt, ob idque irreparabili obſtinatione in perenni odio Dei perſiſtunt, lib. 1. Retract. recognoſcens ea, quæ de peccato ad mortem ſcripſerat, ait: *De quocumque, quamvis peſſimo, in hac vita conſtituto, non eſt deſperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non deſperatur:* quia ſi fortè grave ſit vulnus, lethale, mortiferum, & omnipotens eſt medicus, qui vult omnes homines ſalvos fieri: undè nullus eſt à Deo ita longè abalienatus, ut interdum non habeat mutandæ mentis poſſibilitatem, niſi ſuâ culpâ gratiam receptam reſpuerit.

34. Ad primam confirmationem dicimus, oraculum ex *Iſaia* allatum potiùs oſtendere magnam miſericordiam mittentis ad eos Prophetam, ut annuntiaret ſcelera eorum, & cœcis lumen divinæ Sapientiæ indulgeret, quò ſolutis vitiorum compedibus, quibus currere ad Deum non ſinebantur, miſericordiam Dei promerentur. At Deus, qui ſcrutator cordium eſt, qui major eſt corde noſtro, & novit omnia, cognoſcens, quòd nedum obtuſæ erant aures eorum; verùm quòd miſericordiam, vocemque ejus ſpreturi eſſent, ideò dixit: *Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos claude*: non enim miſericordia Dei datur non appetentibus eam. Deus neminem, niſi obnitentem, repellit, neminem, niſi obduratum, rejicit. Juſtum eſt, ut qui voluntate noluerunt carere peccato, ſit illis judicium ſine miſericordia, pœna ſine fine.

35. Ad ſecundam confirmationem ex cap. 10. ad *Hebræos* dicimus, quòd non probatur ex illo, quòd voluntatis Dei ſit mors obſtinatorum, & quòd deficiat eis gratia, quâ revertantur à viis ſuis. Demeritum illorum oſtendit *Apoſtolus*, qui gratiam ſibi conceſſam irritam facientes, deteriora merentur ſupplicia: Quarè dixit, *voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis Hoſtia*. Reddunt quippè perverſæ voluntatis malitiâ *Chriſti* mortem pro peccatis noſtris oblatam, ſibi ipſis inutilem, cùm non ſit, quòd iteraram ejuſdem *Chriſti* mortem expectent: ut exponit D. *Thomas*, ibi dicens: *Sed poſt (jam non eſt pro peccatis hoſtia) ante enim reparationem, quæ facta eſt per Chriſtum, relinquebatur Hoſtia iſta, quæ expectatur: ſed nunc jam non expectatur alia mors ejus, ita nec poſt Baptiſmum ſemel acceptum, expectatur alius Baptiſmus*. Non quia remitti non poſſit peccatum, qui *Novatianorum* error fuit; ſed quia ipſis, ſi in peccatis perſeverent, nihil aliud expectandum ſit, niſi terribile Dei judicium, ob gratiæ Dei contemptum: dignis, quòd iram implacabilis Dei experiantur, qui pertinaciter gratiam Dei abjiciunt, ſervi facti pravarum cupiditatum, & peccati: ut iterum ibi lect. 3. pronuntiat Divus *Thomas*: *Ergo (voluntariè peccantibus) id eſt, in voluntate peccati permanentibus. Et exaggerando ſubdit (poſt acceptam notitiam veritatis) Petri 2. melius erat illis viam juſtitiæ non agnoſcere, quàm poſt agnitionem, retrorſum converti. (Jam non relinquitur Hoſtia pro peccatis) id eſt, Hoſtia, quam Chriſtus obtulit, non eſt nobis utilis; quia illis dimittuntur peccata, qui de ipſis pœnitent. Matthæi 26. Hic eſt*

San-

Sanguis novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur, efficaciter ſcilicet; ſed de malis dicitur Iſaiæ 49. *In vacuum laboravi: ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi*: *Jeremiæ* 6. *Fruſtra conflavit conflator, malitiæ ejus non ſunt conſumptæ*. Dignus ergo, ut qui jam luce gratiæ illuminatus, ingratus patientiæ, & miſericordiæ Dei in æternum peccat, in æternum crucietur, qui enim remittit peccatum pœnitenti, non parcet miſericordiam contemnenti. Vel aliter dicendum locutum fuiſſe *Apoſtolum*, ut multi ſacri Interpretes exponunt, de peccatoribus *Idololatris*, *Apoſtatis*, & *Hæreticis*, qui ſpontè, & nequiter de corpore Eccleſiæ ſecedunt, quibus minimè expectanda eſt recens victima pro peccato. Non enim iis, qui poſt acceptam veritatis in Baptiſmo,& Fide Chriſtiana notitiam, ab eadem Fide recedunt, datur alia *Hoſtia*, quâ expientur in Religione ad quam tranſeunt, ſicut per Hoſtiam, quæ eſt *Chriſtus*, expiati fuerant, dum venerunt ad Chriſtianam. Potius erit, ut legitur verſ. ſequenti, *Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio*, ſive, ut legunt alii, *Zelus ignis*; hoc elemento præ ira, & zelo in eos exardeſcente, qui Deo ſuo infideles fuerunt.

36. Secundum argumentum petitur ex aliis Sacræ Scripturæ locis ſub hac forma. Ideò obdurati non eſſent deſerti omni lumine gratiæ, ut orando poſſent implorare uberiorem Dei gratiam,quâ poſſent à peccatis reſurgere; ut conſtitutum legimus in Concilio *Tridentino* ſeſs. 6. cap. 11. & can. 18. dicente: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis*: ſed ad hunc orationis effectum eſt inutilis: ergo pro ſtatu obdurationis non datur illis gratia ſufficiens. Min. prob. ex illo Pſal. 65. v. 18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*. Et *Iſaiæ* 1. v. 15. *Et cùm extenderitis manus veſtras avertam oculos meos à vobis. Et cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*. Et cap. 59. v. 1. *Aggravata eſt auris ejus, ut non audiat: ſed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum*. Quare lib. 2. *Machab.* cap. 9. v. 22. de *Antiocho* dicitur: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*. Et ad *Hebræos* 12. v. 17. de *Eſau*: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquàm cum lacrymis inquiſiſſet eam*: ergo fruſtrà ad Deum confugerent obdurati, à quo non eſſent miſericordiam conſecuturi.

37. Ad Argumentum reſpondetur neg. Min. Ad cujus prob. conceſſo antecedenti, diſt. conſeq. à quo non eſſent miſericordiam conſecuturi, permanentes in peccati amore, atque juſtitiæ & veritatis odio, conced. conſeq. orantes, depoſito affectu peccati, neg. conſeq. Obdurati enim irridentes, atque contemnentes prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur, & pacis, per quam reconciliamur Deo, detrectant agere pœnitentiam de peccatis ſuis; atque adeò in eorum impia, atque mortifera quadam ſuavitate perdurandum ſibi eſſe decernentes, à Deo ſanè non exaudiuntur, ut probant omnes citati textus Sacræ Scripturæ. Quomodò enim audirentur à Deo illi, quorum tanta eſt labes, tantaque in peccatis obſtinatio, ut multò juſtiùs digni ſint, quòd eos

Deus

Deus deſerat; cùm non habitet in illis, qui in mortuis operibus pertinaciter delectantur? Non enim exaudit Deus ad voluntatem, ſed ad ſanitatem. Quare dixit *Apoſtolus* ad *Rom.*8.v.26. *Quid enim oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus*: quod verſans *Auguſt.* Epiſt. 194. ad *Sixtum*, ait: *Quid eſt autem interpellat, niſi interpellare nos facit.... Nobiſque interpellandi, & gemendi inſpirat affectum.* Orare ergo facit Spiritus Dei. Exaudit Deus preces eorum, qui peccati affectu depoſito, Spiritûs Sancti afflatu moti ad Dominum clamant. Non erit vacua confitentis oratio, quoniam miſericors Deus voluntatem timentium ſe faciet, & dabit quod petitur, qui dedit unde peteretur. Sic juſtificationem meruit *Publicanus* ille, de quo *Lucæ* 18. v. 13. legitur, quòd oculos in terram dimittens, & pectus ſuum percutiens dixit: *Domine propitius eſto mihi peccatori*. Etiam illuminationem obtinuit à Deo Cœcus ille, de quo *Joan.*9. dicitur, quòd interrogatus, an crederet in Filium Dei: *Tu credis in Filium Dei?* cùm *Chriſtum* audivit eſſe Filium Dei, illum Dei Filium confeſſus eſt, atque adoravit: *Credo Domine, & procidens in terram adoravit eum*. At non ſic *Antiochus*, & *Eſau* exauditi fuêre à Deo. Non orabant illi debitâ intentione cogitationis, cum dilectione, & vero affectu ſalutis, qui à Deo eſſet: quæ orationis intentio obtinet à Deo illam ſuam ſpiritalem, ac intelligibilem lucem, quam ſemper eſt paratus dare. *Antiochus* gravi plagâ percuſſus orabat quidèm, ut dolori ſolatium, non ut peccatis remedium obtineret. *Eſau* deflebat primogenita perdita, non peccata, quibus Dei iram in ſe concitaverat. Cùm ergo preces Spiritus Dei in cordibus eorum non effinxerit; nec illi, rerum temporalium cupiditate depreſſi, capaces eſſent accipere Dei gratiam, ideò exaudita non fuit eorum oratio: juxta illud *Jacobi* 4. v. 3. *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis*. At ex hoc minimè argui poteſt, quòd ſceleſtiſſimi iſti homines ſemper & in perpetuum ſint à Deo derelicti; quin interdum, communis Sol juſtitiæ aliqualiter fores cordium eorum irradiet. Quomodò namque verum haberent voces illæ Evangelicæ: *Pœnitentiam agite*. Et: *Convertimini ad me in toto corde veſtro*. Et: *Deus non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur &c.* Et: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua*.

38. Tertium argumentum deſumitur ex variis S. *Auguſtini* teſtimoniis, quibus *Janſenius* ſuam firmat ſententiam lib.3. de gratia Chriſti cap. 10. Primò, quia S. Doctor lib. 1. ad *Simplicianum* obdurationem definit: *Nolle miſereri*, & infra: *Ut ob hoc dicatur obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur*. Prætereà, Enarrat. in *Pſal.*147. id ipſum pronuntiat: *Ecce*, inquit, *deſerit peccatorem; ecce non vocat; ecce non aperit ſenſum; ecce non infundit gratiam*. Et *Pſalmo* 6. *Ea eſt cæcitas mentis: in eam quiſque datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur*. Ex quibus ſequens fit argumentum: Deum nolle miſereri, peccatorem deſerere, non vocare, non aperire ſenſum, non infundere gratiam, ſed potiùs eum ab interiori lumine ſuæ Divinæ gratiæ ſecludere,

dere, eſt peccatorem eſse omni interiori gratiâ deſtitutum: ſed totum hoc juxta *Auguſtinum* præſtat Deus: ergo peccatorem ſic deſerit, quòd omni ſit gratiâ deſtitutus.

39. Secundò affirmat S. Doctor lib. de *Perfect. Juſtitiæ* cap. 19. *Quaſi non debeat homo gratias agere Deo, qui præcepta voluit, qui deſertus omni lumine veritatis, hæc velle non poteſt.* Et q. 14. in *Matth. Cogimur fateri, in aliis quibuſdam peccatis ita eos excœcari meruiſſe, quâ tamen excœcatione non potuerunt credere.* Et lib. de ſermone Domini in Monte cap. 9. *Non intuentes, non enim poſſunt, cùm ſuperſtitione excœcati ſint.* En *Auguſtinus* obcœcatis negans poteſtatem, ut poſſint credere; ſed poteſtatis defectus ſolùm provenit ex defectu auxiliorum ſufficientium: ergo carent auxiliis ſufficientibus.

40. Tertiò: quia obcœcatos omni eſse luce ſupernaturali deſtitutos firmat S. Doctor *Pſal.* 57. dicens: *Jam eſt mentis cæcitas; jam oculus mentis extinctus eſt.* Rurſus lib. de *Nat. & gratia* cap. 51. de obcœcato loquens: *Poſſet & medicum quærere, qui cœci oculos ſanaret, & videndi poſſibilitatem reſtitueret, quæ fuerat amiſſa per cæcitatem: quoniam cæcus, puto, quòd velit videre; ſed non poteſt; ſi autem vult, & non poteſt, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas.* Id ipſum repetit lib. 1. contra *Julianum* Oper. imperfect. cap. 41. dicens: *Eadem cæcitas, ſi peccati pœna non eſſet, non diceretur, excæcavit illos malitia illorum. Quòd ſi de Dei judicio non veniret, non legeremus, obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. Quis porrò volens cæcus eſt corde, cùm velit nemo cæcus eſſe vel corpore?* Si ergo mentis oculus eſt extinctus, amiſſaque fuit per cœcitatem poſſibilitas, ita ut velit, & non poſſit; quæ cœcitas pœna peccati eſt, & venit ex Dei judicio; ubi diffuſa eſt in cordibus gratia ſupernaturalis, quâ conſtituantur potentes in ordine ſupernaturali?

41. Ad expeditam hujus momenti ſolutionem, triplex diſtingui debet Dei deſertio, juxta triplicem gratiæ ſubtractionem: ſicut enim varii, ac multiplices ſunt in gratia concedenda gradus; ita & diverſitas in ea deneganda adſtrui debet; *Paulatim enim*, dixit *S. Bernardus* lib. 1. de Conſider. cap. 2. *in cordis duritiem itur.* Deſerit Deus juſtum per ſubtractionem gratiæ ſanctificantis, & auxiliorum ſpecialium: de qua *S. Auguſtinus* lib. de *Nat. & grat.* cap. 26. ſic loquitur: *Deus cùm ad perfectam vitam, juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper, juſtèque vivatur.* Deſerit ſecundò peccatorem per ſubtractionem gratiæ uberioris in pœnam præcedentium peccatorum, de qua dicit idem *S. Auguſtinus* ſerm. 88. *Volumus charitati veſtræ ſuggerere, qualiter obdurationem illam debeatis accipere. Primò hoc fideliter, & firmiter credat dilectio veſtra, quia nunquam Deus prius deſerit hominem, niſi prius ab homine deſeratur. Cùm enim & ſemel, & ſecundò, & tertiò unuſquiſque gravia peccata commiſerit, expectat tamen Deus.* Expectat utique Deus, ſemper clamans, & miſericors largitur auxilium, quô peccator poſſit vocem ſuam audire, atque ejus vocationi, admonitionibus, & mandatis obdurato corde non reſiſtere:

cùm

cùm non ſit menſura peccatorum in hac vita cuique ſtatuta,quâ completâ decreverit Deus ſubtrahere auxilia, quibus poſſit reſurgere: dum patiens, & miſericors, amanſque pœnitentiam peccatorum, & non mortem, juſtis, injuſtiſque largitur dona ſua, unicuique per patientiam longæ æquanimitatis pœnitendi tempus impertiens: ut profundè obſervat noſter Eminentiſs. & Reverendiſſimus Cardinalis *Gotti* tom. 3. q.2. dub. 3. §.18. num. 94. *Scio*, inquit ille, *non deeſſe, qui velint, plures eſſe peccatores excœcatos, & obduratos, quorum menſura completur in hac vita: ſed hoc eſt dare ſceleſtiſſimis peccatoribus occaſionem deſperandi de ſalute ſua, & graviora ſemper crimina perpetrandi, hác ratione, quòd cùm jam menſuram peccatorum impleverint, incapaces veniæ facti ſunt: omni auxilio gratiæ deſtituti, & (uno verbo) de illis actum eſt. Verùm nos peccatores, etſi ſceleſtiſſimos, inter ſpem, & timorem continemus. Quia enim illis, dum vivunt, dicimus adeſſe ſemper ſuis auxiliis, ſaltem remotis, Divinam miſericordiam, illos in ſpem veniæ erigimus: at quia de tempore vitæ ſuæ illos incertos eſſe monemus, timore concutimus, ne ultimum illud peccatum, quod patrarunt, niſi ab illo reſipuerint, futurum ſit illud, ob quod cum Pharaone, & aliis, impœnitentes morituri æternâ pœnâ plectendi ſunt.*

42. Deſerit & tertiò Deus reprobos per ſubtractionem omnis gratiæ; quam ſubtractionem vocat *S.Auguſtinus tenebras exteriores*; cùm ſtatus illorum ſit vera illa nox,de qua dicitur *Joann.9.Venit nox,quando nemo poteſt operari*. Nox cauſatur ex abſentia Solis; quia terra in nocte mediat inter Solem, & nos, quæ illuminationem impedit: ita & datur nox iſta ſpiritualis ex carentia Solis intelligibilis, propter duritiem cordis,gratiæ obnitentem: quare malitia illorum ſemper creſcens, eos in miſerabili conſummatæ obdurationis, ſeu impœnitentiæ finalis ſtatu conſtituit, de quo Eccl.9. dicitur: *Nec opus, nec ratio, nec ſcientia* (ſcilicet practica, & effectiva) *erunt apud inferos*.

43. Audiendus Magnus Parens *Auguſtinus* textum *Joannis* exponens tract.44. num.5. dicens: *Quæ eſt illa nox, quæ cùm venerit, nemo poterit operari? Audi quid ſit dies, & tunc intelliges, quæ ſit nox. Unde ſumus audituri, quiſnam ſit dies iſte? Ipſe dicat, Quandiu in hoc mundo ſum, lux ſum mundi. Ecce ipſe eſt dies. Lavet oculos cæcus in die, ut videat diem. Quandiu, inquit, in mundo ſum, lux ſum mundi: ergo neſcio quæ nox erit, quando ibi Chriſtus non erit, ideo nemo poterit operari. Reſtat inquirere, Fratres mei, patienter accipite inquirentem me: vobiſcum quæro, vobiſcum inveniam, à quo quæro. Conſtat, expreſſum, ac definitum eſt, diem commemoraſſe Dominum hoc loco ſeipſum, id eſt lumen mundi. Quandiu, inquit, ſum in hoc mundo, lux ſum mundi. Ergo ipſe operatur.*

44. Pergit num.6. *Quid igitur? Quid dicemus de nocte iſtâ? Quando erit, quando nemo poterit operari? Nox iſta impiorum erit: nox iſta eorum erit, quibus in fine dicetur: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Sed nox dicta eſt, non flamma, non ignis. Audi, quia & nox eſt. De quodam ſervo dicit: Ligate illi manus, & pe-*

des, & projicite eum in tenebras exteriores. Operetur ergo homo, dum vivit, ne illa nocte præveniatur, ubi nemo poſſit operari. Modò eſt, ut operetur fides per dilectionem: & ſi modò operatur, hic eſt dies, hic eſt Chriſtus. Audi promittentem, & ne arbitreris abſentem .... Ecce, inquit, ego vobiſcum ſum uſque in conſummationem ſæculi. Dies iſte, qui circuitu Solis hujus impletur, paucas horas habet: dies præſentiæ Chriſti uſque in conſummationem ſæculi extenditur: Poſt reſurrectionem verò vivorum, & mortuorum, cùm poſitis ad dexteram dixerit, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum: poſitis autem ad ſiniſtram dixerit, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus: ibi erit nox, ubi nemo poteſt operari, ſed recipere quod operatus eſt. Aliud eſt tempus operationis, aliud receptionis: reddet enim Dominus unicuique ſecundùm opera ſua. Cùm vivis, fac, ſi facturus es: erit enim tunc nox valida, quæ involvat impios: Sed & modò omnis infidelis, quando moritur, illâ nocte ſuſcipitur: non eſt, ut illic aliquid operetur. In illa nocte dives ardebat, & ſtillam aquæ de digito pauperis requirebat: dolebat, angebatur, fatebatur, nec ei ſubveniebatur, & conatus eſt benefacere. Ait enim Abrahæ, Pater Abraham, mitte Lazarum ad Fratres meos, ut dicat illis quid hìc agatur, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. O infelix, quando vivebas, tunc erat tempus operandi: modò jam in nocte es, in qua nemo poſſit operari. Juſtum quippe, inquit *D. Thomas* q. 24. de verit. art. 10. *ut qui benè velle, dum poſſent, noluerunt; ad hanc miſeriam deducantur, ut benè velle omninò non poſſint. Quare Pſal.* 108. *dicitur: Dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

45. Hâc triplici diſtinctione ſubtractionis gratiæ habetur rectus, & congruus teſtimoniorum ſenſus. Dum loco citato ex lib. 1. ad *Simplicianum* definit *Auguſtinus* obdurationem per *nolle miſereri*, loquitur ibi S. Doctor de reprobis traditis in concupiſcentias cordis ſui, & damnationi ultimæ obſtrictis. Intueamur textum, necnon & præcedentia, ut inde mentem Sancti Doctoris aſſequamur. Sic habet num. 14. *Quòd ſi tanta quoque poteſt eſſe obſtinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdureſcat mentis averſio, quæritur, utrum de divina pœna ſit ipſa duritia, cùm Deus deſerit, non ſic vocando, quomodo ad fidem moveri poteſt. Quis enim dicat modum, quo ei perſuaderetur, ut crederet, etiam Omnipotenti defuiſſe?* Et num. 15. *Sed quid hoc quærimus? Cùm ipſe ſubjungat Apoſtolus, Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia ad hoc te excitavi, ut oſtendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra. Hoc autem ſubjecit Apoſtolus documentum, quo probaret quod ſupra dixerat. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Tanquam enim ei diceretur, unde hoc doces? Dicit enim Scriptura, inquit, Pharaoni, quia ad hoc te excitavi, ut oſtendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra. Utique hinc oſtendens, quòd non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Concluditque ita: *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat: cùm ſuperius non utrumque dictum ſit.*

Ne-

Neque enim quomodò dictum eſt, non nolentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; ſic etiam dictum eſt, non volentis, neque contemnentis, ſed obdurantis eſt Dei. Ex quibus pronuntiat S. Doctor, quod in argumento aſſumitur, dicens: *Unde datur intelligi, quòd infra utrumque poſuit, ergo cujus vult, miſeretur; & quem vult, obdurat; ita ſententia ſuperiori poſſe congruere, ut obduratio Dei ſit nolle miſereri: ut non ab illo irrogetur aliquid, quō ſit homo deterior; ſed tantùm, quō ſit melior, non erogetur.*

46. Vides *Auguſtinum* loqui de illis, qui cùm noluerint credere, & rectè vivere, occulto, atque humano modulo inveſtigabilis æquitatis ſuæ judicio, Deus eos ad ſupplicium damnandos judicavit, miſericordiamque denegandam. In hoc eodem ſenſu protulit & alia verba, quæ objiciuntur, ut probat ipſe textus: *Itaque hujus impudentiam quæſtionis ita retundit Apoſtolus ad Rom* 9. *verſ.* 10. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Sic enim reſpondet Deo, cum ei diſplicet quod de peccatoribus conqueritur Deus, quaſi quemquam Deus peccare cogat, ſi tantummodò quibuſdam peccantibus miſericordiam juſtificationis ſuæ non largiatur, & ob hoc dicatur obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur, non quia impellit, ut peccent. Eorum autem non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe præbendam, æquitate occultiſſima, & ab humanis ſenſibus remotiſſima judicat.* Quibus S. Doctor explicat caſum miſerrimum illorum, qui proſperantes in iniquitatibus ſuis excœcantur, & ſervantur ad ultimam, opportunamque vindictam.

47. Textus, qui objicitur ex *Pſal.* 6. probat ſolum, quòd Deus denegat obcœcatis uberiorem gratiam; non tamen quòd ii omni gratiâ priventur, ut verba immediata ſignificant. Poſtquam enim dixit S. Doctor: *Ea eſt cœcitas mentis: in eam quiſque datus fuerit ab interiori Dei luce ſecluditur*, addit: *ſed nondum penitus, cùm in hac vita eſt. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum ſit, quiſquis dum tempus eſt, corrigi noluerit. Penitùs autem eſſe extra Deum quid eſt, niſi eſſe in ſumma cœcitate? Siquidem Deus habitat lucem inacceſſibilem, quò ingrediuntur, quibus dicitur, intra in gaudium Domini tui. Hujus igitur iræ inchoatio eſt, quam in hac vita patitur quiſque peccator.* En cœcitas, & obſtinatio, quâ Deus non inſtigando, ſed deſerendo facit, ut illi ab itinere divinæ juſtitiæ deviando, & errando operentur cœci. Quod Deus debitè, juſtèque permittit; præceſſit enim aliquid, unde Deus juſtiſſimè iratus, ab eis ſuum lumen auferat, ſed non penitus, cùm in hac vita ſunt; in qua ſolùm datur iræ inchoatio.

48. Nihil magis probat textus de *perfect. juſt.* cap. 19. Hìc namque redarguit S. Doctor *Cœleſtium* Pelagianum contendentem, hominem omni deſtitutum gratiâ, viribus ſolius naturæ poſſe ſervare mandata, ex illo Sacræ Scripturæ oraculo: *Si velis, præcepta ſervabunt te*, dicens: *Quaſi non debeat Deo gratias agere, qui præcepta voluit, qui deſertus omni lumine veritatis hoc velle non poſſet.* Ex quo arguit S. Doctor, de omni opere bono, & conſequenter de ipſo velle, gratias Deo

agen-

agendas; eò quòd omni deſtitutus lumine veritatis, hoc velle habere non poſſet.

49. Similiter intelligendus textus ex libro 2. de *ſerm. Domini in monte*. Aliud quippe eſt, quòd illi tenebras cupiditatum ſuarum magis diligentes, gratiæ Dei cor non aperiant, nec intueantur, ſed obcœcati ſint; aliud quòd in illis, etſi excœcatis, non ſit aliqua poteſtas ſaltem *remotè* ſufficiens, ut mutari in melius poſſint. Auxilium tam requiſitum ad actum, quàm ad poteſtatem *proximè* ſufficientem ſubtrahitur, non tamen facultas potentiæ ſaltem *remotè* ſufficientis, ſeu auxilium, quô poſſint petere à Deo ſufficientiam proximam, & gratiam, ad poſitionem actûs. Idemque dicendum ad textum ex *Pſal.* 57. quòd enim dixerit *Auguſtinus*, *jam eſt mentis cœcitas*, *jam oculus mentis extinctus eſt*, non ideò interioris Solis plenum occaſum patitur mens, ſed extinctus dicitur oculus mentis per quamdam dicendi energiam, quâ Sanctus Doctor ſignificat privationem uberioris gratiæ: quia nempe claudens oculos animæ illuminationem contemnit, & obſtat uberiori gratiæ: quâ nempe privantur, qui ambulantes in vanitate mentis ſuæ, & alienati à via Dei propter cœcitatem cordis eorum, licèt Deus, qui lux eſt, ſufficienter illuminet illorum mentes, ut ea, quæ divina dicuntur, intelligant, ſitque in illis uberior lux, quâ pleniùs illuminentur: non enim parva gratia eſt, noſſe, à quo lux illa uberior poſcenda ſit.

50. Eodem quoque modo exponendus *Auguſtinus* lib. de *Natur. & grat.* cap. 51. ibi enim obſtinatis *proximam* videndi poſſibilitatem negat, non tamen *remotam*; cùm concedat eis videndi voluntatem; & omni amiſsâ poſſibilitate tam proximâ, quàm remotâ, nulla eſſet eis videndi voluntas; ſiquidem etiam hæc voluntas bona eſt, deſcendens à Patre luminum, à quo deſcendit omne bonum. Eſt autem ex humana malitia, quòd voluntas ejuſmodi ad efficaciæ perfectionem non veniat; quia ut ſcriptum eſt: *Vult, & non vult piger*. Itaque & habet à Deo, quòd ad efficaciam pervenire poſſit, & habet à ſe, quòd non perveniat, immò quòd ſemper in deterius recedat.

51. Non abſimiliter dicendum ad textum ex lib. 1. contra *Julian.* Oper. imperfect. cap. 41. nec enim obduratis abſolutam benè operandi potentiam negat, ut conſtat ex verbis immediatè præcedentibus: *Cæcitas cordis, ſi peccatum non eſſet, injuſtè argueretur*: *arguitur autem juſtè*, *ubi dicitur*, *Phariſæe Cœce*, *& aliis pluribus divinorum eloquiorum locis*. Non argueretur juſtè, nec cœcitas eſſet illi imputabilis ad culpam, quæ ex propria voluntate, propriaque malitia cordis ortum non duxit: ergo depelli potuit per pœnitentiam; ſicut enim nemo vult cœcus eſſe corpore, ita nec volens cœcus eſt corde. Quæ enim magis infelix cœcitas, quàm illa, quâ voluntariè perdit homo obſtinatione oculos mentis? Illa, quæ eſt pœna peccati antecedentis, licèt non ſit in ſe voluntaria, ſed in cauſa, eſt tamen peccatum; cùm ſemper internè irradiet aliquis veritatis ſplendor, quô de tenebris poſſint obſtinati, ſaltem remotè, transferri ad lucem, luxque in Domino fieri. Sed illi, ut nuper dixi, ſemper recedunt: & in hoc conſiſtit eorum cœcitas, & obduratio.

52. Quar-

52. Quartò objicies: Si obduratis, & excœcatis Dei gratia ſufficiens eſſet cœlitùs emiſſa, ſentirent illi aſſiduè pro omni inſtanti, ſe illuminari à Deo, aut immitti bona deſideria, quibus excitarentur ad converſionem; at non ſemper, & pro omni inſtanti ſentiunt, ſe illuminari à Deo, aut immitti bona deſideria, quibus excitentur ad converſionem; ergo nec datur illis ſemper auxilium ſufficiens, dum inſtat præceptum ad converſionem. Major certiſſima eſt; ideò enim conceditur obduratis gratia ſufficiens, quâ à Deo illuminentur, & excitentur, dum urget præceptum, ne præcepta ſint illis impoſſibilia; ſed obduratos in omni inſtanti urget præceptum exeundi ex illo miſerabili obdurationis ſtatu: ergo & debent ſentire, ſe illuminari à Deo, & excitari ad converſionem, ne pro illo inſtanti impoſſibilis ſit converſio. Minor verò probatur: tum quia actu ſemper bona cogitarent, & vellent; quis autem hoc ſanus dicere audeat? Tum quia oppoſitum firmiſſimis ex Sacra Scriptura depromptis argumentis fulcitur. Id namque probat illud *Pſal.* 94. cùm Spiritus Sanctus dixit: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ideò nominat *Hodie*, & conditionem addit *ſi audieritis*, quia non quotidiè, nec ſine intermiſſione ſonat vox ejus, ſed certo tempore viſitat, atque excitat. Hoc probant tot alia *Pſalmorum* oracula: Etenim *Pſalm.* 9. legitur: *Exacerbavit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret. Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua à facie ejus.* Et *Pſalm.* 49. *Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Et *Pſalm.* 71. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Quibus verbis declarat Scriptura, obduratos in magnis ignorantiæ tenebris verſari, ut nulla ſit in illis recta cogitatio, ſeu animi attentio ad actionis pravitatem; quia nempè vitia, rationis uſum pervertentia, ſanctarum cogitationum identidem pulſantium afflatum penitus extinxerunt libidinum impetus, nec minimus quidem conſcientiæ ſcrupulus reprimit; ſed illud miſeriæ malum aſſecuti ſunt, ut Dei penitus obliviſcantur.

53. Hoc confirmari poteſt in perſecutoribus Apoſtolorum, qui omni præviâ mentis illuſtratione carentes circa illius peccati malitiam, potius eâ in perſecutione obſequium ſe præſtare Deo arbitrabantur, juxta illud *Chiſti*, Diſcipulos alloquentis, Oraculum *Joan.* 7. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo; & hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Idem eſto de Crucifixoribus *Chriſti* judicium, pro quibus *Luc.* 26. orabat *Chriſtus*: *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* Et *Apoſtolus* 1. Corinth. 2. *Si cognoviſſent nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Non abſimiliter *Paulus*, ſpirans minarum, & cædis, Eccleſiam perſequens, gravis reus erat peccati, ut fatetur ipſe 1. ad *Timoth.* 1. *Fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus*: qui tamen nullam præviam animi illuſtrationem ſenſit; quin potiùs abundantiùs ſupra coætaneos, avitas traditiones æmulabatur, juxta illud ad *Gal.* cap. 1. *Audiſtis converſationem meam aliquando in Judaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar*

Ec-

Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum: qui ſanè omnes effræni potiùs impetu, ac ſacrilegâ quâdam oſtentatione, nullo retrahente conſcientiæ morſu, nefanda perpetrarunt crimina; nullâque deſuper infusâ luce gravitatem eorum noſcentes, & percipientes.

54. Hoc argumentum attingit controverſiam illam, an in omni inſtanti immittantur à Deo ſanctæ cogitationes, ſanctique affectus, quibus conſtituatur homo intrinſecè potens ſalutariter operari. Non gratiæ injuriam faciunt Auctores graviſſimi, qui non pro omni inſtanti, ſed ſolùm pro loco & tempore ſufficiens excitationis auxilium, quô poſſit homo ſalutariter operari, diſpenſari à Deo contendunt; cùm contrarium efficaciter ex Sacris Scripturis probari minimè poſſit; reſque ſit merè pendens ex libero Dei arbitrio; & nobis gratia æquè ſit indebita pro uno inſtanti, ac pro alio, ut rectè arguit S. *Auguſtinus* lib. de *peccat. orig.* cap. 24. num. 28. *Non enim*, inquit S. Doctor, *Dei gratia erit ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo*. *Quomodo enim*, inquit ille de *grat. Chriſti* cap. 23. num. 24. *eſt gratia, ſi non gratis datur? Quomodo eſt gratia, ſi ex debito redditur?* Et ibid. cap. 31. num. 34. *Ac per hoc jam non gratia, quia niſi gratuita non eſt gratia*. Hoc ſanè mihi perſuaſiſſimum eſt, tum rationibus in argumento propoſitis: tùm ex eo, quòd toties exclamat *Propheta Regius*: *Ab occultis meis munda me Domine. Deus meus illumina tenebras meas. Ne memineris ignorantias meas*: quibus oſtendit, qualiter propter tot improviſas offenſiones, & occultas rerum inſidias, non ſemper eſt præſens mentis illuſtratio, voluntatiſque excitatio: cùm tamen ille diceret Pſalm. 50. *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*.

55. Illuſtrari poteſt hoc noſtrum aſſertum variis SS. PP. teſtimoniis, & primò ex D. *Auguſtino*, cujus auctoritas ſatis abundè eſſet ad hujus rei perſuaſionem. Lib. 1. contra Epiſtol. fundament. cap. 37. ſic loquitur S. *Doctor*: *Nec tantùm ſine miſericordia Dei derelicta es, quæ certis rerum, temporumque menſuris vocaris, ut redeas*. Sed maximè audiendus lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. cap. 17. n. 26. *Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat .... Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates*. Quare n. 27. dicit S. *Doctor*: *Ideò quiſque noſtrùm opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit, non ſuæ facultatis, ſed divini muneris eſſe, vel quod ſcit, vel quod delectatur, ac ſic ab elationis vanitate ſanetur*. Quod iterum firmat ibi cap. 19. n. 32. dicens: *Nos, quantùm conceſſum eſt, ſapiamus, & intelligamus, ſi poſſumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant, non à ſe ipſis, ſed ab illo eſſe lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum, & ſuavitatem, quâ det fructum ſuum terra eorum*: quibus planiſſimum eſt, non pro omni in-

inſtanti cœlitus diſpenſari, ſed pro loco, & tempore, auxilium ſufficiens.

56. Firmatur ſecundò variis eximiis, egregiiſque aliorum SS. PP. teſtimoniis. S. *Bernardus* ſerm. 54. in Cantica n. 10. *Interdum ſubtrahitur gratia, ſive retrahitur, non pro ſuperbia, quæ jam eſt, ſed quæ futura, niſi ſubtrahatur.* S. *Gregorius* lib. 2. Moral. cap. 49. *Fit, ut aliquando ſe gratia utiliter ſubtrahat, & præſumenti quantum in ſe infirmatur oſtendat.* Quod ipſum antea dixerat cap. 29. oſtendens, qualiter Deus interdum negat hujuſmodi auxilium ſufficiens: *Collato munere ſublevat, & obſtructo ad paululum, ipſum tibi hominem demonſtrat. Richardus à S. Victore* lib. de ſtat. inter. hom. cap. 31. *Quis eſt*, inquit, *qui in hac vita ſemper gratiam præſentem habeat, vel habere valeat? Divinitus itaque ille internæ aſpirationis radius quandoque ſubtrahitur.* Quibus omnibus ſuffragatur *Emin. Cardinalis Bellarminus* de grat. & liber. arbit. lib. 2. cap. 6. hanc ſtatuens concluſionem: *Auxilium Dei neceſſarium ad converſionem non adeſt peccatoribus omnibus momentis, ſed certis temporibus, prout judicat Deus, munera ſua eſſe diſtribuenda. Sexta propoſitio. Auxilium Dei ſufficiens, & neceſſarium ad reſurgendum à peccato, etſi nulli deſit pro loco, & tempore, non tamen adeſt omnibus momentis.* Quod variis momentis probat, ibi videndis.

57. Tertiò invictè probant id ipſum ratio, & experientia. Nemo enim noſtrum eſt, qui non interdum donum ſpiritâlis gratiæ ſentiat; cùm ſobrius, cùm tranquillus, cùm continens eſt, & cùm Dei præceptis humili, ac debitâ obedientiâ famulatur. Sed ſubrepentibus turbidarum affectionum motibus, cùm ſubit nimia rerum temporalium cura, cùm æſtus turpis, ac laſcivæ cupiditatis accenditur, cùm iræ impetus commovetur, non ſanè ſentiuntur interni illi divini afflatus, piæque cogitationes, & urgentes conſcientiæ motus. Quis namque credat, homines libidinum cœno demerſos, totque nefandis cupiditatis vitiis implicatos, qui & lætantur, cùm malè fecerint, hos, quoties ad peccatum alliciuntur, toties pias experiri cogitationes? Falſitatem probat experientia; cùm fateantur illi, non toties de Deo exorando cogitaſſe, quoties in peccatis prolapſi ſunt: quod & juſtis pluries accidit, dum peccatum ſe in animum eorum inſinuat per ſubitos æſtus, dicente *Auguſtino* de natur. & grat. cap. 29. n. 33. *Plerumque in rectè factis pede celeriore ſupervenit, & obrepit.* Et de ſpirit. & litter. cap. 36. n. 64. *Quàm in multis offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non diſplicere, quod facimus: Et poſtea per Scripturam ejus ſive certâ, & perfectâ ratione commoniti, cùm didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo precamur, ut ignoſcat. Unde autem minus novimus, quod ei placeat, niſi quia, & ipſe minus notus eſt nobis?*

58. Non morabor hìc refellere ineptum quorumdam paradoxum aſſerentium, peccatores excœcatos, & induratos piis illuſtrationibus, & excitationibus cœlitùs immiſſis continuò perfundi, ad eas tamen minùs attendere, ſeu imperceptibiles eſſe. Etenim inſulſitatem hujus aſſerti

ſat benè detegit *Emin. Bellarminus* loco ſuprà citato dicens: *Reſpondent ad hanc rationem duobus modis: dicunt enim aliqui, Deum quidem perpetuò pulſare ad oſtium cordis, & peccatores vocare, ſed eos aliis rebus intentos non percipere vocationem Dei. Alii dicunt, Deum quidem non ſemper vocare, ſed paratum eſſe id facere, ſi velimus. At poſterior hæc reſponſio manifeſtè incidit in errorem Caſſiani, & Fauſti, quem refutavimus cap.2. & omninò tollit è medio gratiam prævenientem; quomodò enim gratia præveniens eſt, ſi ſemper expectat, ut à voluntate humana præveniatur? Sed neque trahi dicendus eſt, qui antequam trahatur, voluntatem habet eundi. Denique expectat quidem ille, qui pulſat ad oſtium cordis, ut aperiatur, & ideò dicit: Si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum; ſed non expectat, ut invitetur ad pulſandum, ſed ipſe prævenit pulſando, & vocando, ut definitum eſt in Concilio Arauſicano Can.4. Prior autem reſponſio cum ipſo experimento apertiſſimè pugnat; nam cùm vocatio, pulſus, tractus, excitatio illa Dei, ſit actio noſtra, quamvis non libera, nimirum bona cogitatio, bonumque deſiderium repentè, ac divinitùs immiſſum; quomodò poteſt fieri, ut non ſentiatur à nobis? Prætereà, ſi ſemper adeſſet talis gratia præveniens, ſemper actu bona cogitaremus, & vellemus; quis autem hoc ſanus dicere audeat? Quare in Pſal. 94. cùm Spiritus Sanctus dixit: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra: ideò nominat hodie, & conditionem addit, ſi audieritis, quia non quotidie, nec ſine intermiſſione ſonat vox ejus, ſed certo tempore non viſitat, atque excitat.*

59. Hæc Eminentiſſimus iſte: quibus efficaciſſimè roboratur aſſertum noſtrum, & nos pari diſcurſu ad illud perſuadendum progredimur. Intellectus enim, cùm ſit ſupra ſe reflexivus, eâdem intellectione intelligit objectum, & intellectionem ſuam, ut probat D.*Thomas* 1. p. q.14. art.2. ad 3. Et q. 76. art.2. ad 4. Et q.85. art.2. Et q.87. art.1. & 3. Ergo nequit eſſe, quòd prævia mentis illuſtratio affulgeat, & pia motio voluntatem excitet, quæ non actu, etſi minùs clarè, percipiatur ab anima, quæ, ut dicit *Auguſtinus*, *ſemper eſt conſcia ſuæ operationis*. Rurſus, quid eſt cauſæ, ut præſentem velint Auctores iſti ſemper eſſe illuſtrationem mentis, piamque voluntatis excitationem, ſi ſenſibilis non eſt? An neceſſaria, ut homo liber ſit? At quomodò liber conſtitui poteſt homo excitatione, quæ non excitat; cogitatione, quâ non cogitatur? Ergo ſi ſenſibilis, & perceptibilis non eſt, non pro omni inſtanti illâ præviâ illuſtratione perfunditur animus; cùm moveri non poſſit motu, qui non ſentiatur.

60. His ergo poſitis, ad objectam argumenti difficultatem neganda eſt Major; ad probationem, quæ non minoris momenti eſt, conceſsâ Majori, diſtinguenda eſt Minor: Sed obduratos pro omni inſtanti urget præceptum exeundi ab illo miſerabili obdurationis ſtatu, pro omni inſtanti phyſico nego Minorem, pro omni inſtanti morali, conceſsâ Minori, negatur conſequentia. Dum enim dicitur, quòd gratia illa interior eſt ſemper in quolibet momento data, vel oblata, hoc non debet intelligi de quolibet inſtanti phyſico, ſed de quolibet inſtanti morali, nem-

nempe de omni illo, in quo urget præcepti alicujus obligatio, vel gravis ad malum tentatio ſollicitat. Etenim, ut ſuprà diximus, ſemper, & pro omni inſtanti Deus ad eos illuminandos paratus eſt: non tamen lumen illud divinæ gratiæ ſemper eſt pro omni inſtanti in actu ſecundo ſuis fulgoribus illuſtrans; ſed ſolùm pro loco, & tempore internos divinos afflatus, piaſque cogitationes largitur Deus; nempe dum pervenit homo ad uſum rationis, dum urget gravis tentatio, dumque inſtat obſervantia præcepti ſupernaturalis. Tunc namque datur gratia illa ſupernaturalis pro illo tunc, pro quo obligatur ad obſervantiam præcepti. Quòd ſi in illo, & pro illo inſtanti juſto Dei judició alicui obdurato non eſt præſens, eſt illi pœna peccati perſonalis, quæ non excuſat ipſum à culpa; cùm ex gratiæ renitentia, impotentia pro illo inſtanti benè agendi, & deponendi excœcationem, & obdurationem, facta ſit illi conſequens, & voluntaria. En ergo quomodò excœcatis, & obduratis imputatur tam obduratio, quàm peccatum in ipſa obduratione commiſſum; quamvis non ſemper pro omni inſtanti præfulgeat illuſtratio, ac ſtimulet excitatio; vel quia ſolùm pro loco, & tempore datur; vel quia ſi pro aliquo inſtanti illis illuſtrationibus, & excitationibus ſint exuti, priori culpâ deſtituti ſupponuntur. Rem hanc, quia ſummi, ut arbitror, momenti, prolixiùs tractare pernéceſſarium mihi viſum eſt.

DUBIUM V.

An Obduratis, & Excœcatis pro ſtatu perfectæ obdurationis, & excœcationis omiſſio actûs præcepti ſit imputabilis ad culpam?

§. I.

Explicatur poſſibilitas Obdurationis.

1. HIc ſtatim oritur quæſtio alia de perfectè excœcatis, & obduratis, quos Deus ita plenè deſeruit, ut ſint omni gratiâ ſufficiente deſtituti. Caſum iſtum perfectæ excœcationis, & obdurationis poſſibilem agnoſcimus. Etenim obduratio dupliciter conſiderari poteſt: primò, quà peccatum eſt, & prout ſic eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi à divino lumine. Secundò, prout dicit ſubtractionem gratiæ. Si conſideretur, quà formaliter dicit motum animi humani inhærentis malo, & averſi à divino lumine, prout ſic non eſt à Deo: cùm Deus nunquam actu directo, & poſitivo aliquem induret, quoniam mali auctor eſſe nequit, neque peccati: quod blaſphemè ſcripſit *Calvinus*, Deum obcœcationis, & obdurationis unicum auctorem faciens. Sic lib.2. Inſtitutionum: & licèt admittat, Deum ſæpè obdurare ſolùm deſerendo: tamen addit, alia eſſe teſtimonia, quæ ultrà procedant: *Qualia ſunt*, inquit, *de Pharaonis induratione. An*

induravit cor non emolliendo? Id quidèm verum eſt, ſed plus aliquid fecit; quòd obſtinatione pectus ejus obfirmandum Satanæ mandavit. Sed expreſſiùs lib. 3. Inſtit. cap. 24. §. 12. *Quos ergo in vaſa contumeliæ, & mortis exitium creavit, ut iræ ſuæ organa forent, & ſeveritatis exempla, eos, ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat, & obſtupefacit*.

2. At Fide Catholicâ Magiſtrâ diſcimus, obdurationem permiſſivè tantùm, non poſitivè eſſe à Deo, qui juſtitiæ ſuæ judicio permittit peccatorem indurari; non tamen obdurationis & peccati eſt, vel dici poteſt cauſa. Cujus fundamentum eſt, quia cùm concretum ſupponat pro actu, qui ſubſtat deformitati, & deformitas actum afficiens ſe habeat, ut ſignificatum formale, nequit verbum appellans ſupra ſignificatum formale termini, in quem fertur, abſolutè dici de Deo; quare falſum eſt dicere; Deus eſt cauſa peccati, ſed ſolùm cum aliqua reduplicatione, inquantùm eſt actus; ut enim dicit S. *Auguſtinus* Epiſt. 194. ad *Sixtum* cap. 3. num. 6. *Inveſtigabiles ſunt miſericordia, & veritas ejus, quoniam cujus miſeretur, non juſtitiæ, ſed miſericordiæ gratiâ, & quem vult obdurat, non iniquitate, ſed veritate vindictæ*. Et num. 14. *Quærimus meritum obdurationis, & invenimus. Merito namque peccati univerſa maſſa damnata eſt. Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam; quibus enim non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur: ac potius ut non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur*. Et lib. de grat. & liber. arbit. cap. 31. num. 33. *Ac per hoc, quando legitis in litteris veritatis à Deo ſeduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, ut juſtè ita paterentur*. Et ibi: *Quorum malitiam non ipſe fecit, ſed originaliter tracta eſt ab ipſo Adam, aut crevit per propriam voluntatem*. Et lib. 1. q. 2. ad *Simplicianum*: *Ob hoc dicitur obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur, non quia impellit, ut peccent; eorum autem non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe præbendam æquitate occultiſſimâ, & ab humanis ſenſibus remotiſſimâ judicat*.

3. At ſi conſideretur, quà formaliter dicit ſubtractionem gratiæ, prout ſic eſt à Deo: ut toties inculcat S. *Auguſtinus*. Sic namque apertè pronuntiat in *Expoſit. Epiſtolæ ad Rom.* n. 62. *Cujus enim miſeretur, facit eum benè operari: & quem indurat, relinquit eum ut malè operetur*. In eodem ſuprà laudato lib. 1. ad *Simplicianum* num. 15. *Unde datur intelligi, quod infra utrumque poſuit. Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat, ita ſententiæ ſuperiori poſſe congruere, ut obduratio Dei ſit nolle miſereri: ut non ab illo irrogetur aliquid quo ſit homo deterior, ſed tantum quo ſit melior non irrogetur*. Et enarrat. in Pſal. 147. num. 26. exponens illud, *In faciem frigoris ejus quis ſubſiſtet?* Sic habet: *In faciem frigoris ejus, cujus? Dei. Unde eſt ejus frigus? Ecce deſerit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit ſenſum, ecce non infundit gratiam*. Etenim cùm Deus ſit ſupremus Dominus donorum ſupernaturalium, & gratia non ſit debita humanæ naturæ, non requi-

quiritur ratio, quarè Deus illam non det, cui non debetur. Illam largiens gratis dat, & non dans eam, non injuriam facit, ut teſtatur S. *Auguſtinus* de peccatorum merit. num. 6. *Cur illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantùm, illum autem non tantùm, iſtum illo, illum iſto modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecreta ratio, & excellentia poteſtatis*. Poteſt ergo Deus aliquorum nolle miſereri, nolle gratiam infundere, velle eos deſerere, non adjuvare, ut dicit S. *Auguſtinus* tract. 53. in *Joann. Sic excœcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt*. Et rurſum ibi: *Cum quæſtiones hujuſmodi in medium veniunt, quare alius ſic, alius autem ſic; quare ille, Deo deſerente, excœcetur, ille, Deo adjuvante, illuminetur: non nobis judicium de judicio tanti Judicis uſurpemus*. Et iterum ibi: *Si ergo abſit, ut ſit iniquitas apud Deum, ſive quando adjuvat, miſericorditer facit, ſive quando non adjuvat, juſtè facit: quia omnia non temeritate, ſed judicio facit*. Et tandem lib. 2. contra adverſ. leg. & Prophet. cap. 8. *Ille igitur, qui ſecundùm Apoſtolicam ſententiam cujus vult miſeretur, & quem vult, indurat, proculdubio quem vult illuminat, & quem vult, excœcat*. Ad cujus diſcutiendam juſtitiam valde parvum habemus ſenſum, cùm ejus gratia, non tam moveat cùm præſtatur indignis, quàm cùm æque indignis aliis denegatur. *Quis enim*, inquit *Apoſtolus* ad *Rom*. 11. *cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius illius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen*.

4. Hoc maximè verum, ſuppoſitô demeritô peccati originalis, quod Deus aſſumere poterat, ut motivum (terminativè ſcilicet, & materialiter, ut aliàs à noſtris explicatur) damnandi omnes homines: & de facto habet voluntatem conſequentem damnandi aliquos ex motivo ſaltem illius, quos re verâ damnat: ſicuti ex motivo ſuæ miſericordiæ, & bonitatis eſt in ipſo voluntas conſequens ſalvandi eos, quos de facto ſalvat: quod adeo diſertè docet D. *Auguſtinus*, ut nullum ea de re ſuboriri dubium poſſit. Sic expreſsè lib. de dono perſever. cap. 8. *Ex uno quippe omnes in condemnationem, non injuſtitiâ judicati ſunt filii iræ, ſed juſtitiâ. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, delictum agnoſcat*. Et in *Enchir*. cap. 95. *Tunc non latebat quod nunc latet. Cùm de duobus parvulis unus eſſet aſſumendus per Dei miſericordiam, alius per judicium relinquendus; cur ille potius, quàm iſte fuerit aſſumptus, cum cauſa una eſſet ambobus*. Et lib. 2. ad *Bonifacium* cap. 7. ubi dicitur: *Cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat, qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, bonum quidem immeritò, & gratis datur, quia ex eadem maſſa, eſt cui datur: malum verò merito & debitum redditur, quia in maſsâ perditionis malum malo non malè redditur*. Et lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 8. *Cur autem non omnibus detur* (fides) *fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes eſſe in condemnationem, ſine dubitatione juſtiſsimam; ita ut in nullo Dei eſſet juſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur. Undè*

dè conſtat, magnam eſſe gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur, in eis, qui non liberantur, agnoſcunt.

5. His omnibus à S. *Auguſtino* ſtatutis, robur quidem non minimum addit præclara D. *Thomæ* ſententia q. 6. de verit. art. 2. ad 9. dicentis: *Electio Dei, quâ unum diligit, & alium reprobat, rationabilis eſt; nec tamen oportet, quòd ratio electionis ſit meritum, ſed in ipſa electione ratio eſt divina bonitas; ratio autem reprobationis eſt in hominibus peccatum originale, ut Auguſtinus dicit.* Si ergo cum voluntate conſequenti damnandi aliquos ex motivo peccati originalis, rectè componitur voluntas antecedens ſalvandi omnes homines, quæ in Deo oritur ex ſua infinita bonitate, quæ eadem immutabilis eſt, etiam poſt peccatum originale; itâ & in præſenti dicimus, quòd cum voluntate antecedenti dandi omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, rectè componitur voluntas conſequens, ex motivo peccati originalis, denegandi quibuſdam auxilia ſufficientia. Non enim deficit in Deo ex hominum peccato voluntas illa antecedens; cùm peccatum impediat ſolùm finis voliti conſecutionem, detque motivum modo ſuprà inſinuato; nam aliàs Divina voluntas à nullo extra ſe accipit motivi rationem, ut voluntate conſequenti Deus deneget auxilia ſufficientia: maximè cùm hæc auxiliorum denegatio, obcœcatio, & induratio ſint effectus reprobationis, ut docet D. *Auguſtinus* lib. de geſtis *Pelagii* cap. 3. *Abſit autem, ut ii, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes imagini filii ſui, ſuo ut pareant deſiderio dimittantur. Hoc enim patiuntur vaſa iræ, quæ perfecta ſunt ad perditionem.* Et mox: *Illis ergo fit quod ſcriptum eſt, tradidit illos Deus in deſideriis cordis eorum: non autem prædeſtinatis, quos regit Spiritus Dei.*

6. Accedit in ejuſdem veritatis confirmationem demeritum ſimpliciter infinitum peccati, quod in non regeneratis pœnam omnem meretur poſſibilem, ipſamque annihilationem, teſte D. *Thoma* in 4. diſt. 46. q. 2. art. 2. q. 1. ad 4. *Peccato originali ſecundùm rigorem juſtitiæ non ſolùm debetur pro pœna carentia viſionis divinæ, ſed etiam ipſius annihilatio; & ideò ex hoc ipſo, quòd ſerventur pueris non baptizatis bona naturalia, citra condignum puniuntur; unde Hierem. 3. dicitur: Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.* Hanc ergo annihilationis merentur pœnam, licèt de facto pœna iſta non ſit taxata ſecundùm divinam juſtitiam, quæ citra condignum peccatorem punit pœnâ infinitæ ſolùm durationis: quæ infinita duratio non compatitur ſubjectum annihilari, ut docet D. *Thomas* 1. 2. q. 87. art. 4. ad 1. *Dicendum, quòd omninò redigi in nihilum eum qui peccat, non convenit divinæ juſtitiæ, quia repugnat perpetuitati pœnæ, quæ eſt ſecundùm divinam juſtitiam, ut dictum eſt.* Ergo à fortiori meretur privationem omnis boni compoſſibilis cum exiſtentia ſubjecti: cùm privatio iſta minus malum ſit, quàm deſtructio totalis ſubjecti. Intantùmque eſt major pœna, inquantùm bonum, quò privat, eſt magis debitum ſubjecto, ut docet idem S. Doctor q. 5. de malo art. 4. *Ad tertium dicendum, quòd gravitas alicujus pœnæ poteſt attendi dupliciter: uno modo ex parte ip-*

ſius

ſius boni, quò privatur per malum pœnæ: & ſic carentia viſionis divinæ, & fruitionis Dei eſt graviſſima pœnarum. Alio modo per comparationem ad eum, qui punitur: & ſic tantò eſt gravior pœna, quantò id quod ſubtrahitur eſt magis proprium, & connaturale ei, cui ſubtrahitur. Sicut magis diceremus puniri hominem, ſi auferretur ei patrimonium ſuum, quàm ſi impediretur, ne perveniret ad regnum, quod ei non debetur. Et per hunc modum dicitur eſſe mitiſſima omnium pœnarum ſola carentia viſionis divinæ, in quantùm viſio divinæ eſſentiæ eſt quoddam bonum omnino ſupernaturale. Ex quo ibi art. 3. probat, carentiam viſionis divinæ nullam inducere afflictionem, nullumve animi dolorem pueris decedentibus ſine Baptiſmo; & reſpectu illorum eſſe *mitiſſimam* pœnam; quia ſcilicet privatio ſolùm eſt boni non debiti ipſis. Cùm autem tam naturæ Angelicæ, quàm animæ rationali, quæ ſunt ab intrinſeco incorruptibiles, eſſe ſit ex intrinſecis debitum; alia verò bona, ſive ordinis naturæ, ſive gratiæ, ſint minùs debita, inde fit, quòd in ratione mali ſit majus malum totalis privatio eſſendi reſpectu naturæ ab intrinſeco incorruptibilis, quàm privatio cujuſcumque alterius boni poſſibilis: ergo peccatum, quod ex parte ejus, in quem peccatur, juſtô Dei judiciò meretur non eſſe ſubjecti, & juſtè meretur privationem cujuſcumque alterius boni poſſibilis ordinis ſupernaturalis, ut rectè agnovit D. *Auguſtinus* de corrept. & grat. cap. 11. dicens: *Si autem hoc adjutorium, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent; adjutorium quippe defuiſſet, ſine quô perſeverare non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum.* Et lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 21. *Quando ergo auditis, quod ait Apoſtolus, cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat, in eo, quem ſeduci permittit, aut obdurari, mala ejus merita credite.* Quam miram, & eximiam S. *Auguſtini* doctrinam ſequutus eſt D. *Thomas* 2. 2. q. 2. art. 5. dicens: *Dicendum quòd... ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum: & ſimiliter ad credendum articulos Fidei: ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ. Quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis, ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & grat.*

7. Ut veriſſimum ergo præſupponi debet, quòd obduratio effectus eſt peccati, ſive perſonalis, ſive originalis. At hìc meritò contra *Janſenium* de grat. Salvat. lib. 10. cap. 4. in fin. obſervandum, quòd totalis deſertio gratiæ non poteſt eſſe effectus peccati originalis per Baptiſmum remiſſi: nam per Baptiſmum nedum remittitur culpa, verùm etiam & omnis reatus pœnæ æternæ, ut definit *Concilium Tridentinum* Seſſione quintâ his verbis: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, anathema ſit*: ex illo nempe *Apoſtoli* ad *Rom.* 8. *Nihil damnationis*

tionis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu. Si ergo datur reatûs remiſſio, injuſtus eſſet Deus, ſi in illo daretur voluntas puniendi hominem auxiliorum ſufficientium denegatione propter tale peccatum;debitum quippe pœnæ æternæ ſupra culpam fundatur:ergo cui eſt remiſſa culpa,puniri nequit exercitâ denegatione omnis auxilii,quæ ſe habet, ut maxima pœna. Tum & maximè; quia negatio omnis auxilii eſt permiſſio peccati actualis: ergo ſi exercita denegatio omnis gratiæ ſufficientis cauſatur demeritoriè ex peccato originali; ipſum peccatum originale remiſſum influeret ſicut prima radix in peccatum actuale, propter quod eſſet pœnâ æternâ puniendus. Quomodò ergo verum eſſe poteſt illud *Apoſtoli*, quòd *Nihil damnationis manet in homine,qui eſt in Chriſto Jeſu?* Vel illud ſacri Concilii oraculum, quòd per Baptiſmum & remittitur culpa, & reatus pœnæ æternæ; ſi peccatum remiſſum reviviſcit quoad demeritum? Si Deus baptizato non totale beneficium liberationis decernit, nec à perditione liberat; ſed potiùs eum finaliter in perditione, ex demerito ejuſdem peccati, relinquit?

8. Non dari pro hoc ſtatu obdurationem, & deſertionem totalem, tam in baptizatis, quàm in infidelibus; nullique in pœnam peccati ſive originalis, ſive actualis ablatum eſſe auxilium ſufficiens, quô implere præceptum, quô petere, & impetrare poſſit omnia ſibi neceſſaria ad ſalutem, diximus Dubio præcedenti; non enim tanta pœna, manente ſtatu viatoris, ad executionem perducitur; cùm de ratione hujus ſit, quòd poſſit accedere ad terminum, quod impoſſibile eſſet homini omni auxilio ſufficienti deſtituto. Hoc clamat Dei miſericordia ſuperexcedens nequitiam peccatorum; quâ invitantur iſti, dum in via ſunt, ad ſalutem, & pœnitentiam *Ezechielis* 33. v. 11. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis veſtris peſſimis. Eccleſ.* 5. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius*. Et 2. *Petr.* cap. 3. v. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Quænam ergo eſſet miſericordiæ Dei gloria,obduratum in illo miſerrimo obdurationis ſtatu ad pœnitentiam vocantis,ſi penitùs,& pro ſemper deſtitutus eſt omni Dei gratiâ, quâ mens illuminetur, cor emolliatur ad rectè vivendum, duritiamque cordis deponere poſſit, quam ipſe ſibi mala perpetrando nutrit?

9. At cùm ſint nec pauci, nec infimi nominis Theologi, qui aſſerunt, auxilium ſufficiens, & neceſſarium ad reſurgendum à peccatis, non omnibus hominibus adeſse pro omni tempore, maximè obcœcatis pro ſtatu obdurationis; inter quos Emin. Card. *Bellarminus* de grat. & liber. arbitr. lib. 2. cap. 6. dicens: *Probatur igitur hæc propoſitio ex divinis litteris, Eccleſ.* 7. *Conſidera opera Dei, quòd nemo poteſt corrigere, quem ille deſpexit. Certè qui hoc dixit pro comperto videtur habere, aliquos à Deo interdum ita deſpici, ac deſeri, ut converti nequeant. Item Joann.* 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum. Quo loco notandum*

dum eſt illud, non poterant credere, non eſſe dictum ſolùm propter præſcientiam futurorum, id eſt, quia præviderat Iſaias, eos non crediturros, quomodo poſſemus dicere, non poterat Petrus non negare Salvatorem, quandoquidem Chriſtus, qui mentiri non poterat, eum negaturum fuiſſe prædixerat. Nam hoc paulò ante ſignificaverat Joannes illis verbis: Cùm autem tanta ſigna feciſſet, non credebant in eum, ut ſermo Iſaiæ impleretur, Domine quis credidit auditui noſtro? Ibi igitur cauſam reddidit, cur non crederent ex prædicatione Iſaiæ; ſed mox adjungit aliam cauſam ab excœcatione, & de ea dicit: Et propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, excœcavit oculos eorum. Porrò excœcati non ſolùm non vident, ſed etiam videre, durante excœcatione, non poſſunt.

10. Mox ſibi ſequens objicit argumentum: *At inquies, quamvis excœcati videre non poſſunt, tamen removere poſſunt excœcationem, ſi cooperentur gratiæ prævenienti, & ſic abſolutè videre poſſunt.* Cui ipſe reſpondet: *Fateor, excœcatos poſſe removere excœcationem, ſi cooperentur gratiæ prævenienti, ſed gratiam prævenientem non ſemper adeſſe confirmo; idque colligi dico ex loco Evangelii jam citato; nam cùm adeſt gratia præveniens, incipit homo videre, aut certè poſſe videre; gratia enim præveniens illuminat cor; proinde non eſt ille ſimpliciter excœcatus, cui gratiæ divinæ lumen affulget; & ſi ſemper adeſſet gratia præveniens, per quam poſſent omnes peccatores ſemper videre, nulli eſſent ſimpliciter excœcati; quod certò repugnat Scripturæ allegatæ, aliiſque quamplurimis.*

11. Hanc obcœcationem ſimpliciter talem explicat Eminentiſſimus iſte lib. 2. de amiſs. grat. & ſtat. peccat. cap. 14. dicens: *Secundo loco obſervandum eſt, ad excœcationem, & obdurationem non ſufficere, ut quis non videat, vel non cedat; ſed requiri, ut non poſſit moraliter videre, nec cedere. Id enim oſtendit nomen excœcationis, & obdurationis. Cœci ſiquidem non dicuntur qui videre poſſunt, licèt non videant; & res duræ illæ dicuntur, quæ nec cedunt, ſi comprimantur, nec cedere queunt, & potius franguntur, quàm cedant. Hinc Joann.* 12. *legimus: Ideò non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, excœca cor Populi hujus, & aures ejus aggrava. Et Eccleſ.* 7. *Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem Deus deſpexerit. Ex quo intelligimus, non dici Deum excœcare, vel indurare, quando juvat hominem auxilio ſuo, ita ut ille verè poſſit, ſi velit, licèt permittat, eum labi, & eatenus deſerat, quia non præbet auxilium, quô ille infallibiliter velit. Alioquin omnes, qui peccant, eſſent excœcati, & obdurati, cùm nemo peccet, niſi permittente, atque aliquô modô deſerente Deo: Conſtat autem, non omnes, qui peccant, excœcatos, vel obduratos propriè dici poſſe. Illa igitur ſola permiſſio, atque deſertio, excœcatio, & obduratio dicitur ex parte Dei, quâ fit, ut homo juſtô Dei judicio peccata præterita punientis, ita deſtituatur auxilio divino, ut non poſſit moraliter non cadere, quod pulchrè oſtendit ſimilitudo Chryſoſtomi de Duce milites in prælio deſerente.*

12. Et infrà ſequens ſibi proponit argumentum : *Sed occurret aliquis, atque objiciet, incertum fore judicium Dei, quó in pœnam peccati præteriti aliquos obdurat, & excæcat, ſi in illorum poteſtate eſt, non excæcari, vel obdurari, aut continuò cæcitatem, obdurationemque repellere*. Cui ſatisfacit dicens : *Reſpondeo, certitudinem divini judicii ex eo pendere, quòd eum, qui excæcari, atque obdurari meretur, Deus non ſolùm deſerit, ac deſertione ſuá vinci ſinit ab hoſtibus, & in peccata varia trahi, atque perduci, ſed etiam non dat gratiam congruentem ejus ingenio ad imputandas vires, quæ eſt alia occultior deſertionis ſpecies, id eſt, non eum excitat, & vocat, quomodò prævidet illi aptum eſſe, ut ſequatur excitantem, & vocantem; & quamvis non deneget auxilium, quó ille abſolutè poſſit auxilium petere : tamen certiſſimè videt eum auxilio illo non uſurum. Atque ita cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat, ut dicitur ad Rom.* 9.

13. Hæc Eminentiſſimus iſte. Cùm ergo tàm ille, quàm nonnulli Theologi in excœcatis, & obduratis quamdam moralem peccandi neceſſitatem agnoſcant; nam licèt illi actuali auxilio deſtituti ad peccandum non neceſſitentur, fieri non poteſt, ut diu ſe ab omni peccato abſtineant, & non in aliquod propriæ voluntatis impetu acti præcipites ruant, juxta illud *Innocentii I.* in Epiſtola ad *PP. Concilii Carthaginenſis*. *Quotidiana*, inquit, *præſtat ille remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores : neceſſe eſt enim, ut quó auxiliante vincimus, eodem iterum non adjuvante vincamur* : Quod & definit Summus Pontifex *Cœleſtinus* in Epiſtola ad *Gallos* cap. 6. dicens : *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſò libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus*. Et rurſus, cùm & infidelibus etiam Deus ex demerito originalis peccati hanc cœcitatem, & obdurationem permittere poſſit; hinc duo examinanda, & demonſtranda veniunt : an nempè tàm illi, quibus denegatum eſt auxilium ſufficiens in pœnam peccati originalis, quàm illi, qui proprio perſonali peccato hanc merentur pœnam, culpâ vacent, dum in eo miſerando obdurationis ſtatu, in omnia ſcelera præcipites ruunt? Noſtrarum itaque partium eſſe duximus hæc duo ſequentibus Concluſionibus paulò diſtinctiùs explorare. Prima ſit.

§. II.

§. II.

Excæcatorum, & Induratorum peccata crimini iiſdem re ipſa verti non poſſunt, ſi in pœnam peccati originalis, omni ſint auxilio interiori deſtituti.

14. HUjus Concluſionis momentum deſumitur ex celeberrimo D. *Auguſtini* teſtimonio lib. de natur. & grat. cap. 67. n. 80. ubi probat, præcepta non eſſe impoſſibilia. *Quis enim peccat*, inquit S. Doctor, *in eo, quod cavere nullo modo poteſt?* Et cap. 69. num. 83. *Valde autem bona ſunt præcepta, ſi legitimè his utamur. Eò quippè ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus .... Et petat quò deſtituitur, ut impleat, quod jubetur.* Non in hoc, aut altero loco docet id ipſum Doctorum Princeps, ſed in multiplici; nempe ſerm. 61. de temp. *Nec impoſſibile aliquid potuit imperare, qui juſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius eſt.* Et lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. *Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe, ac per hoc poteſt homo ſi velit, eſſe ſine peccato adjutus à Deo.* Quod firmiſſimè credendum proponit S. Doctor, ut infrà dicemus.

15. At ex his argumentum deſumitur: Homo deſtitutus omni auxilio ſufficienti in pœnam peccati originalis eſſet antecedenter impotens ad impletionem præcepti; non enim omiſſio actûs præcepti eſt voluntaria, ſive exercitium liberum voluntatis, ſine poteſtate ad actum oppoſitum; cùm carentia actûs ſolùm poſſit eſſe exercitium potentiæ liberæ, ut talis, quæ propter ſuam univerſalitatem, & dominium poteſt hoc velle, vel nolle; ſed ſine poteſtate ad actum oppoſitum omiſſio actûs eſſet à voluntate ſine poteſtate, & dominio ad actum oppoſitum: ergo talis omiſſio non eſſet libera, ex quo nec peccatum eſſet, ut dicit Sanct. *Auguſtinus* lib. de vera Relig. cap. 14. *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullò modò ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Et hoc quidem ita manifeſtum eſt, ut nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quarè aut negandum eſt, peccatum committi, aut fatendum eſt, voluntate committi.*

16. Secundò: Omiſſio rei præceptæ, quæ eſt à voluntate determinata ad illam, tanquam ad adæquatum exercitium illius, non eſt omiſſio libera: unde quia *Manichæi* ponebant, peccatum eſſe ex natura mala, in quam, non voluntate, ſed à Deo, juxta ipſos, miſſi ſumus; arguit S. *Auguſtinus*, nullum in nobis eſſe peccatum. Sic diſputat. 2. contra *Fortunatum* Manichæum rogat eum, ut ſibi reſpondeat: *Quemadmodùm fieri poſſit, ut ſi eſt Deo natura contraria, nobis imputetur pecca-*

 tum,

tum, qui in illam naturam, non voluntate, ſed ab ipſo Deo, cui nocere nihil potuit, miſſi ſumus. Et lib. 2. de actis contra *Felicem* Manichæum cap.8. ſic eum redarguit: *Nullum ergo invenis peccatum, quod damnat Deus: nullum invenis peccatum, quod pœnitentiâ poſſit ſanari. Si autem pœnitentia eſt, & culpa: ſi culpa eſt, & voluntas eſt: ſi voluntas eſt in peccando, natura non eſt, quæ cogat*. Sed ſi homo careret omni auxilio, omiſsio actûs præcepti eſſet à voluntate determinata ad illam, tanquam adæquatum ejus exercitium; cùm eſſet à voluntate ſine indifferentia poteſtatis, ac dominii ad actum oppoſitum: ergo talis omiſsio non eſſet libera; ac per conſequens *peccaret damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit*, quod damnatum eſt à S. *Pio V*. prop. 67. *Baii*.

17. Tertiò: Omiſſio rei præceptæ in tantùm eſſet libera, in quantùm poſſet moraliter reduci ad voluntatem; ſed ſi voluntas eſt omni auxilio interiori deſtituta, ad ipſam nequit moraliter reduci: ergo non eſſet omiſſio libera. Minor probatur: Ut moraliter reducatur omiſſio ad voluntatem, neceſſaria eſt in voluntate poteſtas ad actum omiſſioni oppoſitum. Quid namque aliud eſt omiſſionem præcepti reduci moraliter ad voluntatem, niſi ſic voluntatem ſe habere, ac ſi poſitivè vellet omittere actum? Sed ſine poteſtate, & dominio ad actum, ſed potiùs cum neceſſitate ad omiſſionem, nequit dari fundamentum, ut intelligatur, ſic ſe habere voluntatem, ut velit omittere: ergo nequit moraliter reduci ad voluntatem omiſſio, quæ eſt à voluntate ſine poteſtate, & dominio ad actum oppoſitum. Non ergo talis omiſſio imputabilis eſt ad culpam, quæ nec laude, nec vituperio digna eſt. *Quis non clamet*, inquit *Auguſtinus* in lib. de Fide contra *Manichæos* cap. 11., *ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere: & iniquum eſſe eum damnare, cui non ſit poteſtas juſſa complere?* Quarè eleganter dixit doctiſſimus *Vega* in expoſitione *Concilii Tridentini* lib.11.cap.13. *Ipſum lumen naturale nobis à Deo inditum, ipſa ſcintilla rationis mentibus noſtris impreſſa, ipſa naturæ vis, & conſcientia ſatis nobis eſſe poterit ad expugnandum hunc errorem. Quæ namque fuit unquam gens tam barbara, quis hominum tam ſtolidus, & ſtupidus, ut putaret, ſe in culpa eſſe, aut in crimine, propter ea, quæ vitare non poteſt? Quis etiam tam durus fuit unquam, tam crudelis, tam immanis, & ab omni humanitate alienus tyrannus, ut ea ſuis ſubditis imperaverit, vel ab eis exegerit, quæ præſtari ab ipſis non poterant?*

18. Ut ab hoc momento ſe expediat *Janſenius* aſſerit, impoſsibilitatem in homine lapſo eſſe non antecedentem, ſed conſequentem, ortam ex ſuppoſitione originalis culpæ, quæ fuit voluntaria poſteris *Adæ*. Sed contra eſt, quia etſi hæc impotentia ſit voluntaria voluntate capitis: hâc tamen voluntariâ impotentiâ ſuppoſitâ, crudelis, & injuſtus eſſet Deus, ſi impotentiâ illâ manente, ipſe homini aliquid impoſsibile præciperet. Quis enim crudelem non dicat eum, qui homini, ex fractis pedibus impotenti ultrà progredi, præcipiat, ut ulteriùs incedat? Ergo repugnat bonitati, & ſapientiæ Dei, quòd homini, etſi voluntariâ culpâ originis factus ſit impotens, præcipiat progredi in via ſalutis. Quid nam-

namque intereſt, quòd hæc impotentia ſit pœna originalis culpæ? Annè Deus, ſecluſô miraculô, poterit præcipere cœcis, ut videant, ſurdis, ut audiant? Et tamen cœcitas, & ſurditas pœnæ ſunt peccati originalis, quod ineluctabili neceſsitate trahimus. Annè Deus poteſt ſive juſtis, ſive peccatoribus præcipere, ut nullis morbis, nullis paſsionibus, nullis concupiſcentiæ, vel iræ motibus primò primis, & indeliberatis ſint obnoxii? Et tamen motus iſti, & cæteræ pœnæ, fatales ſunt neceſsitates, & peccati originalis infelices ſequelæ, atque effectus. Annè amentes, & furioſi rei ſunt, & damnabuntur propter peccata in amentia commiſſa? Et tamen amentia eſt pœna peccati originalis voluntaria voluntareitate capitis. Etiam defectus myſteriorum Fidei infideli negativo fuit volitus voluntareitate capitis; tamen, ut modò ex SS. *Auguſtino*, & *Thoma* diximus, non eſt peccatum, ſed pœna peccati originalis. Ergo nec impotentia præceptis obſequendi imputabilis eſt ad culpam, etſi pœna ſit peccati originalis, & voluntaria voluntareitate capitis.

19. Hujus ratio, & fundamentum deſumitur ex doctrina S. *Auguſtini* lib. 1. de peccat. merit. cap. 35. dicentis: *Sine propria voluntate nullum vitæ propriæ poteſt eſſe peccatum*. Et lib. 73. quæſtionum q. 24. *Deus quovis homine optimo, & juſtiſsimo longè, atque incomparabiliter melior, & juſtior eſt. Juſtus autem regens, & gubernans univerſa, nullam pœnam cuiquam ſinit immeritò infligi, nullum præmium immeritò dari. Meritum autem pœnæ peccatum, & meritum præmii rectè factum eſt. Nec peccatum autem, nec rectè factum imputari cuiquam juſtè poteſt, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Eſt igitur & peccatum, & rectè factum in libero voluntatis arbitrio*. Quam doctrinam tradit D. *Thomas* in 2. ſentent. diſtinct. 50. quæſt. 1. art. 2. dicens: *Oportet, ut ſecundùm hoc, quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarii in ipſo reperiatur. Sicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam quod reſpicit perſonam; ita etiam eſt quædam culpa naturæ, quædam culpa perſonæ. Unde ad culpam perſonalem requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur: ad culpam verò naturæ, hoc eſt, originale peccatum, non requiritur, niſi voluntas in natura illa*: ſed carentia gratiæ ſufficientis, quæ eſſet in pœnam peccati originalis, non eſſet libera libertate perſonali, cùm antequam homines exiſterent, nullum voluntatis propriæ exercitium actu extiterit; nec fuerit aliquis actus propriæ voluntatis, ſive formalis, ſive virtualis, circa hujuſmodi carentiam: ergo non ipſis imputabilis eſſet ad culpam carentia auxilii ſufficientis, nec voluntaria omiſsio præcepti. Sic probat S. *Auguſtinus* Epiſt. 105. modò 194. ad *Sixtum* cap. 5. quòd ignorantia, & cœcitas in infidelibus, qui nihil unquam de Evangelio audierunt, vel audire potuerunt, purè negativa eſt, & non culpanda: *Ipſa ignorantia*, inquit, *in eis, qui intelligere noluerunt ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati*. Cui ſuffragatur D. *Thomas* 2. 2. quæſt. 10. art. 1. de infidelitate loquens his verbis: *Si autem accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt*

de

de Fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi Parentis conſecuta eſt: ergo adultis non ſufficit ad peccandum illa libertas, quam habuerunt in voluntate *Adami*; ſed requiritur libertas perſonalis. Quarè proſcripta fuit ab *Alexandro VIII.* die 7. Decembris anni 1690. ſequens propoſitio: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale, & demeritum ſufficit illa libertas, quâ voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

20. Secundò, quia ut effectus ſit voluntarius in cauſa, requiritur, quòd præcognoſcatur formaliter, & expreſsè, vel ſaltem virtualiter cauſa, ut connexa cum effectu; cùm effectus non ſit voluntarius in cauſa, dum quis non vult cauſam, ut connexam cum effectu: ad quod prærequiritur cognitio connexionis, cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum;ſi namque invincibiliter connexionem cauſæ cum effectu ignoraret, volens cauſam, non prudenter præſumeretur velle effectum; atqui poſteri *Adæ* peccatum originale contrahentes,non cognoverunt peccatum *Adæ* eſſe connexum cum privatione auxiliorum ſufficientium; quinimmo nec primus homo, cùm peccavit,voluit privare ſe,& poſteros gratiâ ſufficiente: ergo hujus carentia non fuit ipſis voluntaria. Quis namque aſſerat, hominem, qui ex intemperantia factus eſt impotens implendi Eccleſiæ præcepta, ex quo in morbum incidit improviſum, reus ſit non adimpletionis præcepti? Etſi enim culpâ ſuâ in morbum inciderit, & factus ſit impotens; non ideò in morbum incidit, ut hæc non faceret; ſed præter ejus voluntatem impotentia intemperantiam conſecuta eſt: ergo à fortiori, ubi impotentia orta eſt, non ex voluntate perſonali, ſed ex culpa originali. Quarè S. *Auguſtinus* lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. ſuprà citato aſſerit, *quòd ea, quæ ob ignorantiam invincibilem facere non poſſumus, non dicuntur peccata, niſi impropriè, & per figuram metonymiæ.* Et D. *Thomas* 1. 2. quæſt. 19. art. 6. docet, *quòd ſi ſit error, qui cauſat involuntarium proveniens ex ignorantia alicujus circumſtantiæ abſque omni negligentia: tunc talis error rationis, vel conſcientiæ excuſat, ut voluntas concordans rationi erranti non ſit mala.*

21. Hæc diximus de cœcitate contracta in pœnam peccati originalis, licèt propriè hæc dici non debeat excœcatio, & obduratio; ut obſervat Eminentiſsimus *Bellarminus* lib.2. de amiſs. grat.& ſtat. peccati cap. 14. his verbis: *Hinc habemus, permiſſionem illam, quâ Deus ſinivit, primum hominem labi, & quâ nunc etiam ſinit, juſtos peccare, non poſſe dici excœcationem, vel indurationem, quia excæcatio cùm ſit pœna peccati, non poteſt eſſe primum peccatum.* Non ergo in homine omni auxiliô deſtituto in pœnam peccati originalis, ſimplex carentia luminis, ad quam non præceſsit affectus pravus, quô illuſtrationes divinas repellat, vel impedimentum ponat, quominus à Deo illuminetur, dici poteſt excœcatio, ſeu obduratio; cùm iſta ſit peccatum, cauſa, & pœna peccati, ut dicit S. *Auguſtinus* lib. 5. contra *Julianum* cap. 3. *Cœcitas mentis, quam ſolus illuminator Deus removere poteſt, & eſt peccatum, quô in Deum non creditur, & eſt pœna peccati, quâ cor ſuperbum*

perbum dignâ animadverſione punitur, & eſt cauſa peccati, cùm aliquid mali cœci cordis errore committitur. Quarè tàm de cœcitate, quàm de obduratione reprehenduntur homines, tamquam de vero, & maximo peccato; ſic *Matthæi* 13. *Incraſſatum eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & cordibus intelligant, & convertantur, & ſanem eos.* Non eſt ergo excœcatio ſimplex carentia luminis, ſed affectum pravum ſupponit divinas repellentem illuſtrationes, de qua ſit ſecunda Concluſio, ut ſciamus, qualiter ſit & peccatum, & pœna peccati.

§. III.

Obdurati, & Excœcati ex culpa perſonali verè peccant, & peccatum ipſis re vera imputatur ad pœnam in ſtatu obdurationis.

22. PRima pars hujus aſſerti, quòd nempè illi, qui obfirmato planè animo in peccatis perſeverant, nec ullis admonitionibus, ſuaſionibus, aut increpationibus à peccatis deſiliunt, rei ſint peccati propter cœcitatem cordis ipſorum; cùm à divinis auxiliis oculos mentis avertentes, ſemetipſos in omne vitiorum genus effundunt, evidentiſſimis Sacræ Scripturæ teſtimoniis comprobatur. Quis namque neget, *Pharaonem*, cujus cor induratum erat, reum fuiſſe peccati, ille qui per contemptum abjecit oblata miſerentis Dei munera, ut à peccatis reſipiſceret? An non peccaverunt *Judæi*, quorum invictam pertinaciam *S. Stephanus* his verbis perſtringebat *Actuum* 7. *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis?* An excuſabiles ſunt à culpa illa, de quibus Sapiens *Proverb.* 29. loquitur: *Viro, qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur?* An & excuſabiles Senes illi, de quibus *Danielis* 13. v. 9. dicitur: *Declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum?* vel ille, de quo dixit Pſalmiſta Regius *Pſal.* 9. *Non eſt Deus in conſpectu ejus, . . . auferuntur judicia tua à facie ejus?*

23. Hi ſanè omnes rei peccatorum ſunt; ſicut & illi, de quibus, tenebris erroris, & ignorantiæ obnubilatam, & obſcuram mentem habentibus, dixit *Apoſtolus* ad *Epheſ.* 4. *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cœcitatem cordis ipſorum.* Et qui propter pravum, & erroneum corruptæ mentis judicium, propter eamdem cœcitatem, ac indurationem cordis ipſorum, pertinaciter omnis generis immunditiam, & turpitudinem ardenti, & inſatiabili cupiditate dilexerunt, ut ibi dicit *Apoſtolus*: *Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Uno verbo: An excuſabiles erunt

erunt illi, qui in iniquitate pertinaciter perſeverantes, ſin minùs voce, animo certè, factiſque Deo dicunt, illud *Job.* 21. *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*? Qui ſecundùm duritiam ſuam, & impœnitens cor, theſaurizant ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei; quorum ut vita, ita & mors peſſima eſt; & *obdurati fallaciâ peccati*, ut loquitur *Apoſtolus* ad *Hebræos* 3., in profundum peccatorum veniunt: ut verè de illis dici poſſit illud *Iſaiæ* 28. *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*?

24. Hoc ut certiſſimum ſupponi debet; qua de cauſa, & ratione, cur imputentur ipſis peccata, quæ eſt ſecunda pars Concluſionis poſitæ, gravis diſcordia eſt inter Theologos. Nobis, qui unicuique, quamvis obcœcato, & indurato, pro loco, & tempore, præſtò eſſe poſſibilitatis gratiam defendimus, facilis eſt reſponſio: cùm enim æternæ veritatis ſemper pro loco, & tempore aliquod clareſcat lumen, poſſunt, etiam poſt conſummatum ſcelus, contriſtari, lugere, ac pœnitere: quare in illis non eſt defectus poteſtatis, ſed culpa voluntatis. At in caſu quæſtionis, quòd perfectè excœcati ſint; ita ut nulla ſubluceat menti illuſtratio, nullâque ſupernaturali excitatione pulſetur voluntas; quia nempe his juſto Dei judicio privantur in pœnam præcedentium ſuorum graviſſimorum peccatorum, probabiliſſimam credimus illorum Theologorum ſententiam, aſſerentium, quòd ad effectum imputationis, non eſt neceſſaria prævia illa mentis illuſtratio, voluntatiſque excitatio, ut quis admiſſi peccati reus ſentiatur. Hæc namque impotentia, in qua verſantur obdurati, nullam omnino perſentientes illuſtrationem mentis, & excitationem voluntatis, eſt voluntaria in cauſa, ceu præcedentium peccatorum effectus, in quorum pœnam Deus eos deferit; quod variis tum D. *Auguſtini*, tum D. *Thomæ* momentis, aliorumque SS. PP. demonſtratur.

25. Et primò egregiè ab Eccleſiæ Doctoribus expenditur doctrina iſta. Eam tradit S. *Fulgentius* lib. 2. de verit. prædeſt. dicens: *Solent enim homines, cùm audiunt, gratiâ Dei præveniri, atque immutari hominum voluntates, videntque ſe pro tenebroſi cordis perverſitate culpari, excuſationi ſuæ de juſta Dei voluntate injuſtum captare ſuffragium, ut exinde majus recipiant punitionis augmentum. Accuſant enim Deum, à quo gratiam non accipiunt; & ſe ipſos excuſant, qui Deum juſtum vitio ſuæ iniquitatis offendunt. Ipſi ſuis manibus inferunt plagas, ac medico non dubitant irrogare calumniam, tanquàm cauſa occiſionis propriæ non in illo ſit, qui ſe ipſum interficit, ſed in eo, qui minus ei ſalubri curatione ſubvenerit. Medicina quippe non mortis, ſed curationis eſt cauſa: cui utique non rectè mors adſcribitur, ſi peſſimo vulneri, quod ſibi homo intulit, minimè præbeatur. Juſtitiæ quippe eſt, ſi vulneratus ille relinquatur, ut mortem, quam ſibi ſpontaneis operibus adſcivit, inveniat: miſericordiæ autem, ſi ab eo Medicus mortis perniciem beneficio gratuitæ orationis excludat. Tantò ergo iniquiùs medici benignitas infamatur, quantò minus ſpontanea pernicies hominis ſe ipſum vulnerantis attenditur: quam ſi in ſe querulus peccator*

tor intuens diſceret, non divinam voluntatem ad excuſationem ſuæ iniquitatis opponeret, ſed humiliter miſericordiam poſtularet. Apoſtolus ait: O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Ubi non ſicut aliqui putant, B. Paulus in reſponſione deficit: ſed cordis obdurati ſuperbiam utili ſatis increpatione compeſcuit. Dicens enim: O homo tu quis es, admonuit, ut ſeipſum peccator ſuperbus attendens, nec aliquid in ſuis operibus, quod Deo placeret, inveniens, à quo ſibi videbat benè vivendi manere præceptum, ab ipſo in humilitate contriti cordis exoraret auxilium: ſciretque, ſibi tantummodò ſuccenſendum, quicquid cogitatione, vel operatione peccaret: voluntatemque, ac facultatem in fide, & charitate, juſtè, ſanctèque vivendi nunquàm homini naſci ex homine, ſed divinitus tribui gratuitá largitate.

26. Pari elegantiâ, & claritate id ipſum clariſſimè tradit S. *Bernardus* ſerm.81. in *Cantica* n.7. dicens: *Ita neſcio, quo pravo, & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit: ut nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem; nec voluntas, cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodò voluntaria. Eſt favorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens: unde ſeſe rea voluntas, ubi ſemel peccato conſenſerit, nec excutere jam per ſe, nec excuſare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis ſub onere neceſſitatis hujus, Domine, inquit Iſaiæ 38. v.14. vim patior, reſponde pro me. Sed rurſus ſciens, quòd non juſtè cauſaretur adverſus Dominum, cùm voluntas ſua ipſius potius in cauſa foret, attende quid ſecutus intulerit: quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit? Premebatur jugo, non alio tamen, quàm voluntariæ cujuſdam ſervitutis; & erat pro ſervitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt, quæ ſe, cùm eſſet libera, ſervam fecit peccati, peccato aſſentiendo: voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet, voluntariè ſerviendo.* Hæc ſanè non incongruè perſuadere videntur, neceſſitatem voluntariam non excuſare à peccato. Perpendantur utriuſque S. *Doctoris* verba, quæ nedùm aſſertionem iſtam apertiſſimè continent, verùm & ejus rationem, veluti à priori; quia nempe impotentia volentis eſt, non nolentis. Non hæc eſt antecedens, ſed conſequens; cùm obſtinatus peccatis præcedentibus jacens, amorem juſtitiæ non admittit, quare nihil aliud eſt, quàm conſtans peccandi libido.

27. Secundum argumentum deſumitur ex D. *Auguſtino* tract. 53. in *Joan.* ubi hanc verſans quæſtionem ſic habet, n.4. *Hìc occurrit altera quæſtio. De qua quidem, ut competenter aliquid diſputetur, & omnes ejus latebroſiſſimi ſinus perſcrutentur, & excutiantur, ut dignum eſt, nec mearum virium eſſe arbitror, nec anguſtiarum temporis, nec veſtræ capacitatis. Tamen, quia tranſire ad alia, veſtrâ expectatione non ſinimur, niſi aliquid inde dicamus, accipite quod potuerimus: & ubi veſtræ expectationi non ſuffecerimus, ab illo incrementum poſcite, qui nos plantare poſuit, & rigare: quia, ſicut dicit Apoſtolus: Neque qui*

plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quidam ergo inter ſe muſſitant, & ubi poſſunt aliquando proclamant, & turbulentâ diſceptatione contendunt, dicentes: Quid fecerunt Judæi, vel quæ culpa eorum fuit; ſi neceſſe erat, ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini, cui revelatum eſt? Quibus reſpondemus, Dominum præſcium futurorum, per Prophetam prædixiſſe infidelitatem Judæorum: prædixiſſe tamen, non feciſſe. Non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit. Ipſorum enim præſcivit peccata, non ſua: non cujuſquam alterius, ſed ipſorum.

28. Majorem difficultatem ſibi objicit S. *Doctor* n.5. dicens: *Sed & quæ ſequuntur Evangelii verba plus urgent, & profundiorem faciunt quæſtionem: adjungit enim, & dicit Propheta, Non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & ſanem illos. Dicitur enim nobis: Si non potuerunt credere, quod peccatum eſt hominis non facientis, quod non poteſt facere? Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere; & non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodò dicit Evangelium: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut, quod eſt gravius, ad Deum referatur cauſa, quâ non crediderunt: quandoquidem ipſe excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum? Non enim ſaltem hoc de diabolo dicitur, ſed de Deo, quod ipſa prophetica Scriptura teſtatur. Nam ſi arbitremur, hoc dictum de diabolo, quòd excœcavit oculos eorum, & cor induravit: laborandum eſt, quomodò illorum culpam, quia non crediderunt, poſſimus oſtendere; de quibus dicitur, non poterant credere. Deinde quia reſpondebimus de alio Prophetæ ipſius teſtimonio, quod poſuit Paulus Apoſtolus dicens: Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus; electio autem conſecuta eſt, cæteri verò excœcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant, uſque in hodiernum diem. Audiſtis fratres*, inquit S. Doctor, *propoſitam quæſtionem, nempe quàm profunda ſit? Sed reſpondemus, ut poſſumus. Non poterant credere, quia hoc Iſaias Propheta prædixit: hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit. Quare autem non poterant, ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt. Sed aliam cauſam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum. Quam cauſam dicit Propheta? Quia dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant, & excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum. Etiam hoc eorum voluntatem meruiſſe, reſpondeo. Sic enim excœcat, ſic obdurat Deus, deſerendo, & non adjuvando; quod occulto judiciô facere poteſt, iniquô non poteſt. Hoc omnino pietas religioſorum inconcuſſum debet, inviolatumque ſervare.* Hæc S. *Au-*

S. *Auguſtinus*, illorum eſſe culpam aſſerens; & ſi illis deſit expedita rectè operandi poteſtas; cùm hæc impotentia, in qua verſantur excœcati, & obdurati omni gratiâ deſtituti, nullam omnino perſentientes illuſtrationem mentis, & excitationem voluntatis, ſit voluntaria in cauſa, ceu præcedentium peccatorum effectus: *Etiam hoc eorum voluntatem meruiſſe reſpondeo*. Et quòd, ſi difficilis alicui reſponſio videatur, ſciat; *Ideo cum quæſtiones hujuſmodi in medium venerint, quarè alius ſic, alius autem ſic; quarè ille, Deo deſerente, excœcetur, ille Deo adjuvante, illuminetur: non nobis judicium de judicio tanti Judicis uſurpemus, ſed contradicentes exclamemus cum Apoſtolo ad Rom.* 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Unde dictum eſt in Pſal.*35. *Judicia tua ſicut multa abyſſus*: quibus verbis etiam firmat, eos peccatis præcedentibus omnis poſſibilitatis gratiæ deſertionem meruiſſe.

29. Audiendus iterum S. *Doctor* aliis diſertis, dilucidiſque teſtimoniis id ipſum comprobans. Lib. 5. contra *Julianum* cap. 3. n.8. inquit: *Cæcitas cordis quam ſolus removet illuminator Deus, & peccatum eſt, quò in Deum non creditur, & pœna peccati, quâ cor ſuperbum dignâ animadverſione punitur, & cauſa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur*. Etiam in *expoſitione propoſitionum* Epiſtolæ ad *Rom*. n. 62. *Sicut enim legimus in Exod.* 10. 1. *obduratum eſt cor Pharaonis, ut tam evidentibus ſignis non moveretur. Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de ſupplicio veniebat. Non autem quiſquam poteſt dicere obdurationem illam cordis immerito accidiſſe Pharaoni, ſed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate*. Non *Pharaonem* à peccato liberat: at imputationis aſſignat cauſam, hancque repetendam ex peccatis, quibus obdurationem ipſe promeruit. Id repetit de *Pharaone* loquens ſerm.88. *de temp.* eamdem aſſignans imputationis cauſam, nempe perverſam voluntatem, quâ deſertionem meruit. Necnon q. 50. ſuper *Deuteronom.* dicens: *Simul oſtendit Moyſes, & ſine adjutorio Dei homines intelligere, & obedire non poſſe oculis cordis, & auribus cordis*: & tamen ſi adjutorium Dei deſit, non ideo excuſabile eſſe hominis vitium: quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen juſta ſunt.

30. Ad eumdem modum loquitur S. *Doctor* lib. *de corrept. & grat.* cap. 11 *Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium* (nempe ſine quo non) *jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum*. En gratia nonniſi præcedentium delictorum merito ſubtracta. Rurſus Epiſt.194. ad *Sixtum* n.22. obduratorum murmurationem, ſive excuſationem ſibi proponens: *Sed excuſabunt ſe homines, qui nolunt rectè, & fideliter vivere, dicentes: Quid nos fecimus, qui malè vivimus; quandoquidem gratiam, unde benè viveremus, non accepimus.... Quid nobis ſit querela, quòd Deum offendamus*

mus malè vivendo, cùm illius voluntati nemo poſſit reſiſtere, qui nos obduravit, miſericordiam non præſtando. Reſpondet, præcedentia delicta eorum cauſam eſſe ſubtractionis gratiæ, his verbis: *Non poſſunt veraciter dicere, nihil mali ſe feciſſe, qui malè vivunt. Si enim nihil mali faciunt, benè vivunt: ſi autem malè vivunt, de ſuo malè vivunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod inſuper addiderunt. Sed ſi vaſa ſunt iræ, quæ perfecta ſunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, ſibi hoc imputent, quia ex ea maſſa facta ſunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, meritò Deus, juſtèque damnavit*; quibus ſatis perſpicuè oſtendit S. *Doctor*, eos non excuſari à culpa; quia in eum impotentiæ moralis, & neceſſitatis ſtatum, liberâ voluntate, ex iniquitate devoluti ſunt: *Spargit namque Deus*, inquit idem S. *Doctor* lib. 1. Confeſſ. c. 18., *pœnales cæcitates, ſuper illicitas cupiditates.*

31. Hìc tamen obſervari velim, quòd cùm S. *Auguſtinus* ſtatuit pro merito denegationis auxiliorum ſufficientium disjunctum, vel peccatum actuale, vel originale, quando non eſt remiſſum, nè S. *Doctoris* aſſertio contraria judicetur his, quæ ſtatuimus concluſione præcedenti, quòd denegatio auxilii ſufficientis ratione peccati originalis non eſt voluntaria ſufficienter ad peccatum, conſiderandum attentè opus, de quo loquimur. Nam ſi opus quoad ſubſtantiam eſt ſupernaturale in eo, qui nihil audivit de Fide, etiam phyſicè eſt antecedenter impoſſibile: ac proindè hujus omiſſio non imputatur, nec poteſt dici, quòd denegatio principii ſupernaturalis eſt voluntaria, adhùc ex peccato perſonali. At quando opus eſt quoad ſubſtantiam naturale, numquàm deficit poteſtas phyſica: & ex denegatione auxilii tantùm datur impotentia moralis, quæ non excuſat, quando hæc oritur ex peccato ſivè actuali, ſive originali non remiſſo. Rurſus, ſi opus eſt ſupernaturale, quoad ſubſtantiam, ſicut pœnitere ſalutariter: vel obduratus habet jam Fidem, & tunc in habitu habet auxilium ſufficiens remotè, licèt ei in pœnam peccati cujuſcumque non remiſſi, negaretur auxilium dans præcontinentiam phyſicam pœnitentiæ ſalutaris: ſi autem eſt infidelis non obligatur ad pœnitentiam ſupernaturalem, ſed naturalem, ad quam habet potentiam phyſicam: ſicut dicitur de Infideli obligato, ad amorem Dei ſuper omnia, quem tamen, nunquam ponet, ſaltem in mea ſententia, ſi non præveniatur gratiâ ſupernaturali: quæ & juſtè negari poteſt, propter originale non remiſſum. Quare nuſquam præcipitur quod eſt antecedenter impoſſibile; ſed pro quo adeſt auxilium ſaltem remotè ſufficiens, in habitu Fidei, vel in ſpeciebus à Fide relictis, ſi à Fide totaliter apoſtatavit. Videatur D. *Thomas* 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. infrà citatus n. 35.

32. Rurſus idem *Auguſtinus* lib. 3. de liber. arbitr. cap. 18. *Illa eſt peccati*, inquit S. *Doctor*, *pœna juſtiſſima, ut amittat quiſque, quo benè uti noluit, cùm ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut ſi quis ſciens rectè non facit, amittat ſcire quid rectum ſit; & qui rectè facere, cùm poſſet, noluit, amittat poſſe cùm velit.* Et cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras: neque quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volen-*

lentem ſanare contemnis. Et lib. 1. retract. cap. 15. *Qui cogenti cupiditati bonâ voluntate reſiſtere non poteſt, & ideò facit contra præceptum juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati*. Et tandem lib. de *perfect. juſtit.* cap. 6. cùm quæſtionem eamdem moviſſet: *Iterum quærendum eſt, ſi non poteſt homo ſine peccato eſſe, cujus culpa eſt? Ipſiuſne hominis, an cujuſvis alterius? Si ipſius hominis, quomodo culpa hominis eſt, ſi hoc non eſt, quod eſſe non poteſt?* eam ſic reſolvit S. *Doctor*: *Reſpondetur, ideò eſſe culpam hominis, quod non eſt ſine peccato, quia ſolâ hominis voluntate factum eſt, ut ad iſtam neceſſitatem veniret, quam ſola hominis voluntas ſuperare non poſſit*. Et ibi n. 15. *Peccatum eſt, cùm vel non eſt charitas quæ eſſe debet, vel minor eſt, quam debet, ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit; quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari poteſt, non quandò voluntas ſuperba laudatur, ſed quandò humilis adjuvatur*. En quàm apertè oſtendit *Auguſtinus*, in excœcatis, & induratis impotentiam non eſſe antecedentem, ſed conſequentem, ortam ex duritia cordis, & propriò vitiò accerſitam. Modò poſſent, ſi voluiſſent; at quia noluerunt ſufficientibus gratiis ornati; modò & nolentibus vitio vertitur duritia iniquæ voluntatis, ſecutuſque eſt poteſtatis defectus. Culpa ergo eſt voluntas eorum, ut enim inquit S. *Auguſtinus*, *dum facit obduratus contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam voluntaria, & conſequens pœna peccati*.

33. Ex eodem jacto principio eamdem conſecutionem infert Divus *Thomas* variis, repetitiſque locis. Id expreſſit 3. *contra Gent.* cap. 159. *Non immeritò imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni*. Et cap. 160. dicens: *Quamvis autem illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent, vel ponant, niſi auxilio gratiæ præveniantur, nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam; quia hic defectus ex culpa præcedenti in eis relinquitur: ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem committit, quam ſua culpa incurrit*. Id ipſum inculcat q. 24. de Ver. art. 14. ad 2. *Dicendum quòd rectè homo corripitur, qui præcepta non implet; quia ex ejus negligentia eſt, quòd gratiam non habeat*. Quibus reum evincit, qui propriâ culpâ implendorum præceptorum ſufficientiâ eſt deſtitutus: ſicut & reus homicidii dicitur ille, qui per ebrietatem, quam propriâ culpâ incurrit, homicidium committit.

34. Ulteriùs 1. 2. q. 76. art. 3. dicit S. Doctor: *Quandoque ipſa ignorantia eſt voluntaria, vel directè, ſicut cùm aliquis ſtudiosè vult neſcire aliqua, ut liberiùs peccet: vel indirectè, ſicut cùm aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit diſcere id, per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntariam, & peccatum, dummodò ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt. Et ideo talis ignorantia non totaliter excuſat à peccato*. Quod & q. ſeq. 77. art. 7. exprimit: *Aliquid*, inquiens, *poteſt eſſe voluntarium, vel ſecundùm ſe, ſicut quando voluntas directè in ipſum fertur: vel ſecundùm ſuam cauſam, quando voluntas fertur in cauſam, & non in*

eſſe-

effectum ; ut patet in eo, qui voluntariè inebriatur. Ex hoc enim quaſi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit. Quod iterum docet q. 3. de malo art.8. *Cùm aliquis*, inquit, *directè vult ignorare, ut à peccato per ſcientiam non retrahatur ; talis ignorantia non excuſat peccatum, nec in toto, nec in parte, ſed magis auget. Ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quòd aliquis detrimentum ſcientiæ pati velit, ad hoc quòd liberè peccato inhæreat.* Sed expreſſiùs in *Epiſt. ad Rom.* cap.1 lect.7. *Tunc ignorantia culpam excuſat, quando ſic procedit, & cauſat culpam, quod non cauſatur à culpa.... Si verò ignorantia cauſetur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam ignorantia excuſare : unde ſi quis per ebrietatem homicidium committit, non excuſatur ex culpa, quia peccavit ſe inebriando.* En qualiter obſtinatis impotentia eſt conſequens, quia voluntariè gratiæ Dei ad ſe aditum præbere recuſant, ut de illis dicitur *Job* cap. 21. *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus : ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus: Qui autem, ut neſciat, aurem à voce veritatis avertit, iſte non neſciens, ſed contemptor addicitur* ; ut dixit *S.Gregorius* lib.15. *Moral.* cap.25.

35. At hujuſce doctrinæ veritatis teſtem, Patronumque locupletiſſimum iterum habemus *D. Thomam* 2. 2. variis in locis. Et primò q. 2. art. 5. ad 1. ubi peccare hominem Divino auxilio deſtitutum docet, eò quòd illo nonniſi in præcedentis peccati pœnam ſit deſtitutus : *Quod quidem auxilium*, inquit S.Doctor, *quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur ; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis, ut Auguſtinus dicit lib. de corrept. & grat.* Sed efficaciùs q.97. art.3 ad 3. his verbis : *Ad 3. dicendum, quòd ſicut peccatum tranſgreſſionis opponitur præceptis negativis, quæ pertinet ad declinandum à malo: ita peccatum omiſſionis opponitur præceptis affirmativis, quæ pertinent ad faciendum bonum : præcepta autem affirmativa non obligant ad ſemper, ſed ad tempus determinatum ; & pro illo tempore peccatum omiſſionis incipit eſſe. Poteſt tamen contingere, quòd aliquis tunc ſit impotens ad faciendum quod oportet : quod quidem ſi ſit præter ejus culpam, non omittitur, quod debet, ut dictum eſt : ſi verò ſit propter ejus culpam præcedentem, puta, ſi aliquis de ſero ſe inebriaverit, & non poteſt ſurgere ad matutinas, ut debet: dicunt quidam, quòd tunc incepit peccatum omiſſionis, quando aliquis ſe applicat ad actum illicitum, & incompòſſibilem cum illo actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum, quia dato, quòd excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet, quòd præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa. Unde dicendum eſt, quòd omiſſio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter cauſam præcedentem, ex qua omiſſio ſequens redditur voluntaria.* En cur implendorum præceptorum impotentia deſertos ad certum tempus à Deo à culpa non liberat, quia gratiæ ſubtractionem propriâ iniquitate promeriti ſunt.

36. Hoc

36. Hoc convincit, & docet *D. Thomas* in eadem 2. 2. q. 150. art. 4. *Si ex actu illo præcedenti ſubſecuta eſt ebrietas ſine peccato, tunc peccatum ſequens totaliter excuſatur à culpa: ſicut forte accidit de Loth. Si autem actus præcedens fuit culpabilis, ſic non totaliter aliquis excuſatur à peccato ſequenti; quod ſcilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus; in quantùm ſcilicet aliquis dans operam rei illicitæ, incidit in ſequens peccatum.* Quam *D. Thomæ* doctrinam verſans Card. *Cajetanus*, obſervat, quòd *reputatur prævîſum peccatum non ſolùm ſi ſit prævîſum in ſua ſpecie, puta, quia novit quis, ſe ebrium proximis detrahere; aut in ſuo genere, puta quia novit quis, ſe ebrium vitio linguæ irretiri: quamvis modò detractione, modò contumeliâ, modò blaſphemiâ, modò irriſione, modò turpiloquiô: ſed etiam ſi ſit prævîſum in communi, puta quia ſcit, ſe ebrium in aliquo peccare, licèt neſciat in quo genere tunc peccabit. Reputatur rurſus prævîſum, non ſolùm ſi ſit præcogitatum, ſed ſi debuit eſſe prævîſum præcogitando, puta quia expertus eſt inclinationes ſuas pronas, quantò magis bibit, ad peccata, quia alias in alienatione mentis, vel prope incidit in peccatum. Æſtimatur autem non prævîſum peccatum ex ebrietate, quando nullô modô prævîſum eſt, prævideríque rationabiliter non potuit humano more.*

37. Quis ergo credat, induratos, qui diuturnâ peccatorum conſuetudine in omne vitiorum genus ſemetipſos effundunt, non prævidiſſe, ſaltem in genere, peccata, in quæ lapſuri erant? Sed etſi non prævîderint adhuc ex genere, quòd ex peccatis, ex quibus meruerunt obdurationem, ſequenda erant alia peccata, non excuſandi veniunt; quia cùm actu peccant, verè in illis eſt voluntas actûs, licèt fortè non ſit expreſſa voluntas peccati, quia fortè non cogitant, quod ſit peccatum: & inſuper verè tunc adeſt poteſtas phyſica ad vitanda omnia peccata commiſſionis: & ad peccata omiſſionis datur poteſtas actûs phyſica ſaltem remota; licèt deficiat omnis poteſtas moralis: ut diximus tom. 1. Diſp. 2. Dub. 1. §. 1. num. 3. & 4. In illis ergo gratiæ ſibi à Deo oblatæ pertinaciter reſiſtentibus fuit voluntaria, craſſa, & ſupina directè volita futuri peccati ignorantia: & ex certa malitia ad hanc delinquendi neceſſitatem venerunt. Ex quo ex certa malitia peccaſſe, dubitari minimè poteſt; cùm peccatum omne ex pravo habitu ſit peccatum ex certa malitia, ut docet *D. Thomas* 1. 2. q. 78. art. 1. Illa namque in eo obdurationis ſtatu inveterata peccandi conſuetudo in alteram naturam converſa eſt; ipſaque proclivitas voluntatis ad malum eligendum eis quodammodò connaturalis evadit. Cùm ergo ignorantia ſit voluntaria, ad judicium rationis, & motum voluntatis ſecuta, non ſanè excuſat à peccato, ut docet *D. Thomas* 3. p. q. 47. art. 5. ad 3. *Dicendum, quòd ignorantia affectata non excuſat à culpa, ſed magis videtur culpam aggravare. Oſtendit enim, hominem ſic vehementer eſſe affectum ad peccandum, quòd vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet: & ideo Judæi peccaverunt, non ſolùm tanquam hominis, ſed etiam tanquam Dei crucifixores.*

38. En quàm ſibi conformiter *SS. Auguſtinus*, & *Thomas* aſſentiantur

tur, quòd excœcati, & obdurati inexcuſabiles ſunt rei peccati in ſtatu obdurationis liberè commiſſi; quia voluntariâ, & deliberatâ peccandi neceſſitate poſſidentur, cùm ad hanc impotentiam venerint, quia contemptores ſunt Divinæ miſericordiæ, in ſceleribus perdurantes. Sed audiendus maximè *D. Auguſtinus* de *natura*, *& gratia* contra *Pelagianos* docens, quàm dignè prævaricatorem legis lux deſerat veritatis, quâ deſertus utique fit cœcus, & in plura crimina neceſſe eſt cadat, & cadendo vexetur, his eximiis, ac præclariſſimis verbis. In cap. 17. n. 19. *Tractat etiam iſte de peccatis ignorantiæ, & dicit hominem pervigilare debere, ne ignoret, ideoque eſſe culpandam ignorantiam; quia id homo neſcit negligentiâ ſuâ, quod adhibitâ diligentiâ ſcire debuiſſet; dum tamen omnia potius diſputet, quàm ut oret, & dicat, da mihi intellectum, & diſcam mandata tua. Aliud eſt enim non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata, etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari; aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quod fieri velit: inde admonemur à Deo petere ſapientiam.* Et infrà cap. 22. *An nulla pœna eſt eorum, de quibus dicit Apoſtolus ad Rom. 1. v. 21. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum? Utique iſta obſcuratio vindicta, & pœna jam fuit: & tamen per hanc pœnam, id eſt, per cordis cœcitatem, quæ fit deſerente luce ſapientiæ, in plura, & gravia peccata delapſi ſunt. Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Gravis hæc pœna eſt, ſi quis intelligat, & ex hac pœna vide, quò ierunt: Et immutaverunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Ita fecerunt ex peccati pœna, quâ obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Et propter hæc tamen, quia licèt pœnalia, etiam ipſa peccata ſunt, adjungit, & dicit: Propterea tradidit illos Deus in deſideria cordis illorum in immunditiam. Ecce quemadmodum Deus gravius condemnavit, tradens illos in deſideria cordis eorum, in immunditiam. Videte etiam ex hac pœna quid faciant: ut contumeliis, inquit, afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Et quia pœna eſt iſta iniquitatis, cùm ſit & iniquitas, evidentius commendat dicens: Qui tranſmutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen. Propter hoc, inquit, tradidit Deus illos in paſſiones ignominiæ. Ecce quoties vindicat Deus, & ex eadem vindicta plura, & graviora peccata conſurgunt.* Ex quibus concludit S. Doctor: *Hìc nunc iſte dicat, Non debuit ſic vindicari peccatum, ut peccator per vindictam plura committeret.*

39. Præterea: An abſolvendi à peccatis illi, de quibus *Danielis* cap. 14. v. 9. legitur: *Declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum*; eò nempe, quòd pro illo tempore interioribus auxiliis eſſent privati? An & culpâ vacaturus ille, de quo *Propheta Regius* Pſal. 10. dicit: *Non eſt Deus in conſpectu ejus: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia*

tua

tua à facie ejus; quia nempe obcœcatus, ſeu gratiâ poſſibilitatis deſtitutus? Abſit: exurget Deus, & exaltabitur contra eos manus ejus. Quare Eccleſiaſtico judicio damnata & anathematizata fuit in Concilio *Dioſpolitano* anno 415. teſte *S. Auguſtino* de *Geſtis Pelagii* num. 65., ſequens *Pelagianorum* doctrina: *Quod oblivio & ignorantia non ſubjaceant peccato; quoniam non eveniunt ſecundùm voluntatem, ſed ſecundùm neceſſitatem*. Et *Clerus Gallicanus* die 4. Septembris anni 1700. ſequentem damnavit propoſitionem: *Si peccatores conſummatæ malitiæ, cùm blaſphemant, & flagitiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hiſce actionibus non peccare*. Cui aſſertioni hanc affixit cenſuram: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, pernicioſa, bonos mores corrumpit, blaſphemias, aliaque peccata excuſat, & ut talis à Clero Gallicano jam damnata eſt*: nempe anno 1641. die 12. Aprilis.

40. His ergo fundamentis tenent graviſſimi Theologi, peccata vitio verti excœcatis, & obduratis, qui totò Dei timore ſemotò poſt concupiſcentias pergunt, in ſuis facinoribus gloriantur, carniſque deſideria implere peroptant, etſi eo tempore gratiâ poſſibilitatis ſint deſtituti. Quare probabiliſſimus eſt hic Theologorum cum SS. Doctoribus diſcurrendi modus; qui ſi alicui diſplicet, non quid induratus patitur, ſed à quo, & propter quod patitur, diligenter examinet. Nullus profectò obduratione percutitur, niſi Deo permittente. Verùm, ſi permiſſivè, hoc agit juſtè, quamvis occultè. Quis, quæſo, Divina audeat damnare judicia, quæ tametſi perſcrutari nobis non liceat, venerari tamen debemus, quoniam æquiſſima ſunt, dicente Pſalmiſtâ: *Judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa*, Pſal. 18. Si permittente Deo, punitur, hoc Deus ejus exigentibus culpis judicio juſto irreprehenſibiliter facit: quare dicitur *Dan.* 3. *Præcepta tua non audivimus, nec obſervavimus, nec fecimus, ſicut præceperas nobis, ut benè nobis eſſet. Omnia ergo, quæ induxiſti ſuper nos, & univerſa, quæ feciſti nobis, in vero judicio feciſti*. Dignos namque deſeri Deus tantùm deſerit. Deſertione peccata vindicat: at, *eâdem vindictâ*, ut *Auguſtini* verbis loquar de *Nat. & grat.* citato cap. 22. *quæ pariat, pulluletque peccata*; ut hanc erroris ſui mercedem in ſemetipſis recipiant.

DUBIUM VI.

Utrum Infideles, & obſtinati ſine gratia ſupernaturali liberi non ſint, niſi ad peccatum?

§. I.

Error Queſnelli, & aliorum refertur.

1 HOMINEM ad actus ſalutares vitæ æternæ meritorios ſine gratia Redemptoris non eſſe liberum, certiſſima eſt veritas fidei. Dicitur quippe ad *Col.* 1. v. 13. *Qui liberavit nos à poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filii dilectionis ſuæ.* Et ad *Rom.* 6. *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra nos ſerviamus peccato. Etenim qui mortuus eſt, liber eſt à peccato.* Idem prædicat *Paulus* 2. ad *Corint.* 2. cap. 3. v. 17. *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Et *Joan.* 8. dicitur: *Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos... Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Eamdem veritatem tradit *Concilium Arauſicanum II.* can. 25. dicens: *Ac ſic ſecundùm ſupra ſcriptas ſanctarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum PP. definitiones hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea, aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt, poſſit; niſi gratia eum, miſericordia Divina prævenerit.* Idem firmant *Epiſcopi Africani* in Epiſtola Synodali cap. 5. *Proinde ſcienda eſt dilectiſſimi Fratres, & recto tenore veræ fidei profitenda, tam humani arbitrii egena paupertas, quàm Divinæ gratiæ indeficiens largitas.* QUID ENIM HABES QUOD NON ACCEPISTI, *ait Apoſtolus?* SI AUTEM ACCEPISTI, QUID GLORIARIS, QUASI NON ACCEPERIS? *Ante largitatem quidem gratiæ eſt in homine liberum arbitrium, ſed non bonum, quia non illuminatum. Proìnde niſi gratia detur, bonum ipſum arbitrium non habetur. Sic namque eſt ipſum liberum hominis arbitrium abſque dono gratiæ, ſicut eſt oculus ſine lumine. Nam & oculus ad videndum factus eſt: ſed niſi lumen acceperit, non videbit. Sicut ergo corporis oculus ſemper indiget lumen accipere, ut ipſum lumen poſſit adſpicere: ſic & libero hominis arbitrio, nulla poteſt gratiæ ſuffragari cognitio, niſi detur ipſius gratiæ ſpiritualis infuſio.* Et *D. Auguſtinus* lib. 1. de *grat. Chriſti* cap. 26. eamdem tradit doctrinam dicens: *Ac per hoc, gratiam Dei, quâ charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, & Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omninò nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe, non dubitet.*

2. Non

2. Non ergo præſentis Dubii cardo principalis eſt de actibus ſupernaturalibus, ſed de actibus moraliter honeſtis ordinis naturalis; an nempe ſine gratia Dei infideles, & obdurati liberi ſint ad hujuſmodi actus? Quæſtio iſta magni admodum momenti eſt: cùm his noſtris temporibus inſurrexerint plurimi, non comprehendentes, qualiter cupiditas in cordibus Infidelium, & peccatorum, maximè obduratorum regnans, non omnes eorum actiones corrumpat, bonaſque aliquas actiones elicere poſſint, quæ charitatis non ſint, nec ad ſalutem æternam perducant: hærentes eò generali principiò, quòd omnia, quæ ſubjacent libero arbitrio, aut proficiſcuntur ex charitate, ut bona ſint, aut ex vitioſa cupiditate, ut mala ſint; ac per conſequens hominem ſine gratia Chriſti nonniſi ad peccatum valere. Ita *Queſnellus*, qui à communi Eccleſiæ doctrina declinans, hanc peccatorum Infidelium libertatis ideam ſtatuit prop. 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſine gratia liberatoris*: quam propoſitionem acriter propugnant ejus defenſores, ita ut auſu temerario *Joannes Frickius* dixerit: *Hæc propoſitio unà cum tribus ſequentibus ſi jure damnabitur; nihil amplius ſpei ſupereſt pro Auguſtino, nec veniæ locus. In his enim articulis propugnandis ſumma diſpoſitionis illius adverſus Pelagianos præcipuè conſtitit. Simul involvuntur anathemati tot antiqui Pontifices, quorum mentio ſupra facta; tot Concilia veterum Africana, Gallicana, Romana. An dubites, ſi nunc reviviſceret Auguſtinus, exclamaturum denuo, quod jam olim, quid dicitis? Quid vos ipſos decipitis? Non aſſertores, ſed præcipitatores liberi arbitrii, ex alto elationis per inania præſumptionis in profunda ſubmerſi: Nempe vox veſtra eſt: Quòd homo ex ſemetipſò facit juſtitiam: hoc eſt altum elationis veſtræ. Sed veritas contradicit, & dicit: Palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite. Ite nunc per abrupta, & non habentes ubi figatis, ventoſa loquacitate jactamini.* Tract. 81. in *Joann.* Non diſſimilia eodem hæretico ſpiritu pronuntiat *Joannes Wolſg*: *Hæc aſſertio adeo fundata eſt in Auguſtino, ut qui illam damnat, ipſum Auguſtinum damnet, & Pelagium in numero Doctorum Eccleſiæ orthodoxorum ponat.* Sic iſti nequioris doctrinæ homines. At ſileat eorum humana temeraria præſumptio, ubi Divino ore firmata, locuta eſt Sedis Apoſtolicæ authoritas: nec tantùm ſileat, ſed in obſequium Fidei *Chriſti*, cujus vices gerit Summus Romanus Pontifex, in captivitatem intellectum ſuum redigant illi, ut ſint omnes, quod olim optabat *Apoſtolus, perfecti in eodem ſenſu, in eademque doctrina.* Quid namque magis definitionibus Apoſtolicis, Sacræ Scripturæ, SS. PP. maximè Sanctis Doctoribus *Auguſtino*, & *Thomæ* adverſum enuntiari poteſt, quàm quod enuntiat damnata propoſitio? Quare ut orthodoxæ fidei ſinceritati hâc in re conſulamus, ſublatis penitus effugiis, quibus *Queſnelli* defenſores huic Catholicæ veritati caliginem offundere intentant, quæſtionem iſtam diſcutere diligenter operæ pretium duximus.

3. Et quidem primô contra pravitatem propoſitionis 38. producimus conſequens, quod ex illa irreprehenſibiliter deducitur, nempe omnia infidelium, & obſtinatorum opera eſſe peccata, nec liberè, deficien-

te gratiâ, elici poſſe ab eis. Nam qui non eſt liber, niſi ad malum, ille non eſt liber ad bonum; ſed qui non eſt liber ad bonum, ſic malum facit, ut non poſſit non facere: ergo malum faceret abſque libertate ad oppoſitum. Eadem ſit ratiocinatio de aliis tribus propoſitionibus, nempe 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum: ardoris, niſi ad ſe præcipitandum: virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Et prop. 40. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* Et prop. 42. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei; ſine hac nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.* Ex quibus evidenter deducitur conſequens illatum; ſi namque in homine gratiâ non prævento nihil luminis, ardoris, & virium eſt, niſi ad ſe præcipitandum; ſi ſolùm eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum; ſi ſine gratia nihil amare poteſt, ſi nihil niſi indignitas, & impuritas in illo; ubi libertas; cùm ſolùm ſit neceſſitas ad peccandum? Hanc rurſus probat ſequens diſcurſus: Juxta prop. 38. *peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratia liberatoris*; juxta 40. prop. *Nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*: poſito etiam juxta 26. *quod nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem*; & juxta 27. *quòd fides ſit prima gratia, & fons omnium aliarum*, evidentiſſimâ, ac ineluctabili conſequentiâ infertur, quòd infidelis ſic operatur malum, ut non poſſit non elicere illud, niſi ad ſuam condemnationem.

4. En quomodo in lucem revocat è tenebris *Wicleffi*, & *Joannis Hus* errores à *Synodo Conſtantienſi* ſeſſ. 15. damnatos, qui tales erant: *Ex principiis fidei eſt per ſe notum, quòd quidquid homo in peccato mortali fecerit, peccat mortaliter.* Et iſte: *Si homo eſt vitioſus, & agat quidquam, tunc agit vitiosè, & ſi eſt virtuoſus, & agat quidquam, tunc agit virtuosè: quia ſicut vitium, quod crimen dicitur ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.* Conſentit etiam errori *Lutheri* à *Tridentino* ſeſſ. 6. can. 7. proſcripto: *Si quis dixerit omnia opera, quæ ante juſtificationem fiunt, quácumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare &c.* Renovat & errorem, quem in *Bajo* univerſalis execratur *Eccleſia* propoſitionibus 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Et 27. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, nonniſi ad peccandum valet.* Et 28. *Pelagianus eſt error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* Et 34. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Et 39. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit cupiditati dominanti.*

5. Hoc eſt principium illud maximum, in quo plures & aliæ *Queſnelli* propoſitiones damnatæ tanquam in cardine verſantur; quare idem reperitur peſtiferum virus in ſequentibus propoſitionibus, quibus tendit ad firmandam, renovandamque tam *Janſenii*, quàm *Baji* doctrinam. Sic namque legitur prop. 44. *Non ſunt, niſi duo amores, unde*

vo-

volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus. Et prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Et prop. 46. *Cupiditas, aut charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.* Et prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius, alioquin non eſt niſi hypocryſis, aut falſa juſtitia.* Et prop. 48. *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate?* Et prop. 49. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.*

6. En *Quesnelli* doctrina de poteſtate liberi arbitrii ſine gratia loquentis. Mala deſignat, nempe tenebras intellectûs, aberrationem rationis, peccatum voluntatis, dum eſt ſine fide, ſine *Chriſto*, aut ejus adjutorio, & ſine charitate; negans in his omnibus propoſitionibus, quòd ſine fide, quòd ſine *Chriſti* adjutorio, ſine charitate poſſint dari opera, quæ non ſint tenebræ peccati, & aberrationes injuſtæ. Eô nempe ductus principiò, quòd quidquid non profluit ex charitate, neceſſariò profluit ex inordinato amore noſtri, eſtque peccatum: quô falſiſſimô dogmate *Janſeniſmum* primò firmat, ſeu illam 7. propoſitionem à *Janſenianis* recuſam, quam damnavit *Alexander VIII. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi: ſi Dei, charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.* Et dum prop. 49. defendit, nullum eſſe bonum opus ſine amore Dei, charitatem agnoſcit eſſe virtutem unicam, à qua omnes aliæ virtutes habent, quòd ſint tales, & ſine qua nulla alia exiſtit virtus: in quo *Janſenio* conſentit tom. 3. lib. 5. cap. 3. dicenti: *Perſpicuum eſt, virtutem non aliud eſſe poſſe, quam amorem Dei*; ſicut & cum eodem lib. 3. de *ſtat. naturæ lapſæ* cap. 15. aſſerente: Omnia opera Infidelium eſſe peccata, & omnes eorum virtutes vitia, his verbis: *Nullum videlicet opus bonum, ne quidem moraliter, ab humano arbitrio fieri poſſe, niſi per gratiam, non quamlibet, ſed fidei, liberetur: ut proinde ante fidem non ſit liberum à peccato, dum hìc, & nunc agere meditatur, abſtinere; ſed quocumque ſeſe verterit, quâdam humanis viribus inſolubili peccandi neceſſitate teneatur.*

7. Renovat ſecundò *Bajaniſmum*; propoſitionem nempe 16. proſcriptam in *Bajo*: *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate*; ſi enim, ut propugnat prop. 47. obedientia legis profluere debet tanquam ex fonte à charitate: ergo non eſt vera obedientia, quæ fit ſine charitate. Hìc *Bajus* veram eſſe obedientiam dumtaxat negat; at *Quesnellus* hypocriſim, & falſam eſſe juſtitiam defendit, quod damnavit in *Luthero Concilium Tridentinum* ſeſs. 14. de pœnit. cap. 4. declarans, attritionem ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam, *non ſolùm*

lùm non facere hominem hypocritam , *verùm etiam Dei donum eſſe* : & can. 5. anathema dicit oppoſitum aſſerenti. Conſequens eſt etiam ad ejus doctrinam 20. *Baii* damnata propoſitio : *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale* , *ſed omne peccatum meretur pœnam æternam* : etenim ſi nihil exercere poteſt peccator ſine gratia , niſi peccatum , ſeu opus deſerviens ad condemnationem : ergo non peccat infidelis , nec peccare poteſt venialiter , ſed ſolùm mortaliter.

8. Et tandem doctrina *Queſnelli* eſt ipſamet 37. propoſitio *Baii* à Summis Pontificibus S. *Pio V. Gregorio XIII.* & *Vrbano VIII.* damnata: *Omnis amor Creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur* , *quæ à Joanne prohibetur* , *aut laudabilis illa charitas* , *quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſâ Deus amatur*. En *Queſnelli* cum *Baii* ſyſtemate conſenſus, qui ſolùm abſtinet prop. 44. & 45. & 49. ab hâc voce *charitas* , quâ utitur ille , utens iſta *amor Dei* : at per amorem Dei amorem charitatis juſtificantis intelligit ; cùm prop. 44. loquatur de amore Dei , qui omnia agit propter Deum , quemque Deus remuneratur , & qui ad Deum refert, quod referibile eſt : & cùm ad eumdem finem vocem charitatis impenderit ſequentibus propoſitionibus 46. & 47. 48. 50. 53. 54. 55. & 56. manifeſtum eſt , intellexiſſe idem per *amorem Dei* , ac per *charitatem* , quam vocem ille ſtudiosè omittit. O utinam & illi ejus diſplicuiſſet error.

§. II.

Momentis variis refellitur error iſte.

9. CONtra errorem iſtum primum momentum ſit ex Sacris Paginis, quibus dilucidè ſignificatur , opera infidelium & eſſe libera , & moraliter honeſta. Conſtat enim , quòd Deus remuneravit *obſtetrices Ægypti* , quibus ædificavit domos , eò quod adverſante *Pharaone* maſculos *Hebræorum* ſervaſſent incolumes , ut habetur *Exod.* 1. Remuneravit & *Rahab* , quæ exploratores hoſpitio excepit , atque latebris celavit , cui *Joſue* pepercit , ut legitur *Joſue* 6. *Rahab verò meretricem* , *& domum Patris ejus* , *& omnia quæ habebat* , *fecit Joſue vivere*. Etiam Dei gratiam promeruit *Cyrus* , cui Deus ſubjecit dorſa Regum terræ , quia Populum ſuum è captivitate relaxaverat ; ut dicitur 1. *Eſdræ* cap. 1. *Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli* , *& ipſe præcipit mihi* , *ut ædificarem ei domum in Hieruſalem*. Sed Deus non remunerat peccatum : ergo falſum eſt , quòd ille gratiâ deſtitutus non liber fuerit , niſi ad peccandum. Rurſus *Cyrum* Scriptura *juſtum* nominat *Iſaiæ* 31. 2. 10. & 46. 10. Nominat & illum *Iſraelis Paſtorem* *Iſaiæ* 44. v. 88. Etiam illum de *Iſraelitarum* Deo recta ſenſiſſe ex verbis ejuſdem ad *Danielem* 14. 42. colligi poteſt : *Paveant omnes habitantes in terra Deum Danielis, quia ipſe eſt Salvator faciens mirabilia in terra*. At quomodò eum juſtum vocaret Scriptura, ſi in omni opere ſuo peccaſſet mortaliter ? Hoc ſecundò probat conſilium *Nabuchodo-*

noſori

noſori Pagano datum à Deo, ut conſtat ex *Daniel.*4. *Conſilium meum*, inquit Propheta, *placeat tibi*, *& peccata tua eleemoſynis redime*, *& iniquitates tuas miſericordiis pauperum*: *forſitan ignoſcet delictis tuis*. Quod & *Lucæ* 11. dixit *Chriſtus* ad peccatores, hortans eos ad eleemoſynas: non hortaretur Deus peccatores ad illam, nec eleemoſynâ mundari poſſent immunda, nec forſan ignoſceret delictis; cùm peccata novis peccatis non redimantur, aut ab his moveatur Deus ad ignoſcendum: ergo opera iſta, etſi facta ad infideli gratiâ Fidei deſtituto, bona moraliter ſunt. Conſtat ulteriùs ex verbis *Chriſti* Domini *Matth.*5. *Si diligitis eos*, *qui vos diligunt*, *quam mercedem habebitis*? *Nonne & Ethnici hoc faciunt*? Quibus verbis vult *Chriſtus*, omnia urbanitatis officia, quæ in vitæ commercio ultrò, citròque præſtantur, adhiberi, nullum eſſe nobis inimicum, de omnibus benemereri; quod & faciebant *Ethnici*. Supponit ergo, diligere amicos eſſe bonum naturalis ordinis. Et tandem ad *Rom.* 2. dicit *Apoſtolus*: *Gentes*, *quæ legem non habent*, *naturaliter quæ legis ſunt faciunt*. Quod SS. Patres de Gentibus nondum juſtificatis, immò nec converſis ad fidem interpretantur. Sic *Cyprianus* lib.3. ad *Quirilium*; *Auguſtinus* de *ſpirit. & litt.* cap.27. *Proſper* contra *Collatorem* cap.22. & tamen adimpletio legis naturalis, quæ bona eſt, laudatur in Gentilibus, dum inquit *Apoſtolus*: *Naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt*: igitur peccatum non eſt.

10. Secundum momentum elicitur ex SS. Patribus, qui hanc veritatem apertiſſimè probant. Præclarè id oſtendit *Origenes* lib. 2. *in Epiſt. ad Rom.* cap.2. ſuper illa *Apoſtoli* verba, GLORIA, ET HONOR, ET PAX OMNI OPERANTI BONUM, JUDÆO PRIMUM, ET GRÆCO, ubi ait: *Sed & Græcus*, *id eſt Gentilis*, *qui cum legem non habeat*, *ipſe ſibi eſt lex oſtendens opus legis in corde ſuo*, *& naturali ratione immotus*: *ſicut videmus nonnullos in gentibus*: *vel juſtitiam teneat*, *vel caſtitatem ſervet*, *vel prudentiam*, *temperantiam*, *modeſtiamque cuſtodiat*: *iſte licèt alienus à vita videatur æterna*, *quia non credit Chriſto*: *& intrare non poſſit in regnum cœlorum*, *quia renatus non eſt ex aqua*, *& ſpiritu*, *videturque per ea*, *quæ dicuntur ab Apoſtolo bonorum operum gloriam*, *& honorem*, *& pacem perdere penitus non poſſe*.

11. Concinit *Chryſoſtomus* Homil. 67. ad Popul. *Antiochenum*: *Non poteſt malus omnino malus eſſe*, *ſed evenit*, *ut & aliquid habeat boni*. Eumdem in ſcopum collimant S *Hieronymus* Epiſt. ad *Demetriadem*, dicens: *Quàm multos enim Philoſophorum & audivimus*, *& legimus*, *& ipſi vidimus caſtos*, *patientes*, *modeſtos*, *liberales*, *abſtinentes*, *benignos*, *& honores mundi ſimul*, *& delicias reſpuentes*, *& amatores juſtitiæ non minus*, *quam ſcientiæ*. S. *Fulgentius* lib. de *Incarnat.* cap.26. *Aliqua quidem bona*, *quæ ad ſocietatis humanæ pertinent æquitatem*, *ineſſe poſſunt peccatoribus*; *ſed quia charitate Dei non fiunt*, *prodeſſe non poſſunt ad ſalutem*. *D. Gregorius* Homil. 25. in *Evangel.* aſſerit: *Eſſe quamdam dilectionem proximi*, *quæ fit ſpontè naturæ*, *id eſt*, *ex inclinatione*, *& viribus naturæ*, *ut ſi diligamus cognatos*. Quos omnes actus probant SS. Patres eſſe moraliter honeſtos, quia liberi ſunt, & rectæ rationi conformes.

12. Ter-

12. Tertium momentum petitur ex auctoritate SS. *Auguſtini*, & *Thomæ*, qui apertiſſimè reſiſtunt errori *Queſnelli*. Mentem *Auguſtini* probat primò illud, quod legitur lib. de *perfect. juſtit.* cap. 8. Ubi cùm *Cœleſtius* probare vellet, non eſſe neceſſariam Dei gratiam ad opera liberi arbitrii, objiciens illud *Apoſtoli* ad *Corint.* 7. QUOD VULT FACIAT NON PECCAT, SI NUBAT. Reſpondet S. Doctor: *Videte tamen, obſecro, quale ſit ideo volenti, & currenti miſericordiam Dei non eſſe neceſſariam, quæ illum etiam prævenit, ut curreret; quia de quodam ait Apoſtolus*, QUOD VULT FACIAT .... NON PECCAT, SI NUBAT. *Quia ſi pro magno habendum ſit velle nubere, ubi de adjutorio divinæ miſericordiæ operoſius diſputatur*. Hic concedit S. Doctor opus naturale ſine ſpeciali gratia factum; quod tamen peccatum non eſt, dicente *Apoſtolo*, *non peccat, ſi nubat*.

13. Inſigne eſt etiam teſtimonium illud ex lib. de *Spirit. & litt.* cap. 27. *Quædam tamen facta*, inquit S. Doctor, *vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam, non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò, rectèque laudamus*. Hæc S. Doctor: & juremeritò Gentilium quæ legimus egregia facinora laudibus celebrari debent. Annon laudandi illi, qui privatas res ſuas pro re communi contempſerunt, avaritiæ reſtiterunt, conſuluerunt Patriæ conſilio libero, neque delicto ſecundùm ſuas leges, neque libidini obnoxii? Annon laudandus *Lutius Valerius*, qui in ſuo defunctus Conſulatu, uſqueadeo fuit pauper, ut nummis à Populo collatis ejus ſepultura curaretur? Annon laudandus *Q. Concinnatus*, qui ab aratro adductus, ut Dictator fieret, victis hoſtibus ingentem gloriam conſecutus, in eadem paupertate manſit? Annon laudandus *Fabritius*, qui tantis muneribus *Pyrrhi* Regis *Epirotarum*, promiſsa etiam una parte Regni, à Romanâ Civitate non potuit divelli, ibique in ſua paupertate privatus manere voluit? Hæc & alia eſſe laudabilia, & dona Dei quis negare poteſt? Ergo ſi meritò, rectèque laudamus ea, ut dona Dei, falſum eſt, quòd non ſerviant, niſi ad condemnationem. Quare de bonis operibus Gentilium ante fidem agens Divus *Auguſtinus* lib. de *duabus animabus* cap. 14. num. 22. ait: *Non eſſe dona Dei nulla barbaries dicere audebit*: Et cùm lib. 4. contra *Julianum* cap. 3. num. 30. *Juliani* objectionem retuliſſet: *Si Gentilis, inquit, nudum operuit, numquid quia non eſt ex fide peccatum eſt* .... eidemque reſpondiſſet S. Doctor: *Prorſus in quantum non eſt ex fide peccatum eſt*, nempè ex vanæ gloriæ motivo, ut rem explicet, ſubdit: *Peccatum eſt; non quia per ſe ipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt: ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolùm impius negat eſſe peccatum. Quod ut intelligas .... Quæro abs te, utrum hæc opera bona benè faciat, an malè? Si enim quamvis bona, malè tamen facit; negare non potes, eum peccare, qui malè quodlibet facit. Sed quia eum non, cum facit iſta, peccare, profectò dicturus es, & bona facit, & benè. Fructus ergo bonos facit arbor mala: quod fieri non poſſe veritas dicit* ... Sic *Julianum* perſtringit, volentem, hominem, qui nudum operit, aut ſimilia opera ho-

honeſta facit, non peccare, tametſi hæc omnia propter vanam gloriam faciat, quippe qui non in Domino, ſed in ſe propter hæc bona glorietur: quod refellit S. Doctor, cùm non ſufficiat, quòd actio utcumque honeſta ſit, ſed & quòd finem honeſtum habeat.

14. Rurſus præclarè S. Doctor id ipſum docet ibi cap. 28. dicens: *Sicut enim non impediunt à vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur*. Sed bona opera peſſimi hominis, ſine quibus difficillimè vita ejus invenitur, & quæ ei nihil proſunt ad vitam æternam, non fiunt per gratiam liberatoris: ergo dantur in peccatoribus, & infidelibus bona opera, quæ liberè fiunt, & peccata non ſunt, etſi gratiâ Dei non fiant.

15. Hujus doctrinæ baſim ponit ibi S. Doctor: *Quia nempe non uſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici poſſit etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere*: intelligens his verbis, *extrema lineamenta*, imaginis Dei naturalem virtutem ad bonum ordinis naturalis operandum. Enimverò quamvis inter ipſos Ethnicos quidam ſint proclives ad vitia, & ruentes ad mala, ſicut erant illi, de quibus dicit *Apoſtolus* Epiſt. ad *Titum* cap. 3. quòd erant *inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & invidia agentes, odibiles, odientes invicem*; at non imago Dei eſt in eis penitus per peccatum extincta, ſuntque in illis multa tum naturalia, tum moralia dona à Deo conceſſa, quibus honeſtas morum exerceri poteſt.

16. Ad cujus doctrinæ intelligentiam obſervandum venit, quòd homo etiam per naturalia ſua ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt. Condens quippè Deus imaginis ſuæ naturam, impreſſit ei naturæ legem, cujus cognitionem non ipſa quidem delevit iniquitas; cùm non omnimodè deletum ſit peccato, quod ibi de imagine Dei, cùm crearetur, impreſſum eſt, ut conſtat ex illo *Pſal. Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine*: & ex S. *Auguſtino* lib. 2. Confeſſ. cap. 4. *Lex tua ſcripta eſt in cordibus noſtris, quam nec ulla quidem delet iniquitas*. Libertatem ergo, & potentiam ad naturalia bona retinuit. Cognovit nedum ſpeculativè, quid ſit naturæ bonum, quid juſtum, quid honeſtum; ſed & practicè novit, juſtum, honeſtumque eſſe faciendum, veritatem iſtam, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Hanc naturæ legem, quam *Moyſes Judæis* ſcriptam dedit in lapideis tabulis, eam Gentiles ſcriptam habent in cordibus ſuis, ut inquit *Apoſtolus* ad *Rom.* 2. verſ. 14. *Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem* (in tabulis ſcriptam) *non habentes, ipſi ſibi ſunt lex*: & verſ. 15. *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*: ubi *Apoſtolus* loquitur de Gentibus gratiam fidei non habentibus, ut con-

tra *Bajum*, qui ad Pelagianiſmum rejiciebat interpretationem iſtam, definivit Eccleſia, hanc ordine vigeſimam ſecundam propoſitionem damnans: *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt: intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.* Conſtat ergo ex *Apoſtolo*, quòd adimpletio legis naturalis, inter ea, quæ bona ſunt, annumeratur; & quòd ea, quæ legis ſunt, naturaliter faciunt. Quod ita evidens eſt ex illo *Auguſtini* principio, quòd non penitùs imago Dei terrenorum affectuum labe detrita ſit, ut non opus ſit longiori deductione firmare.

17. Subſcribit *Auguſtino* mirabilis ejus Diſcipulus D. *Thomas* 2. 2. quæſt. 109. art. 2. dicens: *Quia tamen natura humana per peccatum corrupta non eſt, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur, poteſt* (homo) *etiam in ſtatu naturæ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere.* Quid clarius? Præclarè etiam 2. 2. quæſt. 10. art. 4. aſſerit, *quòd licèt peccatores, ſeu infideles non poſſint operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, operari poſſunt: unde non oportet, quòd in omni opere ſuo peccent.* Eodem nempè inconcuſſo *Auguſtini* principio, quia *in peccatoribus, & infidelibus non corrumpitur totaliter ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere poſſint aliquod opus de genere bonorum*, ut ibi aſſerit ad 1. Quid namque impedit, quòd imago Dei à Creatore mota erga ſe, & proximum ſuum plures exerceat actus juxta naturæ modum, & regulas rectæ rationis, qui recti ſint, ſani, ac multâ laude digni, licèt, quia ſine charitate facti, infructuoſi ſint?

18. Hanc eſſe D. *Thomæ* mentem lucidiſſimum erit ex verbis ejuſdem Angelici Magiſtri cap. 14. ad *Rom.* 3. *In homine infideli, cum infidelitate eſt bonum naturæ, & ideò cùm ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat.* Quod & multis probat in 2. Sentent. diſtinct. 41. art. 2. ubi inquirit: *Utrum aliquis actus hominis infidelis poſſit eſſe bonus?* Et reſpondet: *Non eſt conſilium, niſi de bono; ſed infidelibus conſulitur, ut aliqua de genere bonorum faciant: ergo illorum actus non omnes ſunt mali.* Prætereà: *Nihil laudabile eſt, vel laudatur, niſi bonum, ſed ſancti, ut Hieronymus* (contra *Jovinianum* lib. 1. in fine) & *Auguſtinus* (de doctrina Chriſt. lib. 2. in fine) *Sæpè laudant aliquos Gentiles de aliquibus operibus: ergo aliqua opera ipſorum fuerunt bona.* Vides, quænam ſit Sanctorum Doctorum ſententia, & quantùm diſtent à *Queſnelli* principiis; cùm apertiſſimè doceant, quòd etſi Infideles gratiâ deſtituti ſint, eorum tamen facta quædam, quæ ſecundùm juſtitiæ rationem fiunt, nos nedum vituperare non poſſe, verùm etiam meritò, rectèque eſſe laudanda.

19. At, ut magis conſtet, quàm remotiſſimi ſint ab hac virulenta *Queſnelli* doctrina SS. *Auguſtinus*, & *Thomas*; & quàm falſum ſit, quòd præter illos duos principales amores; nempè amorem amicitiæ, quô Deus diligitur uſque ad contemptum noſtri, & inordinatum amo-

rem

rem malitiæ, quô Creatura diligitur uſque ad contemptum Dei, non agnoſcant amorem alium medium, licitum, & honeſtum, qui nec Deum amet uſque ad contemptum ſui, nec ſe ipſum uſque ad contemptum Dei; quatenùs ille, licèt non valeat ad ſupernaturalem ſalutem, ſit tamen naturæ modo, & rationi conſentaneus, gaudeatque ſuâ laude, & honeſtate morali; audiendi iterum ſunt SS. Doctores agnoſcentes, bona eſſe hæc opera, quæ non ex charitate tanquam ex fonte profluunt. Hoc eximiè tradit D. *Auguſtinus* lib. de patient. cap. 26. ubi ait: *Si quis non habens charitatem ..... in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem ...... nullò modò iſta culpanda ſunt, immo & hæc laudanda patientia*. Cujus ſubdit rationem: *Non enim dicere poterimus, melius ei fuiſſe, ut Chriſtum negando nihil eorum pateretur, quæ paſſus eſt confitendo; ſed exiſtimandum eſt, tolerabilius ei futurum judicium, quàm ſi Chriſtum negando, cuncta iſta vitaret*. Quid evidentius ad rei præſentis confirmationem?

20. Eleganter etiam, & perſpicuè ſuam ſententiam aperit lib. 4. contra *Julianum* cap. 3. dicens num. 31. *Quod ſi & ipſa per ſe ipſam naturali compaſſione opus eſt bonum; etiam iſtò bonò malè utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit: qui autem malè facit aliquid, profectò peccat. Ex quo colligitur etiam ipſa bona opera, quæ faciunt Infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius qui benè utitur malis. Ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona malè faciunt; quia ea non fideli, ſed infideli, hoc eſt, ſtultâ, & noxiâ faciunt voluntate*. Hìc obſervandæ ſunt voces *infideliter*, *non fideli*, *ſed infideli voluntate*: quibus apertè docet S. Doctor, infidelem, non ex dictamine rationis, ſed prout infidelis eſt, dum opus ordinat ad finem infidelitatis, peccare; nempè dum agit propter pravum ſuæ infidelitatis finem. Si tamen fideli voluntate omnino agat, id eſt, ſi rectæ rationi fideliter inhærendo, non peccare; cùm aſſerat *Auguſtinus*, illorum opera eſſe Dei, qui benè utitur malis: ergo minimè mala ſunt; cùm Deus nequeat eſſe auctor mali, ſive peccati.

21. Sed longè pulcherrimum eſt illud *Auguſtini* teſtimonium ex ſerm. 385. aliàs 38. inter *Homilias* 50. ubi amores varios deſcribit Sanctus Doctor. Primò oſtendit, qualis ſit ille amor proximi perfectus, perfectione nempè, quæ ad pietatem, ad Chriſtianam Religionem, & ad ſalutem æternam adducit, his verbis: *Non ſolùm in novo, ſed etiam in veteri Teſtamento admonemur, Fratres dilectiſſimi, qualiter perfectam charitatem tenere debeamus. Sic enim ipſe Dominus in Evangelio dixit*: DILIGES PROXIMUM TANQUAM TE IPSUM. De perverſo hominis amore, quò nempè homo hominem diligit uſque ad contemptum Dei, ſequentia profert: *Ipſe perversè amat alterum, qui & ſe perversè amat, qui autem rectè ſe amat, & alterum rectè amat*. Verbi gratia, *ſunt amores flagitioſi, deteſtabiles amores adulterorum, amores corruptorum, immundi amores. Malos amores deteſtantur omnes leges humanæ, & leges divinæ*. De quibus omnibus pronuntiat S. Doctor:

Remove ergo iſtos illicitos; *quæramus licitos*. Pergit S. Doctor amores licitos enumerans, quibus nec Deum diligimus uſque ad contemptum noſtrum; nec nos diligimus uſque ad contemptum Dei. *Honeſtos amores jam dico*, *illos flagitioſos excluſi*. Et relicto amore illo, qui eſt naturæ conſentaneus, quem licitum in nobis vocat, ſed carnalem: *Licitus quidem amor iſte in hominibus*, *ſed videtis*, *quia carnalis eſt*; omiſsôque etiam illô, qui terminatur ad bonum rectæ rationi conſentaneum; illo nempè, qui, ut loquitur S. Doctor, *tantum autem creſcit*, *ut à conjuge ad filios*, *à filiis ad propinquos*, *à propinquis ad extraneos*, *ab extraneis ad inimicos pervenit*: proſequitur S. Doctor ad amicitiam, quæ rectæ rationi conformis eſt, de qua S. Doctor, ait: *Surgamus adhùc & ab iſta*. Eſt alia ſuperior amicitia, non conſuetudinis, ſed rationis, quâ diligimus hominem propter fidem, & mutuam benevolentiam in iſta vita mortali. Ex quo aſcendit ad amorem Dei perfectum, dicens: *Hâc ſuperius quidquid invenerimus*, *Divinum eſt*; & ibi eodem n. 3. de amore iſto ait: *Incipe ergo amare Deum*, *& amabis hominem propter Deum*. En, juxta S. Doctorem, amor ille perfectus, adducens ad ſalutem æternam. At, ipſo teſtante, dantur & alii liciti, & honeſti; qui, licèt nec actu, nec virtualiter ex parte operantis referantur in Deum, non tamen ideò finem pravum diligunt.

22. Doctrinam hanc ſæpiùs tradit D. *Thomas*. Ita 2. 2. quæſt. 19. art. 6. dicens: *Amor ſui tripliciter ſe habere poteſt ad charitatem*. *Uno enim modo contrariatur charitati*, *ſecundùm quod aliquis in amore proprii boni finem conſtituit*. *Alio verò modo in charitate includitur*, *ſecundùm quod homo ſe propter Deum*, *& in Deo diligit*. *Tertio modo à charitate quidem diſtinguitur*, *ſed charitati non contrarìatur*, *puta*, *cùm aliquis diligit ſe ipſum*, *ſecundùm rationem proprii boni*; *ità tamen*, *quòd in hoc proprio bono non conſtituit finem*. *Sicut etiam ad proximum poteſt eſſe aliqua alia ſpecialis dilectio præter dilectionem charitatis*, *quæ fundatur in Deo*, *dùm proximus diligitur ratione commoditatis*, *conſanguinitatis*, *vel alterius conditionis humanæ*, *quæ tamen referibilis ſit ad charitatem*. En juxta D. *Thomam* tertius diligendi modus à charitate diſtinctus, non tamen ipſi contrarius; ille nempè, quò quis ſe ipſum, aut proximos diligere poteſt ſecundùm dictamen rationis naturalis, ſine eo quòd peccet; quia in hoc proprio bono non conſtituit finem.

23. Sed nullibi clariùs, evidentiùs, & magis ex profeſſo refutatur à D. *Thoma* error iſte, quàm locô citatô ex 2. Sentent. diſt. 21. art. 2., ubi rem iſtam diſertiſſimè explicat his verbis: *Dicendum*, *quòd ſicut in rebus naturalibus una perfectio alteri ſuperadditur*, *ſic ut quædam res habeat unam illarum*, *& quædam duas*, *& ſic deinceps*, *ità etiam in moralibus contingit in actu conſiderare aliquam perfectionem aliis ſuperadditam*: *ex quarum unaquæque dicitur actus bonus*, *quæ eſt ſecundùm perfectionem illam*: verbi gratia, *omnis actus*, *in quantum eſt actus*, *habet quamdam eſſentialem bonitatem*, *ſecundùm quòd omne ens bonum eſt*: *ſed in aliquibus actibus ſuperadditur quædam bonitas ex pro-*

por-

portione actûs ad debitum objectum, & ſecundùm hoc dicitur actus bonus ex genere : & ulteriùs ex debita commenſuratione circumſtantiarum dicitur bonus ex circumſtantia : & ſic deinceps quouſquè perveniatur ad ultimam bonitatem, cujus humanus actus eſt ſuſceptivus, quæ eſt ex ordine in finem ultimum per habitum gratiæ, & charitatis : & ideò actus illorum, qui gratiam, & charitatem non habent, hoc modo bonus eſſe non poteſt. Et hæc eſt bonitas, ſecundùm quam actus meritorius dicitur : ſed ſubtracto poſteriori, nihilominùs remanet prius, ut in libro de cauſis dicitur. Vndè quàmvis ab infidelium actibus ſubtrahatur iſta bonitas, ſecundùm quam actus meritorius dicitur ; remanet tamen bonitas alia, vel virtutis politicæ, vel ex circumſtantia, vel ex genere : & ideò non oportet, quòd omnis eorum actus ſit malus, ſed ſolùm quòd ſit deficientis bonitatis ; ſicut quàmvis Equs deficiat à rationalitate, quam homo habet, non tamen ideò malus eſt, ſed habet bonitatem deficientem à bonitate hominis. Quibus D. *Thomas* contradiſtinguit ordinationem debitam actui ; ut ſit bonus moraliter, ab ordinatione debita actui, ut ſit bonus ſimpliciter, & conducens ad vitam æternam ; aſſeritque, quòd hujus defectus non conſtituit actum malum moraliter, ſed non bonum ſimpliciter, ſive deficientis bonitatis.

24. Hæc omnia ſi maturô judiciô, animôque ab omnium partium ſtudiis alienô attentiùs conſiderentur, unuſquiſque inveniet, vaniſſimè ſibi *Queſnelli* defenſores arrogaſſe D. *Thomam*, cujus tutiſſima dogmata apertâ fronte impugnant, dùm Scholæ Thomiſticæ præſidium invocant. At hæc eſt conſueta nequiſſimorum hominum molitio, qui dùm Janſenianum virus, quod in corde retinent, proferre non audent, ſub pallio hujus præclariſſimi Eccleſiæ luminis D. *Thomæ* latibulum quærunt, quô fulmina Vaticana eludere poſſint. Quis non videat, quàm falſum, & ridiculum ſit, quod *Queſnelli* defenſores garriunt, vel abſolvendum eſſe *Queſnellum* ad ſalvandos *Auguſtinum*, & *Thomam*, aut iſtos cum eo eſſe damnandos ? Quis non credet, id partim ab ignaris uſurpatum temerè, partim ab improbis callidè, inſidioſèque confictum? Sed & unde novi iſti Ariſtarchi facultatem ſibi arrogarunt corrigendi florentiſſimam SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* Scholam, præſumentes, ſe, quod Diſcipulos lateret, apud S. Doctorem invenire ? Quis vos judices conſtituit ſuper eos, ut eis arbitrio veſtro credendorum ſeriem dirigatis ? An ab eis doctrinæ SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* intelligentiam de veſtra manu, de veſtro conſilio, de veſtra mente accipiendam eſſe contenditis ? Abſit hoc. Ab illis potiùs diſcite debitam Sedi Apoſtolicæ exhibere obedientiam, nè impiâ, & ſcandaloſâ contradictione, in manifeſtam Eccleſiæ Dei ſciſſuram, & Principatûs Eccleſiæ confuſionem tendatis. Sed ad alia progrediamur.

25. Tandem quia inter Gentiles fuerunt innumeræ leges juſtæ, ſine *Chriſti* Fide traditæ, ſine *Chriſti* Fide conditæ, quarum Deus eſt auctor. Conſtat ex illo Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Quibus verbis Sapiens in juſsis Principum, etiam Gentilium, Dei ordinationem annuntiat. Quomodò ergo legum obſervan-

ſervantia Infidelibus peccatum eſt, & ad condemnationem deſervit? Quis ſanæ mentis dixerit, peccatorem, ſive infidelem, qui legi obedit ſalutis motivô, in novum irruere peccatum? Quòd homo, qui reſtituens ablatum, ſatisfacit juſtitiæ, operetur ad ſuam condemnationem? Quod timor gehennæ, quô peccator exagitatus ad meliora redit, faciat hominem magis peccatorem, & à Deo averſum? Timor, inquam, ille, quem Deus præcipit: *Oſtendam vobis, quem timeatis; timete eum, qui poſtquàm occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam, Lucæ* 12. v. 15. Ergo tantum abeſt, ut opera naturæ, & rectæ rationi conſentanea, legi Dei repugnent, quin potiùs lege Dei præcipiuntur. Rurſus: peccatores obligant præcepta Decalogi non adulterare, non furtum, non homicidium facere, non aliena concupiſcere, & alia plurima, quæ ſumma juſtitia neminem ratione utentem ignorare permittit. Bona iſta ordinis naturæ à Deo præcipiuntur: damnaret ergo Deus, quod præcipit, cùm peccatum eſſet, & nonniſi ad condemnationem deſerviens. Damnarentur ulteriùs infideles, qui non ea facerent; quia inobedientes eſſent præceptis: ergo ferreâ, & inevitabili neceſsitate peccatores eſſent adſtricti ad damnationem: ſtupenda ſanè, vel potiùs erronea doctrina. Annè ad Religionem ſpectat, quòd Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, quòd *Chriſtus*, qui pro omnibus mortuus eſt, velit damnare infideles propter peccata, quæ neceſſariò fierent, adimplendo, vel non adimplendo legem? Saniora petit vera Dei Religio.

26. Prætereà: Quæ non in praxi ex virulenta, ac falſa propoſitionum doctrina ſequuntur inconvenientia? Si nullum opus bonum eſt ſine amore Dei; ergo nihil eſt, quòd curet peccator, qui ſine charitate eſt, de operibus omnium naturalium virtutum. Quid enim ei proderunt opera juſtitiæ, Religionis, miſericordiæ, aliaque pietatis opera, quæ jure naturali, & Divinò præcipiuntur, ſi peccata ſunt? Quid proderunt actus Fidei, & Spei? Quid oratio? An audietur à Deo ex miſericordia, qui ſolùm audiri poteſt ad vindictam? An Dominum ad veniam delicti ſui juſtis, & continuis precibus inflectet, qui ex his operibus ſolùm eſt pœnâ dignus? En totius moralis Chriſtianiſmi everſio, ad doctrinam *Queſnelli* neceſſariò conſequens. Miror ſanè, adhùc cœcutire ejus defenſores, & quòd potentiſsimæ veritatis radiis oculos nondum aperiant. At hæc, & alia ab Hæreticis fluant, ſed non patienter ferantur à Catholicis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

27. NUllus eſt Hæreticus, qui non contenderit, aut Scripturæ Sacræ, aut Sanctorum Patrum ſententiis, malè intellectis, errorem ſuum pro virili parte defendere: dùm & ipſe *Arius* Hæreticorum peſſimus B. *Joannis Evangeliſtæ* verba, *Verbum caro factum eſt*, in ſenſum adeò impium detorſit, ut Divinitatem Verbo adimeret. Sic in præ-

præſenti pluribus Sacræ Scripturæ teſtimoniis, & SS. Patrum errorem ſuum defendere volunt Novatores iſti. Objiciunt ergo primò illud *Matth.* cap. 7. verſ. 17. dicentis: *Omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sed infideles, & peccatores comparantur arbori malæ, ſeu malæ voluntatis: ergo non poſſunt ullum opus bonum facere.

28. Secundò: Ex verbis *Joann.* 8. *Amen Amen dico vobis: quia omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Et verſ. 36. *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis*; ſed peccatores ſine gratia Dei ſunt ſervi peccati: ergo liberi non ſunt, niſi ad malum. Cui conſonat id, quod legitur ejuſdem *Joannis* Epiſt. 1. cap. 5. *Scimus, quia omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum. Scimus, quoniàm ex Deo ſumus, & mundus totus in maligno eſt poſitus.* Sed, ſi mundus totus in maligno eſt poſitus, infideles, & obdurati, qui ſpiritu mundi ſunt repleti, ſub peccati poteſtate, atque imperio verſantur: ergo horum actiones pravæ ſunt, atque corruptæ.

29. Tertiò: Ex verbis *Apoſtoli* ad *Romanos* cap. 8. *Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritûs, ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritûs vita, & pax: quoniàm ſapientia carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſubjecta; nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Ex quibus verbis ſequens elicitur argumentum: Infideles, & obſtinati non ſecundùm ſpiritum ſunt, ſed ſecundùm carnem, cujus prudentia eſt inimica Deo, nec legi Dei poteſt eſſe ſubjecta: ſed qui ſunt ſecundùm carnem, ſolùm, quæ carnis ſunt, ſapiunt, & teſte *Apoſtolo*, Deo placere non poſſunt: ergo non ſunt liberi, niſi ad peccatum. Rurſus ad *Rom.* cap. 12. verſ. 24. inquit *Apoſtolus*: *Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: & ut dicit Gloſſa: *Omnis infidelium vita eſt peccatum.* Sed nullum opus infidelis eſt cum fide: ergo infidelis liber non eſt, niſi ad malum; omniſque ejus vita peccatum eſt. Quod tandem probat id, quod tradit *Apoſtolus* ad *Titum*, ſcribens: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum; ſed inquinatæ ſunt eorum mens, & conſcientia.* Si ergo illis nihil eſt mundum, nec illis eſt poteſtas, niſi ad malum.

30. Hæc, & alia objiciunt ex Sacris Paginis *Queſnelli* defenſores, quæ nihil pro ſuo errore faciunt. Non quidem illud *Matth.* 7. cùm ex illo non arguatur, malos nihil unquam boni facere, ſicut neque viros bonos nunquam errare. Hoc de univerſa actionum ſumma eſt intelligendum. Hæ ſuaptè naturâ cordis impetum ſequuntur. Si cor depravatum eſt, pravitas illius ex fructibus cognoſcitur; ſi cor rectum, ac purum eſt, actionum puritas, & æquitas cordis juſtitiam, & puritatem demonſtrat. Sicut ergo juſtus, qui comparatur arbori bonæ, non ſem-

per

per operatur ut juſtus; ita nec infidelis, & obſtinatus ſemper operantur ut impii, nec omnis actus illorum eſt ex influxu infidelitatis, & injuſtitiæ, ſive ex affectu ad illam. Quis enim dicat, quòd infidelis alienæ egeſtati ex motivo miſericordiæ ſubveniens, actum iſtum ſemper referat ad finem ſuæ infidelitatis? Si ut infidelis, infideli voluntate & intentione opus illud poteſt; cur ut homo non operabitur opus hoc conformiter ad rationem, & rectâ intentione rectitudine naturali circa bonum honeſtum? Hæc eſt S. *Auguſtini* ſententia, veruſque *Apoſtoli* ſenſus, quem tradit lib. 4. contra *Julianum* Pelagianum, dicens: *Ex quo colligitur, etiam ipſa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius, qui benè utitur malis. Ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona malè faciunt; quia ea non fideli, ſed infideli faciunt voluntate. Qualis voluntas, nullo Chriſtiano dubitante, arbor eſt mala, quæ facere non poteſt, niſi fructus malos, id eſt, ſola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Et ideò Deus iſtas arbores non poteſt diligere, & ſi tales permanſerint, diſponit excidere: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Quibus verbis conſtat, quòd peccator, quatenùs talis, fructificando per radicem malam, nequit bonos fructus facere, verùm fructificans, quatenùs homo eſt, per radicem rationis, quæ per peccatum non fuit deſtructa, quandoquè bonos fructus producit, etiam ſine Dei gratia; quoniàm abſque iſta, adhùc bona radix eſt fructuum naturalium, & ſibi conformium.

31. Ad illud *Joannis* 8. dicitur, veriſſimum eſſe, quòd omnes, qui Spiritu Dei non ſunt renovati, qui concupiſcentiis in mundo regnantibus obediunt, & ſecundùm pravos mundi amores converſantur, Diaboli ſunt ſubditi imperio, cui ſpontè ſe addixerunt, & à quo minimè liberari poſſunt, niſi gratiâ Salvatoris. At hoc ſolùm probat, quòd infideles, & peccatores, qui mente, & affectu legi carnis obediunt, amantes temporalia, ad quæ carnalis inclinat appetitus, dùm talia cogitant, amant, & ſapiunt, peccent; cùm rerum carnalium amor inimicus ſit Deo. At non toti ſunt in operibus carnis; nec in omni opere ſecundùm carnis legem, & ſecundùm deſideria vivunt; ſed plerumque ſecundùm naturæ, & rationis rectæ juſtitiam, & ſecundùm legem honeſta moraliter præcipientem operantur; etſi Spiritus Dei non ſit in eis habitans per gratiam, & charitatem.

32. Ex quo pariter conſtat ſolutio ad id, quod dicitur ex Epiſtola 1. quòd *mundus totus in maligno poſitus eſt*, quia nempè homines naſcuntur originali peccato coinquinati, & permanent concupiſcentiæ ſubjecti. Loquitur ergo textus de hominibus mundanis, qui, quod eſt in mundo pertinens ad voluptatem carnis, appetunt, ac diligunt. At non ſequitur, quòd in illis in omni opere ad res temporales inordinatè diligendas natura corrupta incurvetur; cùm plura operari poſſint animo exercendi honeſtatem alicujus virtutis; quin talia opera faciant ex affectu infidelitatis.

33. Ad textum *Apoſtoli* ex cap. 8. ad *Roman.* etiam dicimus, quòd ibi diſtinguit *Apoſtolus* eos, qui terrena, carnalia, & ſenſibus ſubjecta

in

in delitiis habent, cupiditatis motus ſequentes, de quibus enuntiat, *quæ ſunt carnis, ſapiunt*: ab illis, qui cœleſtia diligunt, pietatem ſequuntur, gloriam, & Domini cultum quærunt, de quibus ait, *quæ ſunt ſpiritûs, ſentiunt*. Illis, inquit *Apoſtolus*, prudentia carnis mors eſt; quia nempè terrenarum, atque carnalium rerum amor animæ mortem infligit: ſicut iſtis rerum ſpiritualium amor vitam confert. Cujus rationem reddit, quia *ſapientia carnis inimica eſt Deo*; nempè oppoſita Spiritui, amori, & cultui ipſius. Ex quo arguit, *qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*. Nempè dùm rebelles ſunt, in ſua rebellione perſeverant, voluntati, & legi Dei adverſantes: *Legi enim non eſt ſubjecta* (prudentia carnis) *neque enim poteſt*. At non negat *Apoſtolus*, homines carnales poſſe aliquando elicere opus bonum moraliter ſine gratia: licèt enim ſint concupiſcentiæ ſubjecti, hæc non omnes actiones ejus corrumpit.

34. Conſtat etiam ex ſupradictis ſolutio ad argumentum ex cap. 14. ad *Romanos* verſ. 23. ubi dicitur: *Omne, quòd non eſt ex fide, peccatum eſt*. Textum quippè *Apoſtoli*, explicat D. *Thomas* 2. 2. quæſt. 110. art. 4. his verbis: *Ad primum ergo dicendum, quòd verbum illud eſt intelligendum, vel quia vita infidelium non poteſt eſſe ſine peccato; cùm peccata ſine fide non tollantur: vel quia quidquid agunt ex infidelitate peccatum eſt. Undè ibidem ſubditur, quia omnis infideliter vivens, vel agens vehementer peccat*. Quam ſolutionem tradit etiam S. Doctor locô citatò ex 2. Sentent. *Dicendum, quòd cùm dicitur;* OMNIS VITA INFIDELIUM PECCATUM EST, *non eſt intelligendum hoc modo, quòd omnis actus eorum peccatum ſit: ſed quia ſemper cum peccato vivunt; quia infidelitas eſt tale peccatum, quó retentó, nullum aliorum dimittetur. Vel dicendum, quòd intelligitur de illis actibus, ad quos ex ſua infidelitate impelluntur, ut eſt adorare Idola, & abſtinere à cibis prohibitis in lege, quaſi non ſit eis licitum veſci; & hoc videtur intendere Apoſtolus*. Textum etiam dupliciter exponit S. Doctor cap. 4. ad *Rom.* lect. 3. vel quia ly *ex fide* non accipitur pro *fide Catholica*, quæ eſt regula credendi, ſed pro *conſcientia*, quæ eſt regula agendi; ita ut ſenſus ſit: omne, quod non eſt ex fide, ſive ex dictamine conſcientiæ dictantis ejus honeſtatem, peccatum eſt. Loquebatur enim *Apoſtolus* de Judæis, qui judicantes quoſdam ſibi cibos eſſe illicitos, eos comedebant: quos redarguit *Apoſtolus*, dicens, quòd ſi contra conſcientiæ ſuæ dictamen eiſdem veſcantur, ſe ipſos damnant; nàm quidquid contra conſcientiam fit, id eſt non ex fide, peccatum eſt. Dubitans enim quis, utrùm aliquid liceat, nec ne, ſi illud agit, ultrò ſe peccato objicit, ut agnovit & ipſe *Cicero* lib. 1. de *Officiis*: *Benè præcipiunt*, inquit, *qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum ſit, an iniquum: æquitas enim lucet per ſe; dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ*.

35. Textum ibidem ſecundò explicat D. *Thomas*, ſumendo pro *Fide*, *Theologicam Fidem*, in quo ſenſu ly *non ex Fide* accipi debet contrariè, ita ut intelligatur, id, quod eſt contra fidem, ſeu ex infidelitate, peccatum eſt, quod indicant ſequentia D. *Thomæ* verba: *Poteſt*

autem hìc fides dupliciter accipi. Uno modo de fide, quæ eſt virtus; alio modo, ſecundùm quod fides dicitur conſcientia. Et hæ duæ acceptiones non differunt, niſi ſecundùm differentiam particularis, & univerſalis. Id enim, quod univerſaliter fide tenemus, puta, uſum ciborum eſſe licitum, vel illicitum, conſcientia applicat ad opus, quod eſt factum, vel faciendum. Dicitur ergo, ideò eum, qui manducat, & diſcernit eſſe condemnatum, quia hoc non eſt ex fide; immò eſt contra fidem, id eſt, contra veritatem fidei, & contra conſcientiam facientis. Hebræos II. SINE FIDE IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO. *Et quòd hæc ſit ſufficiens cauſa condemnationis, oſtendit ſubdens*, OMNE AUTEM, QUOD NON EST EX FIDE, PECCATUM EST. *Ex quo videtur, quòd ſicut dicitur in Gloſſa*, OMNIS VITA INFIDELIUM PECCATUM EST, *ſicut omnis vita fidelium eſt meritoria, in quantum ad Dei gloriam ordinatur; ſecundùm illud* I. *Cor.* IO. SIVE MANDUCATIS, SIVE BIBITIS, SIVE ALIQUID ALIUD FACITIS, OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE. *Sed dicendum eſt, quòd aliter ſe habet fidelis ad bonum, & infidelis ad malum. Nam in homine, qui habet fidem formatam, nihil eſt damnationis, ut ſuprà cap.* 8. *dictum eſt. Sed in homine infideli, cum infidelitate eſt bonum naturæ. Et ideò cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat. Non tamen opus ejus eſt meritorium, quia non eſt gratiâ informatum. Et hoc eſt, quod in Gloſſa dicitur, nihil bonum eſt ſine ſummo bono; id eſt, nullum bonum meritorium eſt ſine gratia Dei; & ubi deeſt agnitio vitæ æternæ, & incommutabilis veritatis, quæ ſcilicèt eſt per fidem, falſa virtus eſt in optimis moribus, in quantum ſcilicet, non refertur ad finem Beatitudinis æternæ. Cùm verò homo infidelis aliquid agit, ex eo quòd infidelis eſt, manifeſtum eſt, quòd peccat. Undè in Gloſſa, cùm dicitur*, OPUS OMNE, QUÒD NON EST EX FIDE, PECCATUM EST; *ſic eſt intelligendum, omne, quòd eſt contra fidem, vel contra conſcientiam, peccatum eſt: etſi ex genere ſuo bonum eſſe videatur, puta, ſi Paganus ad honorem ſuorum Deorum virginitatem ſervet, vel eleemoſynam det, hoc ipſo peccat* ... (ut ait *Paulus* ad *Titum* cap. I. verſ. 15. COINQUINATIS, ET INFIDELIBUS NIHIL EST MUNDUM, SED INQUINATÆ SUNT EORUM ET MENS, ET CONSCIENTIA. Quibus diſertiſſimis verbis & Textum *Apoſtoli* præclarè exponit, quem in ſui erroris confirmationem afferunt Adverſarii, & præcipuum Concluſionis fundamentum ſtatuit.

36. Nec valet, quod in ejuſdem confirmationem afferunt ex Epiſt. *Apoſtoli* ad *Titum*. Duo ibi præclarè diſtinguit *Apoſtolus*: unum, quòd mundis omnia ſunt munda: alterum, quòd inquinatis, & infidelibus nihil ſit mundum; quoniàm horum inquinatæ ſunt mens, & conſcientia: OMNIA MUNDA MUNDIS, inquit, COINQUINATIS AUTEM, ET INFIDELIBUS NIHIL EST MUNDUM, SED INQUINATÆ SUNT EORUM ET MENS, ET CONSCIENTIA. Ex quibus verbis efficaciter confutatur argumentum; quia eaſdem in Adverſarios, ſi quas habet, vires obtinet. Si namque illi ad priora verba *Apoſtoli* dicent, quòd *omnia mundis ſint munda*, dummodò iſti agant ut tales, & ex recta voluntate, atque intentione;

tione; ita & nos dicimus, coinquinatis, & infidelibus nihil eſſe mundum, dùm operantur uti tales, & ex prava intentione, non tamen ſi conformiter ad rationis dictamen operentur. Ita D. *Thomas* ibi cap. 1. lect. 4. dicens: *Sed numquid facit peccator, & infidelis immundam eleemoſynam? Dicendum eſt, quòd Apoſtolus non ponit affirmativam, ſed negativam. Vndè non dicit omnia, ſed nihil mundum eis, quod eſt verum; quia nihil eis perfectè mundum eſt; quia nihil eſt mundum actibus, niſi in finem debitum ordinatum ſit. Iſti autem ſunt extra finem. Sed numquid aliquid eſt eis mundum? Sic. Sed contra: quia omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Dicendum eſt, quòd malum numquam corrumpit totum bonum. Impoſſibile eſt enim, quòd in peccatore quolibet non ſit aliquod bonum, ſcilicet naturæ, etiam in Dæmonibus. Quando ergo peccator facit aliquod bonum, ſecundùm quòd eſt peccator, & infidelis, totum eſt peccatum ex radice. Sed ſi quid facit ex principio alicujus boni, quod habet, ut fidei informis, vel naturæ, non eſt immundum. Et ideò ſignanter dicit: Coinquinatis, & infidelibus, id eſt, in quantùm ſunt hujuſmodi &c.* Quibus nihil clarius, & apertius dici poteſt, ut omnis de mente ejus auferatur dubitatio.

37. Secundò objicies D. *Auguſtinum* lib. 3. ad *Bonifac. contra duas Epiſt. Pelagianorum* dicentem: *Liberum arbitrium captivatum, nonniſi ad peccatum valet: ad juſtitiam verò niſi divinitus liberatum, adjutumque non valet*; ſed qui non valet ad juſtitiam, & nonniſi ad peccatum valet, non eſt liber, niſi ad peccatum: ergo infidelis, qui non eſt divinitùs liberatus, & gratiâ fidei adjutus, nonniſi ad peccatum valet. Cui accedit, quod dicit S. *Doctor* ibi lib. 1. cap. 3. *Datur ergo poteſtas, ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipſum datur, ut credant in eum. Quæ poteſtas niſi detur à Deo, nulla eſſe poteſt ex libero arbitrio: quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit: ſed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ, vel occultus, vel manifeſtus deceptor inſevit, vel ſibi ipſe perſuaſit.*

38. Hoc confirmatur primò ex eodem S. *Doctore* lib. 14. de *Civit. Dei* cap. 28. dicente: *Fecerunt itaque Civitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei, cæleſtem verò amor Dei uſque ad contemptum ſui.* Ex quibus verbis ſequens elicitur argumentum: Quod non procedit ex amore Dei, omnia agente propter Deum, ſed ex amore inordinatò ſui, peccatum eſt; ſed in infidelibus gratiâ ſupernaturali deſtitutis, & in obſtinatis, in quibus regnat amor ſui uſque ad contemptum Dei, opera non procedunt ex amore Dei, omnia agente propter Deum, ſed ex amore inordinatô, quô ſe ipſos diligunt: ergo liberi non ſunt niſi ad malum.

39. Confirmatur ſecundò ex eôdem S. *Doctore* de *Spirit. & litt.* cap. 30. dicente: *Neque enim lex impletur, niſi liberó arbitrió. Sed per legem cognitio peccati: per fidem impetratio gratiæ contra peccatum: per gratiam ſanatio animæ, abolitione peecati: per animæ ſanitatem libertas arbitrii: per liberum arbitrium juſtitiæ dilectio: per juſtitiæ dilectionem legis operatio.* Et paulò poſt: *Vt quid ergo miſeri homines,*

aut de libero arbitrio audent ſuperbire, antequàm liberentur, aut de ſuis viribus, ſi jam liberati ſunt? Nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrii utique libertatem ſonare. UBI AUTEM SPIRITUS DOMINI, IBI LIBERTAS 12. *Cor.* 3. *Si ergo ſervi ſunt peccati, quid ſe jactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt*, 2. *Petri* 2. *Si autem liberati ſunt, quid ſe jactant velut de opere proprio, & gloriantur quaſi non acceperint? Anne ita ſunt liberi, ut nec illum velint habere dominum, qui eis dicit Joan.* 15. SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE, & *Joan.* 8. SI VOS FILIUS LIBERAVERIT, TUNC VERE LIBERI ERITIS? Si ergo juxta D. *Auguſtinum* ſine gratia ſervi ſunt peccati, & ſe jactare de libero arbitrio peccatores non poſſunt, liberi non ſunt, niſi ad malum.

40. Confirmatur tertiò ex lib. de *corrept. & grat.* cap. 13. *Hi ergo, qui non pertinent ad iſtum certiſſimum, & feliciſſimum numerum pro meritis judicabuntur. Aut enim jacent ſub peccatò, quod originaliter de generatione traxerunt, & cùm illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum: aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt; arbitrium, inquam, liberum, ſed non liberatum; liberum juſtitiæ, peccati autem ſervum: quò volvuntur per diverſas noxias cupiditates, alii magis, alii minus: ſed omnes mali, & pro ipſa diverſitate diverſis ſuppliciis judicandi.* Et de *perfect. juſtit.* cap. 4. ad *ratiocinationem* 19. ita S. *Doctor* diſcurrit: *Reſpondetur, per arbitrii libertatem factum, ut eſſet homo cum peccato: ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate fecit neceſſitatem.* Et poſt: *Victa enim vitio, in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.* Rurſus: *Quia verò peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas: & accipiatur tanta libertas, in qua, ſicut neceſſe eſt, permaneat beatè vivendi voluntas, ita ut ſit etiam benè vivendi, & nunquam peccandi voluntaria, felixque neceſſitas.*

41. Hæc & alia D. *Auguſtini* teſtimonia congerunt Adverſarii, ut hanc eſſe *Auguſtini* ſententiam validè confirment. At ex argumenti ſolutione videant illi, quantùm hâc ipsâ in re contumelioſi ipſi ſint Sancto Doctori. Quæ gravior enim illi contumelia aſpergi poteſt, quàm ſi dicatur pro indubitatis fidei dogmatibus tenuiſſe *Auguſtinum* ea placita, quæ Eccleſia Catholica, quæ neſcit errare, ſolemni damnavit judicio? Textus, qui affertur ex lib. 3. ad *Bonifac.* nullatenus ad ejus ſenſum accedit. Non enim intelligendus Sanctus *Doctor*, ut velit, liberum arbitrium captivatum, & abſque auxiliò gratiæ non niſi peccatum operari poſſe; ſed in hoc ſenſu hoc ab *Auguſtino* dicitur, ut à ſolo libero arbitrio peccatum originem ſumpſiſſe contra *Manichæos* doceat: de quibus ibi paulò poſt aſſerit, *eos non accipere, quod veritas dicit, à libero arbitrio exordium ſumpſiſſe peccatum, & ex illò eſſe omne, vel Angeli, vel hominis malum: quia mali naturam ſemper malam, & Deo coæternam nimis à Deo exorbitantes credere maluerunt.* Quam ergo protulit hìc ſententiam, *liberum arbitrium captivatum nonniſi ad pec-*

peccatum valet, aliaſque, quas cap. 8. protulit, cap. 9. contra *Manichæos*, & *Pelagianos* eſſe prolatas teſtatur his verbis: *Item quòd arbitrium ſui in malum liberum dicimus, ad agendum bonum gratiâ Dei eſſe liberandum, quod antea non erat malum, contra Manichæos eſt.* Hæc eſt vera hujus textûs intelligentia, necnon & alterius partis, dum dixit: *liberum arbitrium ad juſtitiam niſi liberatum, adjutumque non valere*, nempe ad opera æternæ vitæ meritoria, cum illis immediatè ſequentia verba ſubnectat: *Ac per hoc, & Sancti omnes ſive ab illo antiquo Abel uſque ad Joannem Baptiſtam, ſive ab ipſis Apoſtolis uſque ad hoc tempus, & deinceps uſque ad terminum ſæculi in Domino laudandi ſunt, non in ſe ipſis, quia & illorum anteriorum vox eſt*: IN DOMINO LAUDABITUR ANIMA MEA, *& iſtorum poſteriorum vox eſt*: GRATIA DEI SUM, QUOD SUM; quibus liquet, S. *Auguſtinum* loqui de operibus vitæ æternæ meritoriis; ad quæ ſanè liberum arbitrium niſi divinitùs liberatum, adjutumque non valet: cùm ſola nos liberet gratia Dei per *Jeſum Chriſtum* Dominum noſtrum.

42. Ex quô non pertinet hùc, quod dicitur ex lib. 1. cap. 3. cùm expreſsè S. *Doctor* agat ibi de operibus pietatis conducentibus ad vitam æternam. Hoc conſtat primò ex his verbis, *ut filii Dei fiant*. Non ergo potens eſt homo ſine gratia *Chriſti* ad opera ſalutaria ad ſalutem pertinentia. Ex quô dicit *Auguſtinus*, *quòd nec liberum in bono erit, quod liberator non liberavit*, in bono nempe juſtitiæ, & ſalutis; *ſed in malo habet liberum arbitrium*: quia licèt infidelis liber ſit ad bona moraliter honeſta, manet tamen liber in malo, quia nondum eſt à malo liberatus. Secundò, quia contra *Pelagianos* ſcribebat S. *Doctor*, tribuentes viribus arbitrii juſtitiam, & meritum. Et ideò dixit lib. 1. ad *Boniſac.* cap. 2. *Dicunt illi, Manichæi, quibus modò non communicamus, id eſt, toti iſti, cum quibus diſſentimus, quia primi hominis peccatô, id eſt, Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jam poteſtatem habeat benè vivendi, ſed omnes in peccatum carnis ſuæ neceſſitate cogantur. Quis autem noſtrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ.* Remanſit ergo libertas, etſi debilis, & infirma propter peccatum, at non deſtructa, ſive totaliter deperdita: quare agere, & exercere poteſt motus proprios moraliter bonos ordinis naturalis. Si enim quælibet potentia ex ſuis viribus habet, quòd in objectum ſuum, ſibique proportionatum tendat, & moveatur; cur libera voluntas id non poterit?

43. Etiam teſtimoniô S. *Doctoris* ex lib. de *Civit. Dei* uti non poſſunt ad firmandam aſſertionem ſuam. Non ibi aſſerit S. *Doctor*, quòd non ſint, niſi amores duo, amor Dei uſque ad contemptum ſui, & amor ſui uſque ad contemptum Dei. Infinitos amores aſſignat ibi, ut legenti pervium erit; at ex omnibus iſtis, duos aſſignat principales, qui ſunt amores cordis finem ultimum ſtatuentes operantis. Cùm enim rationalis voluntas ſine dilectione eſſe non poſſit, aut homo Dei amator eſt,

aut

aut mundi; vel enim infimis delectatur, aut ſummis: & quantò altiori ſtudiò exercetur ad ſumma, tantò majori faſtidiò torpeſcit ad infima: ſicut & quantò acriori cura inardeſcit ad infima, tantò tepore damnabiliori frigeſcit à ſummis; non enim ſimul, & æqualiter amari poſſunt. Quare meritò dixit S. *Auguſtinus* ſerm. 112. *in Append. Radix omnium bonorum eſt charitas; ſicut in charitate nihil unquam mali, ita in cupiditate nihil unquam boni poterit inveniri. Iſtæ duæ radices, Fratres dilectiſſimi, in duobus Agris à duobus plantantur Agricolis: unam in cordibus bonorum plantat Chriſtus, aliam in cordibus malorum plantat Diabolus. Nec de charitatis radice naſcitur aliquid mali, nec de radice cupiditatis aliquid boni. Non enim mentitur veritas, quæ in Evangelio, cùm de iſtis duabus radicibus loqueretur, ita definivit dicens:* ARBOR BONA FRUCTUS BONOS FACIT. *Et iterum,* NON POTEST ARBOR BONA FRUCTUS MALOS FACERE, NEC ARBOR MALA FRUCTUS BONOS FACERE. At amores alios non excluſit, ſed laudabiles dixit. Laudabilis ſanè puritas caſtitatis, lenitas manſuetudinis, circumciſio gulæ, & alii actus ex fine operis honeſti, qui non ad vitioſam cupiditatis radicem ſpectant, dum non referuntur in Deum; quia nempe naturæ, & rectæ rationi ſunt conſentanei. Sed hìc annotandum, quòd ſi S. *Doctor* in aliis locis ſolùm meminit hujus duplicis amoris, eò eſt, quia arguebat contra *Julianum* aſſerentem, opera ordinis naturalis bonô motivô facta eſſe vitæ æternæ meritoria, ex quo ille evacuabat gratiæ neceſſitatem; quod ut penitus debellaret S. *Doctor*, aſſerit, opera illa peccata eſſe, nec ad juſtificationem deſervire: nec dari medium inter amorem Babylonicum, qui damnat animas, & amorem Dei, ut auctoris gratiæ, qui ſalvat: cùm neceſſe ſit hoc admittere principium, omnes eſſe, vel cum *Chriſto*, vel extra *Chriſtum*; eoſque, qui cum illo non ſunt, extra electorum numerum eſſe: rejicitque amorem medium, illumque naturalem, ſed illum ſolùm, quô *Julianus* volebat Infideles juſtificari, & ſalvari.

44. Ad ſecundam confirmationem, quæ deſumitur ex cap. 30. de *Spirit. & litt.* dicimus, quòd ibi agit *Auguſtinus* de impletione legis, quæ fit per fidem, uſque ad animæ ſanitatem, quâ obtinetur libertas, ſeu liberatio à reatu culpæ, ut conſtat ex illis verbis: *Neque enim lex impletur, niſi liberô arbitriô. Sed per legem cognitio peccati: per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam ſanatio animæ à volitione peccati.* Idque probant illa Sacræ Scripturæ teſtimonia, quibus utitur S. *Doctor*: *Sinè me nihil poteſtis facere. Si vos filius liberaverit, verè liberi eſtis.* Agit ergo de operibus per fidem, quibus homines merentur vitam æternam. At de operibus ante fidem naturaliter, ſeu moraliter bonis egerat cap. 28. & 29. quemadmodum ſuprà oſtendimus.

45. Ad tertiam ex cap. 13. de *corrept. & grat.* dicimus, quòd ibi *Auguſtinus* non agit de iis, quæ homines poſſunt ſine gratia, ſed de reprobis diverſimodè à Deo judicandis, ut conſtat ex his verbis: *Hi ergo, qui non pertinent ad iſtum certiſſimum, & feliciſſimum numerum, pro meritis juſtiſſimè judicantur.* Omnes malos dicit; quia omnes non

ju-

juſti in illo judicio inveniuntur. Alii magis, alii minùs mali: omnes tamen pro diverſitate criminum diverſis ſuppliciis eſſe plectendos pronuntiat. At hìc meminiſſe oportet illius, quod ſcripſit S. *Doctor* lib. 4. contra *Jul.* cap. 3. *Sed ad hoc eos in die judicii cogitationes ſuas defendent, ut tolerabilius puniantur; quia naturaliter quæ legis ſunt, utcumque fecerunt, ſcriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut aliis non facerent, quod perpeti nollent*: quibus verbis clariſſimè oſtendit S. *Doctor*, quòd Deus infideles, intuitu bonorum operum, tolerabiliùs puniet: quæ ſi peccata eſſent, propter ipſa Deus non minueret, ſed augeret pœnam.

46. Nec oppoſitum concludi poteſt ex textu de *perfect. juſtit.* ubi S. *Auguſtinus* loquitur de peccato originali, cum quo naſcimur. Quarè non dicit, hominis perſonam libertate privari, ſed quòd, *victa vitio, in quo cecidit voluntate, privata eſt libertate natura*. Quod clariùs colligitur ex aliis verbis, *ſecuta eſt peccantem peccatum habendi neceſſitas*, non dixit faciendi, ad quod perſonalis conſenſus requiritur, ſed *habendi*. Sicut & dixit idem S. *Doctor* lib. de *nat.* & *grat.* cap. 66. *Quòd autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo: atque ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat de Deo dicere, de neceſſitatibus meis educ me*. Quod S. *Auguſtinus* dixit, ut adverſus *Pelagium* probet peccatum originale. At peccatum hoc naturam voluntatis, vel liberam poteſtatem ad bonum, & malum, quam ex ſua intrinſeca & naturali ratione habet rationalis voluntas, non penitus extinxit, ut non poſſit tendere in bonum honeſtum, & rationi conforme: aliàs nulla eſſet in Infidelibus, & peccatoribus libertas, nec etiam ad malum, ac per conſequens nec peccatum eſſet.

47. Tertiò objicies: Qui in quolibet ſuo opere nequit non ſervire dominanti cupiditati, non poteſt eſſe liber, niſi ad peccatum; ſed infidelis, & obſtinatus pro ſtatu obdurationis nequit non ſervire dominanti cupiditati: ergo non eſt liber, niſi ad peccandum. Prob. Min. Actus, qui non eſt ex charitate Dei, ſed potiùs ex amore Creaturæ, eſt actus, quô operans ſervit dominanti cupiditati; ſed opera infidelis, & obſtinati non ſunt ex charitate Dei, ſed potiùs ex amore Creaturæ: ergo in omni opere ſuo ſerviunt dominanti cupiditati. Minor conſtat; quia cùm careant illi charitate, non poſſunt referre opera ſua ad Deum, ut ultimum finem, juxta illud quod præcipit *Apoſtolus* 1. ad *Cor.* 10. dicens: *Sive ergo manducatis.... ſive aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

48. Hoc pluribus confirmari poteſt. Primò, quia omnes actus illorum non poſſunt ex parte operantis non ordinari ad malum finem; ergo liberi non ſunt, niſi ad peccatum. Probatur antecedens: quia quidquid appetit infidelis debet ordinari ad finem infidelitatis, vel formaliter, vel ſaltem virtualiter, dum talis intentio non eſt retractata, ſed perſeverat moraliter; ſed per actum moraliter honeſtum non retractatur intentio infidelitatis: ergo actus omnes ordinantur ad finem infidelitatis.

49. Secundò: quia nedum ut infidelis, ſed etiam ut homo, ſecluſâ fide,

fide, non poteſt operari bonum, ſed quodcumque facit, peccatum eſt? Conſtat ex D. *Auguſtino* lib. 4. contra *Jul.* cap. 3. num. 30. Sic enim Adverſarium alloquitur: *Noli præcipitare ſententiam, diligenter conſidera, quid te reſpondere conveniat. An dicis hominem infidelem arborem bonam? Placet ergo Deo: neque enim bono poteſt non placere, quod bonum eſt. Et ubi erit quod ſcriptum eſt,* SINE FIDE IMPOSSIBILE EST DEO PLACERE? *An reſpondebis, non inquantùm infidelis eſt, ſed in quantùm homo eſt, arbor bona eſt? De quo ergo Dominus ait, Matth. 7. v.* 18. NON POTEST ARBOR MALA BONOS FRUCTUS FACERE? *Quandoquidem quicumque erit, aut homo, aut Angelus erit. Sed ſi homo inquantùm homo eſt, arbor bona eſt, profectò & Angelus in quantùm Angelus, arbor bona eſt. Hæc enim Dei ſunt opera, qui naturarum conditor eſt. Ac per hoc nulla erit arbor mala, de qua dictum eſt, quod non poſſit facere fructus bonos*: ergo etiam ut homo, ſecluſâ fide, infidelis quidquid operatur, peccatum eſt.

50. Ad hoc argumentum reſpondetur conceſſ. Maj. negando Min. & ad ejus probationem diſtinguenda eſt Major. Actus qui non eſt ex charitate contrariè, & poſitivè conc. Maj. purè negativè neg. Maj. & ſub eâdem diſt. Minoris negatur conſequentia. Verum quidem eſt, quòd poſitivè opera infidelis, & peccatoris ad Deum non referuntur, attamen non omnia ſunt contra charitatem Dei, nec contra ipſum Deum: ſunt enim quodammodò, ſeu negativè ex amore Dei, nempe ex ratione operis honeſti, quod de ſe bonum habet finem; & ex intentione operantis, qui eò ipsò, quòd motivum honeſtum ſibi proponit, implicitè propter Deum, ut auctorem naturæ, operatur.

51. Pro cujus ſolutionis intelligentiâ annotandum maximè, quòd ad quodcumque opus moraliter honeſtum non eſt neceſſaria ordinatio charitatis; non enim homo in omni opere, dum deliberatè agit, præcepto charitatis adſtringitur; cùm præceptum referendi in Deum omnia, quæ agit, ſit præceptum poſitivum non obligans ſemper, & pro ſemper; quarè tali actui non debetur ex vi præcepti ordinatio in Deum tanquàm in ultimum finem, ac per conſequens non eſt privatus rectitudine ſibi debitâ. In hoc quippe diſtinguitur bonitas moralis actûs à bonitate ſupernaturali, & meritoria vitæ æternæ; quòd illa conſtituitur per ſolam conformitatem actûs cum debita ratione, & prudentia, abſque ullo ordine ad finem ſupernaturalem: iſta verò procedit ex influxu gratiæ, & charitatis referentis actus noſtros in finem ſupernaturalem: quarè ſine illa poteſt plures actus honeſtos, & moraliter bonos exercere, qui debitâ intentione facti, ex fine proximo, & objecto habent honeſtatem, & bonitatem moralem, licèt meritorii vitæ æternæ non ſint.

52. Rurſus: præceptum ſolùm præcipit, quòd fiant aliqualiter propter Deum, & gloriam ipſius, quod optimè ſalvatur, ſi exerceantur ab homine ex intentione finis honeſti: omnis quippe honeſtas, & rectitudo moralis eſt participatio divinæ bonitatis, ſimulque juxta placitum divinæ voluntatis, & legis æternæ, in cujus adimpletione exhibet Deo gloriam, & honorem. Dum ergo operatur ad finem honeſtum, pro-

propter Deum dicitur operari, & ex natura operis, quia de facto ad illum refertur, & ex intentione operantis, quia adimplet legem Dei naturalem, quâ dilectio proximi injungitur. Falſum ergo eſt, quòd omnis actus ſit vel charitas, vel concupiſcentia carnis; cùm, ut diximus, ad honeſtatem actûs ſufficiat ordinatio actûs in finem honeſtum, non tamen in Deum, ut ultimum finem ſupernaturalem, ſub qua ratione eſt objectum charitatis. Nec oppoſitum probat Textus *Apoſtoli*: eò enim loci vitam Chriſtianam conſiliis ſalutaribus inſtituit, ut caveant fideles, ne in opere ullo lædatur Dei honor. Chriſtianis loquitur, ut omnia propter ejus gloriam faciant, cui ſervire unicè debent. Quòd ſi per contemptum non omnes actiones dirigant in Deum, peccant; at ſecluſo contemptu, & quia ad Deum non ſemper intendunt, minimè.

53. Ad primam confirmationem conceſs. Maj. negatur Min. ad cujus probationem negatur Maj. Ita ſanè eſt, quòd infidelis habitualiter quieſcit in Creatura; nam à peccato originali, & infidelitatis per actum moraliter honeſtum non recedit. At falſum penitus eſt, quòd dum actu operatur, in omni opere influat infidelitas, vel quòd operetur ex affectu ad Creaturam, & ob finem infidelitatis, v. g. dum ex motivo pietatis debitam parentibus exhibet reverentiam, aut ex motivo juſtitiæ, dat unicuique quod ſuum eſt, aut ex motivo miſericordiæ ſubvenit pauperibus. Hæc eſt conſtans utriuſque Sancti Doctoris ſententia. Id docet *Auguſtinus* loco citato ex lib. 4. contra *Jul.* cap. 3. num. 30. dicens: *Quin infidelis ita infideliter ſapiat? Non itaque inquantùm homo eſt, quod eſt opus Dei, ſed in quantùm malæ voluntatis eſt quiſque arbor mala eſt, & bonos fructus facere non poteſt.* Et ibidem num. 31. *Porrò ſi vitium eſt malè miſereri, proculdubio vitium eſt infideliter miſereri. Quod ſi & ipſa per ſe ipſam naturali compaſſione opus eſt bonum* &c. Et num. 32. ſic concludit: *Ex quo colligitur, etiam bona opera, quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius, qui benè utitur malis.* Quibus verbis apertiſſimè diſtinguit S. *Doctor* & ea, quæ bona moraliter ſunt, & quæ perversò fiunt fine, ſive ſuperbiæ, ſive idololatriæ motivo, ut legitur de fœminis illis, quæ ad colendam Deam Veſtalem à venereis abſtinebant. Si intentioni fidei poſitivè contraria fiunt, peccata ſunt; ſi abſque contrarietate ad fidem, rectè, & honeſtè exercentur.

54. Id etiam præclarè, & expeditè docet D. *Thomas* explicans, qualiter perverſus infidelitatis finis non ſemper influat in omnes infidelium actus. Audiendus S. Doctor 2. 2. art. 4. q. 10. dicens: *Undè manifeſtum eſt; quòd infideles non poſſunt operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ aliqualiter operari poſſunt. Undè non oportet, quòd in omni opere ſuo peccent: ſed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant.* Quod ſequenti illuſtrat exemplo: *Sicut enim habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando, ita etiam infidelis poteſt aliquem actum bonum producere in eo, quòd non*

refert ad finem infidelitatis. Hoc iterum tradit S. Doctor ibi quæſt.23. art. 7. his verbis: *Ad primum ergo dicendum, quòd actus alicujus charitate carentis poteſt eſſe duplex: unus quidem ſecundùm hoc, quòd charitate caret, utpote cùm facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate, & talis actus ſemper eſt malus, ſicut Auguſtinus dicit in 4. contra Julianum cap. 3. quòd actus infidelis, in quantùm eſt infidelis, ſemper eſt peccatum, etiamſi nudum operiat, vel quidquid aliud hujuſmodi faciat, ordinans ad finem ſuæ infidelitatis. Alius autem poteſt eſſe actus charitate carentis, non ſecundùm id, quòd charitate caret, ſed ſecundùm quòd habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel ſpem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum tollitur, ut ſupra dictum eſt; & ſecundùm hoc ſine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfectè bonus; quia deeſt debita ordinatio ad finem ultimum*. Conſtans, ſemperque conformis huic doctrinæ reperitur D. *Thomas*; cùm enim in 2. ſenten. diſt. 41. art. 2. ſequens ſibi propoſuiſſet argumentum: *Infidelitas fidei opponitur; ſed fideles per fidem diriguntur in finem aliquem: ergo infideles per infidelitatem in oppoſitum finem diriguntur: ſed omnes actus fidelium ſunt boni, per hoc quòd ordinati ſunt in finem, in quem dirigit fides: ergo eâdem ratione omnis actus infidelium eſt malus*; ſic reſpondet: *Ad quintum dicendum, quòd infideles non ſemper ex infidelitatis errore finem ſibi præſtituunt, ſed aliquando ex vero, & recto judicio rationis; & ideò non oportet, quòd in quolibet actu peccent: ſed ſolùm tunc, quando ex errore ſibi finem præſtituunt*.

55. Ex quibus omnibus planiſſimum eſt, juxta mirabilem utriuſque S. *Doctoris* doctrinam, finem infidelitatis non influere in omnes infidelium actus; nec omnia eorum opera per infidelitatem in cordibus eorum regnantem corrumpi. Quid namque intereſt, quòd intentio infidelitatis adhuc in illis moraliter perſeveret, nec retractetur per hujuſcemodi actus moraliter honeſtos? Perſeverat quidem, at in habitu, abſque omni influxu etiam virtuali in opus. Sicut dixit D. *Thomas* de fide habitualiter perſeverante in peccatore fideli; cujus etiam peccatum habitualiter perſeverat, donec retractetur per contritionem; & tamen nec fides actu moraliter influit, ſicut nec peccatum influit in omne opus; aliàs omne peccatoris fidelis opus peccatum eſſet; Fideſque moraliter influeret in peccatum. Ità & dicitur, quòd non ſemper infidelis opus ſuum in finem infidelitatis refert: cujus ratio eſt evidens, quia infidelitas ſubjicitur libero infidelis arbitrio; aliàs nec retractari poſſet, nec ille ab illa exire; ac per conſequens operari poteſt, quin operetur ex tali infidelitatis motivo.

56. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur diſtinguendo antecedens: ſine fide nequit operari bonum meritorium vitæ æternæ conc. antecedens: honeſtum moraliter nego antecedens. Nec oppoſitum probat textus D. *Auguſtini*; loquitur enim ibi in ſenſu oppoſito ſententiæ *Juliani*. Propugnabat iſte, actionem hominis infidelis honeſtam, tametſi ex motivo malam, non eſſe peccatum, eam verò, quæ ex objecto,

cto, & ſine bona eſſet, ad juſtificationem, & ſalutem ſufficere. Ex quo ſine fide ſalutem eſſe poſſibilem affirmabat, gratiæ evacuans neceſſitatem. Negat hoc totum conſtanter *Auguſtinus*; docens & opus illud eſſe peccatum, quia ex mala voluntate procedit; & alterum non ſufficere ad juſtificationem, cùm ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, nec viribus innatis poſſit quis promereri ſalutem. Quod probant ſequentia verba, quæ ſubjungit poſt verba in objectione allata S. *Doctor* num.30. *Quis infidelis ita infideliter ſapiat? Non itaque in quantùm homo eſt, quod eſt opus Dei; ſed in quantùm malæ voluntatis eſt, quiſque arbor mala eſt, & bonos fructus facere non poteſt.* Quibus verbis conſtat *Auguſtinum* loqui de actionibus ex malo motivo factis, & quatenùs à mala ſunt, & profluunt voluntate.

57. Objicies quartò: Si infideles poſſent elicere aliquod opus moraliter honeſtum, darentur in eis veræ virtutes morales; ſed hoc expreſsè eſt contra D. *Auguſtinum* ſæpiùs laudato cap.3. ex lib.4. contra *Jul.* ergo. Minor conſtat ex his, quæ dicit S. *Doctor* ibi num. 17. *Sed abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem, ut ſit juſtus verè, niſi ex fide vivat.* Et num. 16. *Julianum* ſic alloquitur: *Quid remanſit, quod gratiæ referremus in tam evidentibus, quibus dixiſti, eos abundare virtutibus? Quantò ſatius, ſi te impios ita laudare delectat, ut non audiens dicentem Scripturam Proverb.* 24. *Qui dicit, impium juſtum eſſe, maledictus erit in Populo, & odibilis in gentibus; etiam virtutibus veris eos prædices abundare .... Quantò ergo tolerabilius illas, quas dicis in impiis eſſe virtutes, divino muneri potius, quàm eorum tribueres voluntati.* Et num. 17. *Quomodò in eis eſt vera juſtitia, in quibus non eſt vera ſapientia? Quam ſi eis tribuerimus, nihil erit cauſæ, cur non eos ad illud Regnum pervenire dicamus, de quo ſcriptum eſt, concupiſcentia ſapientiæ deducit ad Regnum. At per hoc Chriſtus gratis mortuus eſt.* Et num.21. id ipſum conteſtatur S. *Doctor* dicens: *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſcumque commodis, & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt: quæ autem nulli rei ſervire volunt, nec ipſæ veræ ſunt. Veræ quippe virtutes Deo ſerviunt in hominibus, à quo donantur hominibus*: Ergo juxta S. Doctorem nulla eſt proclamanda virtus, præter eam, quæ Deo ſoli ſervit, & fide, & charitate innititur, eſtque vera cauſa ſalutis.

58. Longiùs à propoſito noſtro nos traheret argumenti difficultas, ſi ea pro dignitate exponenda eſſet: ut clariſſimis, & ab omni ambiguitate remotiſſimis S. *Auguſtini* teſtimoniis rejiceretur *Janſenius*, qui *Bajum* ſecutus, lib. 4. de *ſtatu naturæ lapſæ* cap. 1. aſſerit, ſatis, ut judicat, evidenter, *nullum ab hominibus, qui carent fide, poſſe fieri opus bonum, ſed ſola mendacia, atque peccata.* Quod iterum firmat lib. 1. *de Gratia Chriſti Salvatoris* cap. 5. At quod magis eſt, errorem jam à Sede Apoſtolica perculſum anathemate in *Bajo*, conſentaneum ſenſui Chriſtianorum, Scripturis, Fidei, Auguſtino, & Concilio Arauſicano pronuntiat lib.3. *de ſtatu naturæ lapſæ* cap.17. dicens: *Nugæ, delirium,*

inſania, impietas contraria Chriſtianorum ſenſui, Scripturis, & Fidei: quòd infidelium ſit ulla virtus, vel opera ſine peccato, juxta Auguſtinum, & Concilium Arauſicanum. En ille veritatem cum errore, veram Eccleſiæ, *Concilii Arauſicani*, & *Auguſtini* doctrinam cum perverſo ſuo mendacio confundens. At procul à nobis ſit, qui ita procul eſt à vera Eccleſiæ doctrina; procul & ſit ejus vana præſumptio, quæ ita audacter inſurgit adverſus veritatem dogmatis, quod à SS. Doctoribus *Auguſtino*, & *Thoma*, veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt; quare ad errorem iſtum rejiciendum, omne ſtudium, curamque convertimus, quantum tamen hujus loci brevitas patitur. Reſpondetur ergo diſtinguendo Majorem: darentur in eis veræ virtutes morales quoad eſſentiam virtutis conc. Maj. quæ perfectum haberent virtutis ſtatum neg. maj. & diſtincta eodem modo min. nego conſeq. Duplex diſtinguitur virtus moralis, una acquiſita ordinis naturalis, quæ regulat hominis vitam ad finem honeſtum à Deo intentum; altera infuſa, quæ dirigit ad finem ſupernaturalem. Illa habet eſſentiam virtutis, non tamen perfecta eſt; cùm non faciat peccatorem, vel infidelem perfectum ſimpliciter, nec abſolutè bonum ſimpliciter. Solutio eſt D. *Thomæ* 1. 2. q. 65. art. 2. dicentis: *Virtutes morales, prout ſunt operativæ boni in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis, poſſunt per opera humana acquiri: & ſic acquiſitæ ſine charitate eſſe poſſunt, ſicut fuerunt in multis Gentilibus*. Multi namque Philoſophi Gentiles charitatem non habentes, virtutes agnoverunt, de earum natura ſcripſerunt plurima, eaſque nonnulli adepti ſunt. Deficiebat tamen eis perfectio virtutis, ut ibi inquit D. *Thomas*, dicens: *Secundùm autem quòd ſunt operativæ boni in ordine ad ultimum finem ſupernaturalem, ſic perfectè, & verè habent rationem virtutis, & non poſſunt humanis actibus acquiri, ſed infunduntur à Deo; & hujuſmodi virtutes morales ſine charitate eſſe non poſſunt*.

59. Rationem reddit ibi D. *Thomas*; quia cùm virtutes morales dirigi debeant à prudentia ſui ordinis, virtutes morales infuſæ ſupernaturales non poſſunt eſſe ſine prudentia ſupernaturali, quæ ſupernaturalis prudentia exiſtere nequit ſine charitate: *Dictum eſt enim ſupra*, inquit D. *Thomas*; *quòd aliæ virtutes morales non poſſunt eſſe ſine prudentia; prudentia autem non poteſt eſſe ſine virtutibus moralibus, in quantùm virtutes morales faciunt benè ſe habere ad quoſdam fines, ex quibus procedit ratio prudentiæ. Ad rectam autem rationem prudentiæ multò magis requiritur, quòd homo benè ſe habeat circa ultimum finem, quod fit per charitatem, quàm circa alios fines, quod fit per virtutes morales, ſicut ratio recta in ſpeculativis maximè indiget primò principiò indemonſtrabili, quod eſt, contradictoria non ſimul eſſe vera. Unde manifeſtum fit, quòd nec prudentia infuſa poteſt eſſe ſine charitate, nec aliæ virtutes morales conſequenter, quæ ſine prudentia eſſe non poſſunt*. Quibus clariſſimè oſtendit, quòd ſicut non poteſt eſſe vera, & perfecta ſcientia in eo, qui errat, vel ignorat prima principia indemonſtrabilia; ita non datur virtus perfecta, ubi deeſt ex parte

ope-

operantis debita ordinatio ad finem ultimum ſupernaturalem. Quare concludit S. Doctor: *Patet igitur ex dictis, quòd ſolæ virtutes infuſæ ſunt perfectæ, & ſimpliciter dicendæ virtutes; quia benè ordinant hominem ad finem ultimum ſimpliciter. Aliæ verò virtutes, ſcilicet acquiſitæ, ſunt ſecundùm quid virtutes, non autem ſimpliciter; ordinant enim hominem benè reſpectu finis ultimi in aliquo genere, non autem reſpectu finis ultimi ſimpliciter: Unde ad Rom.* 14. *ſuper illud:* OMNE QUOD NON EST EX FIDE, PECCATUM EST, *dicit Gloſſa Auguſtini: ubi deeſt agnitio veritatis, falſa eſt virtus, etiam in bonis moribus.*

60. Hoc maximum diſcrimen inter virtutes morales infuſas, & acquiſitas, quòd illæ perficiunt in ordine ad ultimum finem ſimpliciter; acquiſitæ verò in ordine ad ultimum finem in genere, ſcilicet boni humani, explicat profundè D. *Thomas* q. 14. de verit. art. 3. ex diverſo judicio, quod fit de virtutibus moralibus; ſi enim de moralibus acquiſitis ſit ſermo; & fiat ſecundùm humanas cauſas judicium, dicuntur, & ſunt inter maxima bona hominis, & ſimpliciter virtutes, & hoc ſpectat ad moralem. Si autem de eiſdem judicandum ſit ſecundùm ſupernaturales, & divinas cauſas, ſic ſunt, & dicuntur virtutes ſecundùm quid, & hoc ſpectat ad Theologum. *Aliud eſt bonum ultimum*, inquit S. Doctor, *quod conſiderat Philoſophus, & Theologus. Philoſophus enim conſiderat quaſi bonum ultimum, quod eſt humanis viribus proportionatum, & conſiſtit in actu ipſius hominis. Undè felicitatem dicit eſſe operationem quamdam. Et ideò ſecundùm Philoſophum actus bonus, cujus principium virtus dicitur abſolutè, in quantùm eſt conveniens potentiæ, ut perficiens ipſam. Undè quemcumque habitum invenit Philoſophus talem actum elicientem, dicit, eum eſſe virtutem, ſive ſit in parte intellectiva, ut ſcientia intellectiva, & hujuſmodi virtutes intellectuales, quarum actus eſt bonum ipſius potentiæ, ſcilicet conſiderare verum, ſive in parte affectiva, ut temperantia, & fortitudo, & aliæ virtutes morales. Sed Theologus conſiderat quaſi bonum ultimum id, quod eſt naturæ facultatem excedens, ſcilicet vitam æternam, ut prædictum eſt. Undè bonum in actibus humanis non conſiderat abſolutè; quia ibi non ponit finem, ſed in ordine ad id bonum, quod ponit finem; aſſerens, illum actum tantummodò eſſe bonum completè, qui de proximò ad bonum finale ordinatur, id eſt, qui eſt meritorius vitæ æternæ, & omnem talem actum dicit actum virtutis, & quicumque habitus elicit talem actum ab ipſo virtus appellatur.* Quod idem docet art. 5. in fine corporis. Et art. 6. ad 5. his verbis: *Dicendum, quòd Philoſophi non conſiderant virtutes ſecundùm quòd ſunt principia actûs meritorii: & ideo ſecundùm eos habitus non formati charitate, poſſunt dici virtutes, non autem ſecundùm Theologum.* Ex quibus conſtat, quòd ſi apud Philoſophos virtutes morales ſine charitate ſunt verè tales, minimè tamen à Theologis prædicantur ſimpliciter virtutes, quia ſunt imperfectæ quantùm ad finem; cùm in ordine ad vitam æternam nihil conducant, dum non ſubduntur imperio fidei, & charitatis.

61. Luculenter etiam hanc eamdem doctrinam tradit D. *Thomas*

2. 2.

2. 2. quæſt. 23. art. 7. poſtquam enim docuit; quòd virtus bona eſt ex fine, qui duplex eſt, proximus videlicet, & ultimus: & quòd in illum tendit virtus ex ſe, in iſtum verò ordinatur per charitatem, ſic proſequitur: *Sic ergo patet, quòd virtus vera ſimpliciter eſt illa, quæ ordinat ad principale bonum hominis: ſicut etiam Philoſophus* (in 7. Phyſic.) *dicit, quòd virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. Et ſic nulla vera virtus* (ſimpliciter talis) *poteſt eſſe ſine charitate. Sed ſi accipiatur virtus, ſecundùm quòd eſt in ordine ad aliquem finem particularem; ſic poteſt aliqua virtus dici ſine charitate, in quantùm ordinatur ad aliquod particulare bonum. Sed ſi illud particulare bonum non ſit verum bonum, ſed apparens, virtus etiam, quæ eſt in ordine* (non tamen de ſe) *ad hoc bonum, non erit vera virtus, ſed falſa ſimilitudo virtutis: ſicut non eſt vera virtus Avarorum prudentia, quâ excogitant diverſa genera lucrorum: & Avarorum juſtitia, quâ gravium damnorum metu contemnunt aliena.... Ut Auguſtinus dicit* (in 4. lib. contra *Julianum* cap. 33.) *Si verò illud bonum particulare ſit verum bonum, puta, conſervatio Civitatis, vel aliquid hujuſmodi, erit quidem vera virtus, ſed imperfecta, niſi referatur ad finale, & perfectum bonum.* Quibus ſatis liquet, quòd juxta D. *Thomam*, virtus, quæ ex carentia charitatis non ordinatur in ultimum finem, licèt ſit bona bonitate perfectâ, nempè ratione finis, & boni ſibi proprii, & intrinſeci, ad quod de ſe ordinatur; quia tamen non ordinatur in ultimum finem ſupernaturalem, qui ſine fide notus non eſt, non dicitur virtus in ſtatu perfecto: cùm omnis perfectio moralis ſimpliciter talis à Fide, & charitate ſit. Hoc eximiè explicat D. *Thomas* ibi in ſolut. ad 2. dicens: *Dicendum, quòd cùm finis ſe habeat in agibilibus, ſicut principium in ſpeculabilibus: ſicut non poteſt eſſe ſimpliciter vera ſcientia, ſi deſit recta æſtimatio de primo, & indemonſtrabili principio: ita non poteſt eſſe ſimpliciter vera juſtitia, aut vera caſtitas, ſi deſit ordinatio debita ad finem, quæ eſt per charitatem, quantumcumque aliquis ſe rectè circa alia habeat.* Enimverò, ſicut qui ſcit proximas, & particulares veritates ſcientiæ ſubalternatæ, & ignorat prima principia, carens ſcientiâ ſubalternante, veram habet ſcientiam, tametſi non ſimpliciter talem, ſed in ſtatu imperfecto; ita qui reſpicit ſolum finem proximum, & bonum particulare rationi conſonum, veram habet virtutem, quamvis non ſimpliciter talem, ſed in ſtatu imperfecto.

62. In eadem ſententia eſt D. *Auguſtinus*, nomine veræ virtutis ſimpliciter talis intelligens virtutem perfectam, quæ hominem promoveat ad vitam æternam. Virtutes in Ethnicis agnoſcebat, ſed eas illis utiles eſſe negabat, quia non erant in finem charitatis relatæ. Conſtat ex Epiſtola 130. ubi *Polemonis* infidelis laudat continentiam, qui à dominatu luxuriæ liberatus, ad mores alios repentè converſus eſt: negat tamen, quòd ille eſſet veraciter, & ſalubriter continens: his verbis: *Polemo ergo, ſi ex luxurioſo continens factus, ita ſciret, cujus eſſet hoc donum, & eum abjectis ſuperſtitionibus gentium piè coleret, non ſ lùm continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter Religioſus exiſteret*,

ret, quod ei non tantùm ad præſentis vitæ honeſtatem, verùm & ad futuræ immortalitatem valeret. Laudat S. Doctor *Polemonis* continentiam; at quæ ad hujus vitæ honeſtatem valeat, non tamen, quæ ſit vera, & ſimpliciter virtus, quippè ad ſalutem minimè erat conducens. Id etiam clarè conſtat ex verbis S. Doctoris loco in argumento citato: *Non enim abſurdè*, inquit num. 19., *virtus definita eſt ab eis, qui dixerunt, virtus eſt animi habitus, naturæ modo, atque rationi conſentaneus. Verum dixerunt: ſed quid ſit conſentaneum liberandæ, ac beatificandæ naturæ mortalium neſcierunt*. Et paucis verbis interjectis concludit. *Si ergo ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Chriſto eſt, vera promittit, nihil proſunt homini virtutes, nullô modô veræ poſſunt eſſe virtutes*.

63. Hâc ratione S. *Auguſtinus* debellans errorem *Juliani* propugnantis, ſine gratia Dei per *Chriſtum*, virtute ſolùm naturali, infidelem, & impium juſtificari poſſe, dixit, virtutem abſque fide, & gratia *Jeſu Chriſti* nullam eſſe; nam etſi dentur actiones plurimæ ex objecto honeſtæ, quæ hominis vitam ad honeſtè vivendum dirigunt, tamen contra *Julianum* propugnat, eam virtutem non eſſe veram, quin potiùs eſſe vitioſam; cùm *Julianus* aſſereret, actionem hominis infidelis honeſtam ex objecto, tametſi ex motivo malam, non eſſe peccatum. Quarè eum redarguit S. Doctor num. 19. *Ergo virtutes iſtæ tali fine turpes, atque deformes, & ideò nullô modô germanæ, veræque virtutes, tibi tamen ita veræ videntur, & pulchræ, ut nec nominis ſui poſſint, nec generis ſuſtinere diſpendium, ſed ſolius, quod appetiverunt, præmii exilitate fruſtrentur, ideſt terrenorum commodorum fructu, non cœleſtium præmiorum*: quibus verbis rejicit S. Doctor ut abſurdum, quòd veræ, ac germanæ virtutes maneant, etiamſi operans pravum per illas finem intendat; quia neque illæ, quæ videntur virtutes, tales ſunt, ſed eô fine deformes, potiùs ſunt vitia; neque actiones, quæ videntur bonæ, ſed eô fine fiunt, tales ſunt, ſed potiùs peccata. Ex quo proſequitur S. Doctor num. 21. *Noveris itaque, non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem, quod faciendum eſt: finis verò, propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit* (nimirùm privativè, hoc eſt, ſi propter finem perverſum faciat) *propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non oſtendens, fines ab officiis ſeparaſti, & virtutes veras officia ſine finibus appellandas eſſe dixiſti. Ex quo te tanta abſurditas ſequitur, ut veram cogaris appellare juſtitiam, etiam cujus dominam reperis avaritiam. Siquidem manus abſtinere ab alieno, ſi officium cogites, poteſt videri eſſe juſtitiæ; ſed cùm quæritur, quarè fiat, & reſpondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat; quomodò jam hoc factum veræ poterit eſſe juſtitiæ, cùm ſerviat avaritiæ?* Et infrà: *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, & ſi officio videatur bonum, ipsô non rectô fine peccatum eſt*.

64. Hæc ergo opera, quæ malâ intentione fiunt, ex motivo vanæ glo-

gloriæ apud homines, oſtendit S. Doctor num. 22. eſſe penitùs ſterilia, his verbis: *Poſſunt ergo aliqua bona fieri, non benè facientibus, à quibus fiunt. Bonum eſt enim, ut ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti: ſed ille, qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis, quàm Dei facit, non benè bonum facit, quia non bonus facit, quod non bonâ voluntate facit. Abſit enim, ut ſit, vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in ſe ipſa, non in Domino gloriatur. Ac per hoc nec ejus fructus iſte dicendus eſt; arbor enim mala bonos fructus non facit: ſed potius bonum opus eſt illius, qui etiam per malos benè facit. Quapropter dici non poteſt, quantum iſta te fallat opinio, quâ dixiſti, omnes virtutes affectus eſſe, per quos aut fructuosè, aut ſteriliter boni ſumus. Fieri enim non poteſt, ut ſteriliter boni ſimus: ſed boni non ſumus, quidquid ſteriliter ſumus.* Liquet ergo ex præcitatis verbis, *Auguſtinum* non ideò malum nuncupare opus, quia utcumque non ad Deum poſitivè ordinatur, ſed quia ordinatur poſitivè ad finem inhoneſtum, nempè ad ſui gloriam, ex intentione operantis; ex quo fit inordinatio illa poſitiva, quâ actus ille peccaminoſus eſt. Quarè ſi S. Doctor locis citatis in argumento dixit, nullam eſſe virtutem veram in Infidelibus, id contra *Julianum* pronuntiavit, loquens de infidelibus, & impiis ex malo fine operantibus; quoniam nulla virtus vera, & ſimpliciter eſt ducens ad ſalutem æternam, niſi quâ quis agit propter Deum. Hæc ſi conſideraſſent ſectatores *Janſenii*, & *Queſnelli*, non ità malè acciperent, quod aſſerit hìc *Auguſtinus*, contra quem apertiſſimè contendunt. At contendant, & argumententur illi, quantùm velint; appellent ad Sanctos *Auguſtinum*, & *Thomam*, ut ſalvent *Janſenium*, & *Queſnellum*; ſed incaſsùm profectò. Sancti Doctores nec ſunt, nec uſquam erunt cum eis.

Finis Tomi Secundi.

IN-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Quæ in hoc ſecundo Volumine continentur.

A

Aron medium ſe ſtatuit inter vivos, & mortuos. Pag. 286.
Actus ſupernaturales præcedentes fidem non habent rationem meriti. 182.
Adjutorium Dei tam excitans, quàm adjuvans voluntati liberæ neceſſarium ex Sacris Paginis. 4.
Adultis non ſufficit ad peccandum illa libertas, quam in voluntate Adami habuerunt. 309.
Affectus ſubiti ſupernaturales non concurrunt phyſicè effectivè ad conſenſum liberum. 53.
Card. *Aguirre, infidelitatem negativam admittit in iis, qui à principio diſcretionis, aut paulò poſt contra fidem peccaverunt*. 172.
Ejuſdem ſententia circa collationem auxiliorum infidelibus negativis. 210.
Alexander VII. confirmavit Conſtitutionem Innocentii X., quâ damnatæ fuerunt quinque Janſenii Propoſitiones. 276.
M. Aliaga Ord. Præd. affirmat omnem gratiam ſanantem infirmitatem virium eſſe gratiam per Chriſtum. 267.
Amentia eſt pœna peccati originalis. 309.
Amores varii à D. Auguſtino deſcripti. 331.
Angeli, & primus homo fuerunt creati in gratia. 181.
Anima diſtinguitur à ſuis potentiis. 37.
Antiochus Rex, illuminatus fuit à Deo, ut à peccatis poſſet reſurgere. 283.
Antiochus, & Eſau non fuerunt exauditi à Deo, quia non orabant rectá intentione. 289.
P. Antonini Maſſouliè, Ord. Præd. de Janſenii ſyſtemate circa obduratos, & excæcatos ſententia. 276.
Apoſtolus qualem cauſalitatem tribuat gratiæ actuali. 59.
Pro omnibus orationem fieri vult. 285.
Auctores Societatis affirmant gratiam prævenientem conſiſtere in motibus intellectus, & voluntatis. 6. & ſeqq.
Docent gratiam excitantem non eſſe diſtinctam à gratia adjuvante. 83.
Gratiam ſufficientem ita conſtituunt, ut nihil novi à Deo expectandum ſit, ut integra converſio perficiatur. 224.
Auditus in homine duplex unus interior, alius exterior. 219.
S. Auguſtinus Divinæ gratiæ inſignis defenſor. 1.
Deſcribit gratiam actualem eſſe adjutorium illud, quo fit in nobis non ſolùm poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus. 3.
Docet gratiam eſſe duplicem; excitantem ſcilicet, & efficaciter adjuvantem. ibidem.

Explicat gratiæ prævenientis, & cooperantis effectus. 9.
Exigebat à Pelagio gratiam ſimpliciter neceſſariam ad benè agendum. 13.
Conſtanter affirmat tam finem boni operis, quàm initium eſſe ex Deo. 32.
Naturam gratiæ efficaciter adjuvantis explicat; & illam diſtinguit à gratia excitante. 89. & ſeq.
Gratiam ſufficientem agnoſcit. 112.
In Deo cognoſcit voluntatem ſalvandi omnes homines. 131.
Quomodò explicet illud Apoſtoli: Qui vult omnes homines ſalvos fieri. 133.
Docet, quod etſi infideles gratia ſint deſtituti, eorum tamen quædam facta, quæ ſecundùm juſtitiæ rationem fiunt, laudanda ſunt. 328.
Quomodò exponat liberum arbitrium captivatum nonniſi ad peccandum valere. ibid.
Auxilium fluidum ſupernaturale, elevans potentias ad ſupernaturaliter operandum, etſi parum duret, non tamen dicit imperfectionem. 45.
Auxilia remotè ſufficientia ad ſalutem, habent quamdam latitudinem. 246.
Auxilium ſufficiens, quo homo poſſit ſalutariter operari, ſolùm pro loco, & tempore à Deo diſpenſari contendunt graviſſimi Auctores. 296.
Non pro omni inſtanti diſpenſari à Deo affirmat Sanctus Auguſtinus. ibidem.
Axioma illud: Facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam, *explicatur*. 195.
Vera, & legitima illius explicatio. 200.

B

Balthaſar Rex miſericordiam Dei expertus eſt. 283.
Baptiſmus eſt medium neceſſarium ad ſalutem parvulorum. 261.
Per Baptiſmum, nedum remittitur culpa; ſed etiam omnis reatus pœnæ. 303.
Beatitudo æterna eſt ultimus finis rationalis naturæ ad ordinem ſupernaturalem elevatæ. 169.
Bellarminus Card. gratiam Dei efficacem phyſicè voluntatem moventem agnoſcit. 73.
Voluntatem antecedentem, & conſequentem diſtinguit. 146.
Docet hominem habere potentiam remotam ad opera ſalutis ante omnem gratiam. 177.
Aſſerit non omnibus momentis adeſſe peccatoribus auxilium neceſſarium ad converſionem. 297.
Obcœcationem ſimpliciter talem explicat. 305.
Agnoſcit in excœcatis, & obduratis quamdam moralem peccandi neceſſitatem. 306.
P. Boimius S. J. (Michaël) aſſerit apud Sinas fuiſſe repertam Crucem vetuſtiſſimam ferream ingentis ponderis. 249.
M. Bolivar Ordinis Prædicatorum aſſerit ultra auxilium elevans voluntatem ad piam affectionem aliud requiri applicans illam ad actum. 40.
Bonitas moralis actus quomodò diſtinguatur à bonitate ſupernaturali, & meritoriâ vitæ æternæ. 344.

C

CAjetani Card. Ord. Prædicat. expoſitio ad illa verba: Non poterant credere. 177.
Profundè explicat, quomodò poſſe habere fidem ſit naturæ hominis, licet præceptum fidei ſit ſuprà illius naturam. 179.
Cain pœnitentiam egiſſe quidam arbitrantur. 282.
Calor in igne, eſt virtus verè ſufficiens ad calefaciendum. 116.
Calvinus Deum excœcationis, & obdurationis unicum auctorem facit. 299.
Carentia viſionis beatificæ nullam afflictionem cauſat in pueris decedentibus ſine Baptiſmo. 303.
Catechiſmus Concilii Tridentini efficacis, & phyſicæ motionis neceſſitatem inculcat. 71.
Cauſa diſpoſitiva dicitur etiam efficiens non propriè, ſed ſecundùm quid talis. 81.
Cauſalitas utriuſque auxilii ſufficientis, & efficacis phyſica eſt. 59.
Chriſtus habuit lumen propheticum, & virtutem patrandi miracula. 43.
Cùm venerit judicare ſæculum, infideles arguet de eorum infidelitate. ibidem.
Eſt lux Mundi. 207.
Eſt Legifer ſupremus, & univerſalis. 235.
Eſt Caput totius Eccleſiæ. 264.
Eſt Caput omnium hominum, etiam Infidelium. 265.
Rogavit Patrem pro Crucifixoribus. 295.
Citharædus quidam arte mirabili in audientibus tales movebat affectus, quales volebat. 73.
Cœcitas contracta in pœnam peccati originalis, propriè non debet dici excœcatio. 310.
Cogitationes ſanctæ ad gratiam auxiliantem pertinent. 14.
Cogitationes ſanctæ, & pii affectus voluntatis quomodò moveant ad conſenſum ſalutarem. 80.
Cognitio Dei auctoris naturæ, non continet ſub ſe cognitionem Dei, ut auctoris gratiæ. 240.
Concilium Arauſicanum II. ait, quod multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo. 16.
Cognoſcit gratiæ actualis phyſicam efficaciam in opus ſalutare. 60.
Statuit liberum arbitrium per peccatum vulneratum, non poſſe diligere Deum auctorem naturæ ſine gratia. 190.
Gratiam ſufficientem prædicat. 111.
Pronuntiat neminem poſſe advocare gratiam, niſi priùs ab ipſa adjuvetur. 199.
Concilium Cariſiacum quatuor Capitula adverſus Votteſcalchi doctrinam definivit. 260.
Concilium Milevitanum, explicat pios voluntatis motus annumerari inter auxilia gratiæ. 15.
Cognoſcit gratiæ actualis phyſicam efficaciam. 60.
Concilium Tridentinum frequentiſſimè utramque gratiam excitantem, & adjuvantem uſurpat. 4.
Definivit Fidem non eſſe primam gratiam. 183.
Concurſu ſimultaneo non agit Deus miro modo in cordibus noſtris, ut credamus. 233.
Non eſt prior, nec poſterior natura concurſu voluntatis. ibidem.
Non operatur in cauſam, ſed in effectum. ibidem.

Non eſt ſufficiens, ut verificentur iſta verba : Non eſt volentis, neque currentis &c. 234.

Cor durum, quid ſit ex D. Bernardo. 270.

Creatura omnis nos ad Deum amandum invitat. 157.

Crux Chriſti primis Eccleſiæ ſæculis, iis etiam Gentibus annuntiata eſt, de quibus aliquando dubitatum fuit, expediretne eiſdem mortem Chriſti annuntiare. 249.

Cyrillus Alexandrinus, quomodò explicat gratiam excitantem. 26.

Cyrillus Hieroſolymitanus, apertè fatetur gratiam denegari, vel auferri ab iis, qui oblatam voluntariè reſpuunt. 216.

D

DEus concurſu prædeterminante cauſat ſanctas cogitationes, pium conſilium, & omnes motus bonæ voluntatis. 17.

Prius nobis loquitur, quam quod audiamus Deum loquentem. 25.

Diverſo modo movet voluntatem creatam, quam Angelus. 64.

Cùm ipſe ſolus ſit Creator humanarum voluntatum, poteſt illas inclinare, vertere, & immutare quandocumque voluerit. 66.

Adhibet motiones morales, ut ſuaviter hominem moveat. 71.

In ipſo duplex voluntas alia efficax, alia inefficax, ſive alia antecedens, alia conſequens. 129.

In ipſo datur voluntas antecedens ſalvandi omnes homines. 130.

Quæ voluntas etiam ſe extendit ad omnes parvulos. 142.

Gratiam ſufficientem ordinis naturæ omnibus præbet. 157.

Illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem. 162.

Illius maxima liberalitas in Populum Iſraeliticum. 225.

Facienti quod eſt in ſe non denegat gratiam, non propter aliquod jus, ſed ex ſua miſericordia. 245.

Vult ſeriò ſalutem Parvulorum. 261.

Illius miſericordia neminem vult perire. 281.

Abjecit Saul nolentem audire vocem ejus. 286.

Habet voluntatem conſequentem damnandi aliquos ex motivo peccati originalis. 301.

Differentia inter corpus naturale hominis, & corpus myſticum Eccleſiæ. 265.

Dilectio Dei auctoris naturæ duplex. 167.

Dilectio Dei auctoris naturæ, juxta D. Thomam, eſt actus entitativè, & ex parte objecti merè naturalis. ibid.

Diſcrimen, quod eſt inter ſufficientiam infinitam, & ſufficientiam finitam. 115.

Diſcrimen, circa intelligentiam gratiæ ſufficientis inter Thomiſtas, & Auctores Societatis. 223.

Diſpoſitio etiam remota, debet eſſe ejuſdem ordinis, ac forma ad quam diſponit. 11.

Diſpoſitio, ſive proxima, ſive remota ad gratiam, debet eſſe ordinis ſupernaturalis. 243.

Diverſum eſt Deum præparare, & offerre omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, & ea omnibus de facto conferre. 208.

E

ECcleſia gratiam tam excitantem, quam adjuvantem in ſuis orationibus à Deo poſtulat. 5.
Contra Queſnellum definivit dari veram Dei gratiam ante fidem. 183.
Ad Eccleſiam ſpectat ordinare articulos fidei. 210.
Eccleſiæ Capiti reſervatum eſt de opinionibus judicare. 254.
Eccleſiæ corpus conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio Mundi, & erunt uſque ad ejus finem. 265.
Effectus, ut ſit voluntarius in cauſa, requiritur, quod præcognoſcatur formaliter, vel virtualiter cauſa, ut connexa cum ipſo. 310.
Eraſmus, Socratem, Platonem, Senecam, & alios viros in gentilitate egregios Cœlo donavit. 250.
Error eſt dicere, quod aliquis in hac vita non poſſit pœnitere de peccato. 281.
Excœcatio non eſt ſimplex carentia luminis, ſed ſupponit affectum pravum divinas repellentem illuſtrationes. 310.
Excœcati, & Obdurati, juxta Sanctos Auguſtinum, & Thomam, ſunt rei peccati in obduratione commiſſi. 319.

F

FIdes non eſt prima gratia. 183.
Quomodò per D. Auguſtinum ſit initium corrigendi cor. 186.
Non habet in hominibus aliquam naturalem diſpoſitionem. 206.
Eſt ex auditu. 218.
Fides explicita Chriſti, neceſſaria eſt ad ſalutem poſt Evangelii promulgationem. 229.
Fides eſt donum Dei, pro quo orare tenemur. 231.
Fides explicita Trinitatis omnibus, & ſingulis hominibus, neceſſaria eſt ad ſalutem. 239.
Fides Catholica contra Pelagianos docet vires naturæ non eſſe ſufficientes ad pœnitendum de peccato. 281.
Finis ſolùm naturaliter cognitus, non importat explicitè, nec implicitè rationem finis ſupernaturalis. 220.
Finis ultimus hominis elevati ad ordinem ſupernaturalem eſt æterna Beatitudo. 169.
P. Fontaine S. J. opinionem aſſerentem Infideles negativos nullum unquam recepiſſe auxilium intrinſecum ſupernaturale, probabilem exiſtimat. 269.
Frickius (Joannes) peccatorem non eſſe liberum niſi ad malum ſine gratia Liberatoris propugnat. 323.
D. Fulgentius, quomodò intelligat illud Apoſtoli: Deus vult omnes homines ſalvos fieri. 138.
Chriſti gratiam non omnibus eſſe communem affirmat. 213.

G

GEntilium egregia facinora meritò laudanda ſunt. 328.
Gentiles habent ſcriptam in cordibus ſuis legem, quam Moyſes dedit Judæis ſcriptam in tabulis lapideis. 329.
Gratia nobis per Chriſtum exhibita dat poteſtatem ad faciendum bonum, & adjuvat, ut illud faciamus. 3.
Gratia duplex, juxta S. Auguſtinum, nempè excitans, & efficaciter adjuvans. ibidem.

Gratia præveniens, quomodò explicetur à PP. Molina, & Suarez. 6. & 7.
Gratia excitans voluntatem, plures actus voluntatis comprehendit. 16.
Gratia præveniens eſt cauſa primæ cogitationis ſanctæ, & primi affectus pii, & diſtinguitur ab eis. 19. & ſeqq.
Gratia excitans, ex quo dicatur inſpiratio, illuminatio, non probat, quod conſiſtat adæquatè in actibus intellectus, & voluntatis. 24.
Gratia actualis formaliter conſtituitur per ordinem ad opus. 46.
Gratiæ efficacis vis mirabilis, & inviciſſima. 77.
Gratia excitans diſtinguitur realiter à gratia efficaciter adjuvante. 86.
Gratiæ ſufficientis quænam ſit propria notio. 111. 119. 121.
Gratia non deſtruit, ſed imitatur, & perficit naturam. 207.
Gratia conſtituens poteſtatis ſufficientiam duplex à Thomiſtis agnoſcitur. 224.
Gratiæ ſubtractio triplex. 290.
Gratia præcedentium delictorum merito ſubtrahitur. 115.

H

HÆretici contendunt, aut Scripturæ Sacræ, aut Sanctorum Patrum ſententiis malè intellectis, ſuos errores defendere. 334.
Homicidii reus dicitur ille, qui per ebrietatem, quam propria culpa incurrit, homicidium committit. 317.
Homo omnis à Deo illuminatus. 162.
Deſtitutus omni auxilio ſupernaturali caret poteſtate cognoſcendi media intrinſecè conducentia ad ſalutem. 164.
Lapſus indiget aliquo auxilio, quod non ſolùm moveat, & determinet, ſed ipſum erigat. 166.
Ex parte ſua nullum habet jus ad auxilia ſupernaturalia, ſed totum fundatur in meritis Chriſti. 181.
In ſtatu naturæ lapſæ longè debilior eſt ad bonum morale operandum, quam fuiſſet in ſtatu naturæ puræ. 192.
Per opera moraliter bona intra naturæ ordinem non ſe diſponit ad impetrandam fidem. 216.
Illuſtratur à Deo initio uſus rationis, ſaltem ſufficienter, ut poſſit ſe in Deum convertere. 242.
Ad actus ſalutares vitæ æternæ meritorios ſine gratia Redemptoris non eſt liber. 322.
Etiam per ſua naturalia ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt. 329.
Non in omni opere, dum deliberatè agit, præcepto charitatis adſtringitur. 344.

I

JAnſenius, ejus errores circa gratiam ſufficientem. 124.
Negat in Deo voluntatem ſalvandi omnes homines. 131.
Nullam ſufficientem gratiam agnoſcit in infidelibus. 159.
Negat Chriſtum pro omnibus omninò hominibus paſſum. 160.
Fatetur nullum eſſe peccatum, niſi fuerit voluntarium. 170.
Affirmat Deum impoſſibilia præcipere. 268.
Docet Deum non velle ſincerè omnes homines ſalvos fieri. ibidem.
Ignorantia invincibilis Dei auctoris ſupernaturalis excuſat infideles negativos. 220.

Ignorantia in infidelibus, qui nihil unquam de Evangelio audierunt, non eſt culpanda. 309.

Ignorantia peccati futuri in obduratis eſt indirectè volita. 319.

Ignorantia affectata non excuſat à peccato. ibidem.

Illuminatio duplex in nobis una cauſalis, altera formalis. 25. 47.

Illuminatio ſupernaturalis, juxta Apoſtolum, etiam duplex una perfecta per Fidem, altera imperfecta, & prævia ad Fidem. 163.

Illuſtratio ſupernaturalis, quomodò influat in actum voluntatis. 51.

Imago Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauratur in nobis per gratiam ſupernaturalem. 189.

Impotentia excœcatorum, & obduratorum eſt ipſis voluntaria in cauſa. 314.

Impotentia in obduratis, & excœcatis non eſt antecedens, ſed conſequens. 316.

Induratio duplex, juxta D. Auguſtinum, una inchoata, altera conſummata. 279.

Infidelitatis triplex ſpecies: Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis. 155.

Infidelis duplex, unus poſitivè, alius negativè talis. 156.

Infidelitas poſitiva eſt maxima omnium peccatorum. ibidem.

Infidelibus negativè talibus, regulariter loquendo, dantur à Deo vires illæ, quæ ad rectè ſecundùm naturam operandum ſufficiunt. 205.

Infidelitas non habet rationem culpæ, niſi inquantùm eſt voluntaria. 222.

Infideles negativi habent quaſdam illuminationes, quibus excitantur ad cognitionem naturalem Dei. 267.

Infidelitas negativa non eſt peccatum, ſed pœna peccati originalis. 309.

Infidelitatis perverſus finis, non ſemper influit in omnes infidelium actus. 345.

Influere phyſicè, quomodò dicatur. 12.

Innocentius I: eximius Divinæ gratiæ commendator. 1.

Innocentius X. *definivit contra Janſenium, juſtis non deeſſe gratiam, qua præcepta Dei poſſibilia fiant*. 218.

Innocentius XI. damnavit propoſitionem aſſerentem Fidem explicitam Remuneratoris non eſſe neceſſariam neceſſitate medii. 251.

Inſpiratio Omnipotentis, quomodò det intelligentiam. 19.

Judæi non redarguuntur, quia non habuerunt Fidem, ſed quia auxiliis ſufficientibus reſtiterunt. 185.

Judæi, & Infideles poſitivi habent verum auxilium ſufficiens, quo poſſunt in ordine ſupernaturali ſe ad Deum convertere. 266.

Julianus gratiam interiorem apertiſſimè confitetur. 96.

L

D. Laurentius Juſtinianus egregiè Divinæ Gratiæ vim explicat. 272.

M. Lemos affirmat gratiam excitantem eſſe ſimul ſufficientem, & efficacem. 41.

Docet hominem ex ſe habere poteſtatem ad non peccandum, infirmam tamen, & inſufficientem. 177.

P. Leſſius S. J. ex ſola libertate provenire, cur unus gratiam oblatam acceptet, & alter reſpuat. 232.

Li-

Libertas etiam in homine lapſo importat activam indifferentiam. 255.

Liberum arbitrium non poteſt diſponi ad Fidem abſque auxilio Dei. 177.

Non poteſt ad Deum converti, niſi Deo ipſum ad ſe convertente. 198.

Lovanienſis Academia gravi cenſura perculit P. Leſſium S. J. dicentem : Omnes Infideles ſemper, & ubique habere ſufficiens auxilium ex parte Dei. 258.

Lutius Valerius propter ſuam paupertatem laudatur. 328.

M

Manichæi aſſerebant, peccatum eſſe ex natura mala, in quam non voluntate, ſed à Deo miſſi ſumus. 307.

Marcus Vigerius Card. quomodo exponat illud Joannis : Illuminat omnem hominem. 263.

Miſericordia Dei judicium ſuperexaltat. 272.

P. Molina Gratiam prævenientem quomodo explicet. 6.

Quam longè à veritate diſtet, dum dicit, quod gratia agit neceſſitate naturæ. 50.

Docet gratiam excitantem non eſſe realiter diſtinctam a gratia adjuvante. 82.

Explicatio illius Axiomatis : Facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat Gratiam. 195.

Motus voluntatis reponendi ſunt inter auxilia Divinæ Gratiæ. 15.

Moyſes Reges Terræ invictè proſtravit. 157.

Oratione obſtitit furori Dei. 286.

Mundus totus in maligno poſitus eſt, *quomodo explicetur*. 336.

Myſteria Fide Theologica credenda non omnibus Nationibus fuerunt annuntiata. 224.

N

Naturæ corruptæ infirmitas. 66.

Negatio omnis auxilii eſt permiſſio peccati actualis. 304.

Novatianorum error fuit, Peccatum non poſſe remitti. 287.

Nullus obduratione percutitur, niſi Deo permittente. 321.

O

Obduratio maxime timenda. 270.

Obdurationis ſtatum nullus patitur, niſi propriis exigentibus culpis. 271

Obdurationis definitio ex D. Auguſtino. 292.

Obduratio permiſſive tantum eſt à Deo, non verò poſitivè. 300.

Obduratio eſt effectus peccati, ſive perſonalis, ſive originalis. 303.

Objectum creatum non movet voluntatem ſufficienter quoad exercitium. 23.

Oblatio auxiliorum ſufficientium ad ſalutem eſt vera gratia. 242.

Obſtinatio importat quamdam firmitatem in peccato. 282.

Obſtinatus nullus aſſignari poteſt, qui aliquam non receperit à Deo illuminationem. 284.

Omiſſio actus præcepti non eſt voluntaria ſine poteſtate ad actum oppoſitum. 307.

Omiſſio rei præceptæ à voluntate determinata ad illam, tanquam ad exercitium adæquatum, non eſſet omiſſio libera. Ibidem.

Omiſſio, quæ nec laude, nec vituperio digna eſt, non eſt imputabilis ad culpam. 308.

Om-

Omne, quod non eſt ex Fide peccatum eſt, *quomodo explicetur à D. Thoma*. 337.

Opera Infidelium & eſſe libera, & moraliter honeſta ex Sacris Paginis, & ex SS. Patribus probatur. 326. 327.

Opus conducens ad ſalutem fieri non poteſt, juxta Concilia, & SS. Patres, ſine præveniente Spiritus Sancti adjutorio. 244.

Oroſius (Paulus) extendit auxilia gratiæ ſufficientis ad Infideles. 165.

Ortiz (Martinus) violentiſſimè interpretatur verba Apoſtoli: Non quia ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 34.

Quomodo concedat Deum phyſicè influere in voluntatem, quoad actus ſupernaturales. 48.

Gratiam congruam quomodo explicet. 68.

Quam falſo aſſerat, quod gratia incongrua Jeſuitarum dici ſoleat apud Thomiſtas merè ſufficiens. 128.

Aberrat putando, quod aliquibus ſit conſultius ad ſalutem neſcire explicite myſteria Incarnationis, Paſſionis, & Mortis Chriſti. 249.

P

Paſſio appetitus ſenſitivi non poteſt directè movere voluntatem ad peccandum, poteſt tamen indirectè. 56.

P. Platel S. J. affirmat Deum providere Infidelibus ſuo tempore media proximè, vel remotè ſufficientia ad converſionem. 241.

SS. Patres unanimi conſenſu cauſalitatem phyſicam gratiæ actuali adſcribunt. 61.

Docent Deum velle omnes homines ſalvos fieri. 140.

Quando omnia divinæ gratiæ, attribuunt, non excludunt liberum arbitrium. 178.

Plures illorum affirmant gratiam proximè ſufficientem ad fidem non eſſe omnibus communem. 215.

Patriarchæ, & Prophetæ habuerunt fidem explicitam Myſteriorum Chriſti. 238.

P. Paulus Capuc. Lugdunen. ſententiam affirmantem dari Infidelibus negativis auxilia ſufficientia ad ſalutem, propugnat eſſe de Fide. 209.

Peccator quatenus talis fructificando per radicem malam nequit bonos fructus facere, verùm fructificans quatenus homo eſt per radicem rationis, quandoque bonos fructus facit, etiam ſine gratia. 336.

Peccatum mortale excludit jus ad Beatitudinem. 180.

Peccatum ex ſua ratione eſt averſio à Deo authore naturali, & ſupernaturali. 191.

Peccatum veniale juxta D. Thomam non poteſt eſſe in homine cum peccato originali, & abſque mortali. 198.

Peccatum ad mortem juxta Divum Thomam eſt impœnitentia finalis. 286.

Peccatum originale aſſumi poterat à Deo, ut motivum damnandi omnes homines. 301.

Pelagius gratiam interiorem juſtificantem admiſit. 2. 95.

Non negavit gratiam conſiſtentem in ſubitis motibus voluntatis. 11.

Admiſit etiam concurſum ſimultaneum. 100.

Admiſit pariter gratiam intrin- ſe-

ſecam entitativè ſupernaturalem. 103.
Admiſit inſuper, teſte Suarez, Gratiam illam ſub illa media præſcientia, per quam congrua fieret, quæ nunc inſtanter defenditur. 106.
P. Perrinus ſententiam affirmantem dari Infidelibus negativis auxilia ſufficientia ad ſalutem vult eſſe ex Decretis Summorum Pontificum. 254.
Pharao ex tot prodigiis majorem obdurationis occaſionem accepit. 283.
Reus fuit peccati, licèt per contemptum abjecerit Dei munera ſibi oblata. 311.
Philoſophi, & alii Gentiles plura bona opera fecerunt ſine ſupernaturali notitia Dei. 213.
Non cognoverunt infirmitatem per peccatum originale contractam. 230.
S. Pius V. damnavit propoſitionem affirmantem non dari infidelitatem negativam. 171.
Pœnitentia ordinis ſuperioris haberi non poteſt niſi per principium ejus ordinis. 266.
Polemonis continentia laudatur. 351.
Poſteri Adæ peccatum originale contrahentes non cognoverunt peccatum Adæ eſſe connexum cum privatione auxiliorum ſufficientium. 177.
Præceptum dilectionis Dei eſt omnium aliorum finis, & complementum. 188.
Præceptum Charitatis non impletur ſine gratia. 190.
Præcepta Fidei, ut habeant vim obligandi, debent innoteſcere aut per externam promulgationem, aut per revelationem internam. 235.
Præceptum exeundi à ſtatu obdurationis non urget obduratos pro omni inſtanti phyſico, ſed ſolùm pro omni iſtanti morali. 298.
Prophetia quare à SS. Patribus tactus mentis definiatur. 25.
Propoſitiones damnatæ à Vicario Generali Mechlinienſi. 240.
Propoſitio proſcripta à Clero Gallicano die 4. *Septembris anno* 1700. 321.
S. Proſper quomodo exponat gratiam excitantem. 26.
Voluntatem ſalvandi omnes homines in Deo cognoſcit. 131.
Chriſti gratiam non omnibus eſſe communem, affirmat. 212.
Potentia ad acquirendam ſalutem non ſolùm importat poſſe ſalvum fieri, ſed etiam poſſe ſe ſalvum facere. 244.
Publicanus diſceſſit juſtificatus à Deo. 289.

Q

Queſnellus Peccatorem non eſſe liberum niſi ad malum ſine gratia liberatoris ſtatuit. 323.
SS. Doctoribus Auguſtino, & Thomæ adverſatur. ibid.
Errores Wicleffi, & Joannis Hus in lucem revocat. 324.
Janſenii, & Baii doctrinam renovat. ibid.
Queſnelli Defenſores vaniſſimè ſibi arrogant D. Thomam. 333.
Quæſtio de diſtributione gratiæ inſcrutabilis eſt. 245.
Q. Cincinnatus laudatur propter ſuam paupertatem. 328.

Re-

R

Redemptio Chriſti pro omnibus hominibus facta eſt quo ad ſufficientiam. 158.

Remigius Lugdunenſis duas expoſitiones illius textus Apoſtoli: Deus vult omnes homines &c. *ſtatuit, neutram reprobando*. 260.

Remiſſio peccatorum, ut juxta D. Auguſtinum ſit ex meritis; Fides autem ſine ullis meritis. 180.

S

Salus hic per gratiam, & in Cœlo per gloriam una, & eadem eſt. 229.

Sanguinis Chriſti pretium pro omnibus omninò hominibus ſufficienter oblatum eſt. 260.

Saul dignus non erat miſericordia. 286.

Scientia media per P. Molinam nulla ratione dicenda eſt libera. 118.

Semipelagiani, credere, velle, deſiderare, & alia viribus innatis fieri autumabant. 200.

Non negabant gratiam ordinis naturæ per Chriſtum. ibid.

Gratiam Chriſti omnibus communem eſſe aſſerebant. 269.

Sfondratus Card. Deum, nunquam voluiſſe ſalutem Parvulorum decedentium ſine Baptiſmo, affirmat. 261.

Status viæ non eſt ſtatus perſeverantiæ in peccato. 282.

S. Stephanus Judæos propter eorum pertinaciam, & obdurationem, increpavit. 311.

P. Suarez S. J. gratiam prævenientem quomodo declaret. 7.

Sufficientia duplex eſt. 29.

Sufficientia ad aſſenſum Fidei non ex nobis, ſed ex Deo eſt. 31.

T

Temeritas in aliorum doctrinis judicandis maximè cavenda. 253.

Theologi negantes eſſe de Fide, quod Infidelibus negativis conferatur gratia, quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, ſive proximè, ſive remotè ſufficiens. 257.

D. Thomas docet, quod actus influens media oſtenſione bonitatis objecti, purè moraliter influit. 52.

Gratiam ſufficientem, & quoad rem, imò quo ad ipſum nomen docet. 113.

Aſſerit virtutem cauſæ ſecundæ eſſe quidem ſufficientem, ſed in ſua linea. 118.

Quomodo explicet illud Apoſtoli: Deus vult omnes homines ſalvos fieri. 137.

Dividit voluntatem Dei in voluntatem Beneplaciti, & in voluntatem ſigni. 148.

Egregiè explicat diſtinctionem amoris Dei naturalis, & ſupernaturalis. 192.

Aſſerit, quod nutritus in ſylvis, ſi ſequatur ductum rationis, illuminabitur à Deo de credendis. 241.

Docet, quod etſi Infideles ſint gratia deſtituti, eorum tamen quædam facta, quæ ſecundùm juſtitiæ rationem fiunt, laudanda eſſe. 330.

Quomodo explicet illud Apoſtoli: Omne, quod non eſt ex Fide peccatum eſt. 337.

Thomiſtæ in Gratia excitante phyſicam cauſalitatem agnoſcunt. 47. & 71.

Gratiam ſufficientem conſtantiſſimè propugnant. 125.

V

P. Van Grinſuen S. J. affirmat omnibus Infidelibus negativis dari auxilia ſufficientia ad ſalutariter operandum. 209.

P. Vazquez S. J. ſe ab Auguſtini, Proſperi, ac Fulgentii doctrina ſegregem ſe fatetur. 215.

Tres præfatos SS. PP. temeritatis arguit. 248.

Negat Deum seriò velle ſalutem Parvulorum. 261.

Verbum Dei eſt Sol Juſtitiæ. 280.

Vincentius Baronius. Elogium de doctrina D. Thomæ. 204.

Vincentius Gotti Card. Ord. Præd. ejus ſententia circa collationem auxiliorum ſufficientium. 159.

Virtutes morales quomodo dentur in Infidelibus. 348.

Virtutes morales infuſæ, & acquiſitæ quomodo diſtinguantur. 349.

Vocatio duplex alia generalis, alia particularis. 74.

Voluntas nullam habet ex ſe ſufficientiam ad amorem boni ſupernaturalis. 33.

Voluntas etiam ſuppoſita boni ſupernaturalis cognitione eget adhuc auxilio ad amandum bonum, quod cognovit conveniens. 39.

Voluntas in Deo duplex alia efficax, alia inefficax, alia antecedens, alia conſequens. 129.

Voluntas antecedens ſalvandi omnes homines rectè componitur in Deo cum voluntate conſequenti damnandi aliquos ex motivo peccati originalis. 302.

Voluntas antecedens dandi omnibus auxilia ſufficientia componitur in Deo cum voluntate conſequenti denegandi ea aliquibus ex eodem motivo. Ibidem.

Wolfg. Joannes Peccatorem non eſſe liberum niſi ad malum ſine gratia Liberatoris pronunciat. 323.

FINIS.

234.16
B 437
26585
BENITEZ DE LUGO, CAJETAN
AUTHOR
Concursus Dei
Praevius et Efficax
TITLE Vera etiam Christi Gratia
Disputationes Theologicae
DATE LOANED Tome II BORROWER'S NAME
STORAGE - C
OCT 2 0 1982 DEC 28 1982
012183
DEC 012783 R
26585